LATINI LATINII VITERBIENSIS LVCVBRATIONES.

LATINI LATINII VITERBIENSIS

Epistolæ, Coniecturæ, & Obseruationes Sacra, Profanaque Eruditione Ornatæ.

Ex Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Viterbiensis

A DOMINICO MAGRO MELITENSI
Eiusdem Ecclesiæ Canonico Theologo

Studio, ac triennali labore collectæ,
Prodeunt in lucem publicæ studiosorum vtilitati

Iussu Eminentissimi, & Reuerendissimi D.

D. FRANCISCI MARIÆ
CARDINALIS BRANCACCII
PHILOGRAMMATI.



ROMÆ, Typis Tinassij. M.D.C.LIX.

Apud Io: Casonum, Sub Signo S. Pauli.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentissimo, & Reuerendissimo Principi
Cardinali FRANCISCO MARIÆ Brancaccio

Splendore Sanguinis iuxta et
Virtutis Clarissimo.
Litterarum Amatori, & Cultori Maximo.
Litterarum Mœcenati Optimo;
Et vltra
Mœcenatem Doctissimo.
Doctrinarum Diuinarum, Humanarumque
Et Linguarum Exoticarum Peritissimo.
Sapientiæ Oraculo Certissimo:
Speculo Morum Nitidissimo:
Pastorum Ideæ Absolutissimæ:
Vrbanitatis, Modestiæ, Suauitatis, Integritatis
Exemplari Perfectissimo
Administrationis Ecclesiasticæ, & Politicæ
Experientissimo:
Sacrorum Rituum, Et Cæremoniarum
Vindici Acerrimo.
Non sibi, sed bono publico Nato.
Huius operis Auspici,
Suasori, Assertori,
Præsidi Dignissimo
DOMINICI MAGRI
ΦΙΛΟΔΩΡΙΑ

ILLVSTRIVM SCRIPTORVM ELOGIA, IN LATINVM LATINIVM.

Ex Codice Vaticano Num. 5855.

LAtinus Latinius Viterbienſis vir magna eruditione præditus Romæ Summorum Pontificum iuſſu in expurgandum Gratiani Decretum magnum ſtudium, operamque contulit cum alijs conſultoribus in Congregatione ad id deputata, Præfectis Vercellenſe, Sirletto, Alciato, atque Antonio Carafa Cardinalibus. Veteres Patres pluribus in locis deprauatos emendare quantum coniectura, & iudicio valuit, conatus eſt, vt teſtes ſunt Tertullianus, & Cyprianus à Pamelio editi. In multis alijs Auctoribus reſtituendis, in tomis Conciliorum, in marginibus librorum multa notauit, quæ corrupta ipſorum verba non parum declarare videntur, ad verum, & germanum ſenſum eliciendum; ſententias Sacræ Scripturæ ſuis quibuſque locis aſſignat; inuicem auctores diuerſos allegat, ſimulque concordat ad maiorem ſingulorum intelligentiam. Libros autem omnes ſuos Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Viterbienſis Patriæ ornamento, ciuiumque ſtudioſorum commoditati conſulens donauit. Octogenarius tandem viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt.

Cæſar Card. Baronius in Notationibus Martyrologij Romani 15. Iunij B.

SEd cum ſecundam editionem noſtrarum Notationum meditarer, accidit vt de re tam ambigua agerem cum noſtro Domino Latinio viro inſigniter erudito, & in rebus Eccleſiaſticis admodum verſato, quem eiuſmodi reperi ſententiæ.

Idem

Idem 18. Iulij G.

SEd Latinius noster, qui in mendis illapsis cognoscendis lynceos habet oculos, sic iure putat locum esse restituendum.

Antonius Augustinus in Antiquit. Rom. Dialog. XI.

MIhi Latinus Latinius Viterbiensis vir doctus, bonæque fidei.

Michael Mercatus tractatum integrum edidit considerationum ad obseruationes Latini Latinij de Obeliscis.

Vlysses Aldrouandus De Natura Sepis Ad Camillum Palæottum Senatorem dignissimum.

QVare mihi fuit gratissimum quod Domini Latini Latinij emendationem mihi communicaueris, cuius ingenium in hoc plurimi facio, quoniam ipsum spectandæ eruditionis virum cognosco; siquidem inter nos aliquando sumus collocuti, eiusque ingenij acumen ex familiaribus colloquijs facilè perspexi quũ vna cum Illustrissimo Cardinale S. Angeli Episcopo Bononiensi piæ memoriæ hìc ageret, quo tempòre meum naturæ Theatrum perlustrauit, quia rerum huiusmodi naturalium cognitione, & ipse plurimum delectabatur.

Commendatur denique Latinius ab Antonio Korkoëtio de pallio contra Salmasium. Ab Andrea Schotto Soc. Iesu de Somnio Scipionis. Nouissimè verò ab eruditissimo Scriptore Ecclesiasticæque antiquitatis peritissimo Florauante Martinello in libro de Ecclesia S. Mariæ in Via Lata.

DE mandato Reuerendissimi Patris Fr. Raymundi Capisuccij Sacri Palatij Apostolici Magistri Legi Latini Latinij Viterbiensis Epistolas, tum nomine Iacobi Cardinalis à Puteo ad summos Viros, & Principes, tum proprio ad Familiares scriptas, & ex Bibliotheca Viterbiensis Cathedralis Ecclesiæ, studio Dominici Magri eiusdem Ecclesiæ Canonici Theologi Collectas, doctas equidem illas atque elegantes. In illis nihil est, quod vel pias aures, vel Religionem Catholicam lædat; ideoque dignas luce indico.

Romæ die D. Monicæ Sacro M.D.C.LV.

Leo Allatius.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. A. Oddus Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Dominicus Manettus Reuerendiss. Patris Magist. Sac. Apostolici Palatij Socius, & Magist. Ordinis Prædicatorum.

VITA
LATINI LATINII
VITERBIENSIS

Ex varijs Epistolis concinnata.

AMPLISSIMI FRANCISCI MARIÆ Cardinalis Brancatij propensa in doctos, probosque viros voluntas, quam ex singulari studio in conquirendis vndique nobilium Scriptorum libris quiuis agnoscere facilè potest, effecit vt laboriosam hanc, & perdifficilem prouinciam susciperem Tanti igitur Principis cultioris litteraturæ amatoris imperio fretus omni diligentia è tenebris vetustatis ea proferre in lucem conabor, ac veluti epitome complectar, quæ sœculi intercedente diuortio in obliuionem adducta sunt. Latinus Viterbij nobilissima, ac opulentissima in vrbe Hetruriæ ad Cimini Montis radices à Desiderio Longobardorum Rege tamquam à nouo conditore augustioribus ædificijs excitatis ornata, atque mœnibus septa natus circa annum Virginei partus MDXIII Parentes habuit Bernardinum Latinium, & Franciscam Closiam clara quidem familia genitos, licet nulla diuitiarum opulentia conspicuos. Post primam ætatem ad capessenda grauiora litterarum studia idoneus factus Senas se contulit, vt in illa celeberrima Italiæ Academia altioribus studijs operam daret. Senensium ciuitate vndecim annos vsus patriæ eam loco dilexit, ciuiumque mores humanissimos maximè commendauit in suis epistolis ad Andream Masium datis, quas cum cæteris loculentioribus in secundo volumine prœlo subiacendas promittimus, & paramus. Igitur cum Iuris scientiæ operam daret, magna corporis imbecillitas secuta est, ita vt si viuere vellet, ab illis studijs cessare coactus est. Id vnum inprimis faciendum esse statuit, ne inerti otio consumaretur, cum præsertim non mediocri rei familiaris angustia pressus ad vitam honestè transigendam aliquod sibi

bi adiumentum parare oportere intelligeret. Tunc autem temporis M. Tullij ſcripta Gryphij diligentia cum doctiſſimis Petri Victorij in epiſtolarum libros animaduerſionibus in publicum prodierant. Delectatus ergo Latinus noſter Scriptoris elegantia ſingulari, verborum, rerumque copia ſimul, ac ſententiarum grauitate cœpit paulatim in eo imitando, cum ſtylum frequenter ſcribendo exerceret, poſt aliquot menſes tantum in latinè ſcribendi ratione proficere, quantum illius epiſtolæ excuſæ teſtantur, in quibus ſententiarum vbertas in cultiori dicendi genere elucet. Non quieſcebat tamen Latini animus, aſſiduaque quadam quaſi vltoris Dei comminatione terrebatur. Veniebat enim illi in mentem ſacrorum librorum lectionem, quam auito exemplo, paternaque inſtitutione puer adhuc leuiter frequentarat, non ſine magno ſcelere, æternæque ſalutis periculo intermitti poſſe. Quare cum ſibi aliquam partem eorum Scriptorum, quos Dei Eccleſia Patres, Doctoreſque meritò appellat, colitq; ac veneratur, commodè paraſſet, nihil antiquius habuit, quàm vt eorum Patrum frequenti lectione cum diligenti meditatione coniuncta ad veram erga Deum pietatem animum formaret, atque excoleret, in quo ſtudio maximum quidem progreſſum fecit, vt ex eius locupletiſſima Bibliotheca, quam Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Viterbienſis ad ſuæ patriæ ornamentum donauit, quiuis colligere poteſt; nam marginalibus obſeruationibus cunctos Patres Græcos, Latinoſque, ac alios quamplurimos Scriptores tam ſacros, quàm profanos illuſtrauit, & coniecturis reſtituit cum manuſcriptis, ac vetuſtiſsimis codicibus maximo labore collatis. Græcas verò litteras præter nominum, verborumq; declinationes numquam didicit; Lexicorum tamen pręſidio adiutus Scriptorum genuinum ſenſum aſſequi conatus eſt, in quo ſtudio vtebatur frequenter, vtiliterque ope doctiſsimi viri Hieronymi Mei ad intelligenda Græcorum loca difficillima. Sedente Paulo III. Summo Pontifice Latinus Viterbio relicto ad Romanam Vrbem omnium bonarum artium domicilium conuolat, ibique anno MDLIV. longa toga ſumpta, & clericali tonſura inſignitus, velut ſanctiore quodam Sacramento Chriſtianæ militiæ nomen dedit. Multos annos Iacobo Cardinali Puteo ab epiſtolis inſeruiuit, à quo Cõmenda Monaſterij Diui Benedicti Barienſis auctus fuit. Deſignatus

poſtea

postea hic Cardinalis ad Concilium Tridentinum Legatus in publico Senatu Latinum summæ eruditionis virum dignum existimauit, cuius opera in rebus arduis statuendis in œcumenico totius Christianæ Reipublicæ Conuentu vteretur; sed Latinus infirmissima valetudine impeditus cum Patrono se iter facturum negauit, sæuiente præcipuè hieme; proximo autem vere, & confirmata valetudine se libenter pariturum Cardinali decreuerat, quamuis multa incommoda à Tridentino cælo eum deterrebant. Dum ergo iter Tridentum adornabat Cardinalis Puteus animo, viribusq; destitutus continuò cum morte luctabatur. Demum sexto Kalendas Maij Anno MDLXIII. euocatus à Domino post diuturnum cum grauissimo morbo certamen amicis, & clientibus non mediocrem dolorem, summumque sui desiderium reliquit. Latinus post obitum Cardinalis Putei honestioribus conditionibus à Rodulpho Pio Cardinali Carpensi amplissimi Ordinis Decano peramanter inuitatus in eius familiam adscribitur. At paucos post menses è viuis ereptus totam suam bibliothecam legauit nostro Latino, qui ex medicorum consilio ad recuperandas vires diuturno morbo ferè consumptas in patrium cælum se contulit, vt æstiuo tempore aquis calidis Viterbiensibus vteretur. Romam reuersus inter familiares Cardinalis Ranutij Farnesij excipitur, quo tempore Bononiam cum Hero proficiscitur, ibique primæ notæ, & profundæ eruditionis viros amicissimos habuit, inter quos Vlyssem Aldourandum, qui suum naturæ theatrum Latino, tamquam omni genere litteraturæ, ac spectandæ eruditionis viro perlustrandum communicauit, vt ipsemet Vlysses fatetur in quadam epistola Camillo Palæoto inscripta, nec spe frustratus est; nam Latinus primus omnium lynceis oculis mendum in Prudentij carmine agnouit, in quo non *Spes*, sed, *Seps*, id est serpentis genus legendum esse monuit, restituitq: Poëtæ versum. Ranutio defuncto domunculam aliquot annos conductam habuit in nullius Cardinalis familia adscriptus, quia post tres amplissimos Cardinales patronos amissos, tamquam mali ominis hominem Cæteri eum auersabantur, vt ipse scribit amico suo Antonio Augustino, & tunc inter aulicos versari desiuit. Quare domi commodè, & aliqua pristinæ dignitatis specie retenta, vitam traducere decreuerat, ne Romæ in summa rerum omnium

inopia duriter, ac minùs decorè viuere cogeretur; retinu eum tamen partim componendarum rerum suarum ratio, quæ litium quarumdam impeditissimis labyrinthis implicitæ erant, partim etiam Cardinalis Sirleti maior erga eum beneuolentia, studiumque potius, quàm spes subleuandi, quæ paulatim in dies initio Pontificatus Pij V. ita extenuata est, vt omnem prorsus iuuandi spem abiecerit. Tandem M. Antonij Cardinalis Columnæ familiaris, cliensque effectus domum contiguam gratis habitauit quasi liber, ita Patrono volente. Quo tempore in Gratiani Decretorum immensam syluam purgandam, ornandamque duorum Pontificum deinceps succedentium studio, curaque euocatus in eam rem tredecim annos insumpsit cum alijs Consultoribus ad id electis in Congregatione, Post eos labores à Gregorio XIII. annua pensione centum quinquaginta ducatorum ex fructibus Cantoratus Ecclesiæ Siluensis auctus fuit, cuius pensionis portionem publico instrumento in Ludouicum Caldorium sororis suæ nepotem Clericum Amerinum transtulit, facultate sibi indulta ex speciali priuilegio ab eodem Pontifice, cuius verborum tenorem ad cohonestandam tanti viri memoriam libet hùc afferre.

GREGORIVS seruus seruorum Dei Dilecto filio Latino Latinio Viterbiensi &c. Tibi, qui in Romana Curia per spatium quadraginta annorum, vel circa vitam honestè egeris, & quatuor S.R.E. Cardinalibus in grauioribus negotijs inseruieris, necnon in restituendis Sacrorum Patrum scriptis semper incubueris, & præsertim in Gratiani decreto emendando inter alios non minimam operam per tredecim annos, vel circa nauaueris, & nunc in ijs, quæ occurrunt emendanda, & restituenda strenuè labores. Nos volentes te, qui, vt accepimus, Dilecti Filij nostri Marciantonij tit. S. Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis Columnæ nuncupati familiaris continuus commensalis existis &c.

In restituendo Tertulliano integrum annum insudauit imbecilla semper valetudine. Eas coniecturas ex Pontificis mandato, ac studiosorum vtilitati post Pamelij lucubrationes typis excudendas curauit. In corrigendo Cypriano quantos labores susceperit testis est ipse Pamelius. Ab omnibus illius æui Scriptoribus maxima in æstimatione est habitus. Eum enim consulebant suis epistolis Alphonsus Salmeronius, Franciscus Toletus, & Franciscus Turrianus sapientissimi Societatis Iesu triumuiri. Idem faciebant Gulielmus Lindanus, & Antonius Augustinus

Epis-

Episcopi, Paulus Manutius, Consaluus à Ponce, Hieronymus Mercurialis, Fuluius Vrsinus, Andreas Masius, Iacobus Pamelius, Ciacconius, alijque quamplurimi primi nominis Scriptores. Inter purpuratos verò Patres quanti Latinum fecerint Hosius, Sirletus, & Baronius eorum scripta satis, superq; declarant, & præcipuè Baronius, qui in secunda editione suarum Notationum in Romanum Martyrologium multa ex Latini sententia emendauit, eiusq; Ecclesiasticam eruditionem honorifico testimonio exornauit. Ingrauescente iam ætate, ac ferè semper in lecto decumbens faciliùs dictabat, quàm scribebat. Senio igitur confectus, amissis pœne omnibus tum corporis, tum animi viribus nouam opinionem de Presbytero pœnitentiario typis excusam publicæ vtilitati in lucem edidit, vt impeditissimum in Theologia nodum ipse primus solueret. Et, quod maximè admirandum est, Latinus in vltimo suæ vitæ limine constitutus cum hymnos Sacros, qui de more ad horas Canonicas recitantur, considerasset, offensus quòd plurimi nulla metrica ratione constarent, statuerat suam operam in ijs purgandis, reformandisque ponere, sed agnouit laborum suorum felicem aliquando exitum se non consecuturum. Ea enim cantionis consuetudo longisimi temporis curriculo confirmata, & Clericorum memoriæ mandata tantillum mutari difficillimè posset. Consilium nihilominus prorsus non abiecit; sed ferialibus hymnis medicas manus admouit, in quibus corrigendis, vt notaui in fragmentis chartarum tremula manu exaratis, illorum mentem assecutus est, qui deinde iussu Vrbani VIII. eosdē sacros hymnos feliciter restituerūt. Multa composuit carmina, quibus meditandis sæpius in nocturna vigilia molestum otium fallebat. Postrema carmina è cubili Innocentio IX. inscripsit, cui gratias agit pro munere benedictionis in vltimis vitæ diebus sibi misso. Quamuis oculorum viribus quotidie deficeretur, tamen binas semper faces parabat, vt sacris horis nocturnis Ecclesiasticum debitum præstaret. Diebus Dominicis, festisq; celebritatibus ad sacram ædem se conferebat, vt Deo cultum exhiberet, cæterum continua corpursculi debilitate domo pedem non efferebat. Quibus studijs ab adolescentia assueuit, etiam senex, & inualidus ita oblectabatur, vt quamquam saluti maximè nocerent ab ijs auelli tamen minimè patiebatur, Otiosus igitur

num-

numquam fuit, licet continua malæ valetudinis afflictatione consumptus, donec euocante Christo vitam hanc cum meliori commutasset, quod accidit die XXI. Ian. Ann. MDLXXXXIII. ætatis suæ annum agens octogesimum, sepultusq; fuit in Ecclesia S. Mariæ in Via Lata cum hac sepulchrali inscriptione, quam ipsemet adhuc viuens, mortis memor sibi parauerat.

IN SPEM RESVRECTIONIS
VITERBIENSIS.
VLTIMVM GENTIS LATINIÆ CAPVT
LATINVS HIC LATINIVS.
NOVISSIMVM AD DIEM IACET.

Bibliothecam, quam habuit, & vt alter Socrates formauit sapientissimus Latinus, primarij Viterbiensis Templi Canonici thesauri loco possident, maximoq; studio in ædibus sacris propè Charthophylacium custodiunt. Ibi sub Icone coloribus efformata hoc epigramma, tamquam amoris tesseram ingeniosè inscripsit Carolus Persianus vir moribus, doctrinaq; clarissimus, eiusdemq; ordinis Canonicus Pœnitentiarius.

Mortalem luci reuocat pictura Latinum;
Sed non mortalem munera significant.
Viuere dat cineres illa, at monstratur in istis
Nobilitas animi. Hinc fama superstes erit.


LATINVS LATINIVS VITERBIENSIS
Catherina Ang.a Bussi delin.

EPISTOLAE IACOBI PVTEI CARDINALIS, PER LATINVM LATINIVM Scriptæ.

ARCHIDIACONO VILNENSI IOSEPHO.

Pollicetur suum auxilium in promouendis negotijs eius.

QVOD tibi proficiscenti sum pollicitus, velim existimes me summa diligentia curaturum, vt intelligas quibuscunque in rebus adiumento tibi, ornamentoq; esse possim, in ijs me neque desiderio tuo, neque meæ egregiæ erga te voluntati vnquam defuisse. Quare si quid ad me Gregorius de negotijs tuis afferret, scito me nihil esse prætermissurum, in quo beneuolentiã meam erga te desiderare possis. Vale, & me Serenissimo plurimum commendato. Nonis Nouembris 1552.

REGI POLONIAE.

Manifestat modum diluendi calumnias apud Pontificem contra Episcopos Vlasdislauiensem, & Chelmensem.

NOn vereor quin Summus Pontifex grauissimo testimonio, atque diligentissima commendatione Maiestatis Vestræ,

meiſque etiam precibus adductus, Vladislauienſis, & Chelmenſis Epiſcopi dignitatem, atque exiſtimationem non ſit paſſurus aliquorum delatorum, vel maleuolentia, vel iniquitate in vllum diſcrimen venire; modo ipſi ſibi ne deſint; ſed anteactæ vitæ ſuſpicionem, ſi quam vel per errorem, vel per imprudentiam bonis viris dederũt, non obſcuris pij, catholicique animi ſui argumentis diluere contendant; itaque ſe, & factis, & verbis, omnibus bonis probent, vt calumnias improborum hominum ſibi periculum creaſſe, non ipſorum mores, opinioneſque fuiſſe in culpa, pleriſque omnibus, atque in primis Summo ipſi Pontifici, cui ea res ſummæ curæ eſt, planè perſuadeant. Ego quæcunque Maieſtati Veſtræ grata eſſe ſenſero, ſummo ſtudio ſemper exequar; tuncque mihi videbor eſſe aliquid, cum eidem non ingrata intelligam obſequia mea eſſe. Valeat M. V. feliciſſimè. Romæ xiij. kalend. Decembr. 1552.

HENRICO BRVNSNICENSI, ET LVNAEBVRGENSI DVCI.

Laudat eius in Catholica Religione conſtantiam, & conſolatur eum in morte filiorum in bello interfectorum ob Fidei defenſionem.

POſteaquam fuerunt ad me allatæ litteræ tuæ, quæ cum multis, veriſſimiſque de cauſis, tum eo maximè nomine, quòd ad me peramanter, honorificèque ſcriptæ erãt, fuerunt mihi gratiſſimæ; numquam deſtiti procuratori tuo polliceri, me tua cauſa omnia libentiſſimè eſſe facturum, quem ego Principem, quòd Catholicæ, receptæq; à patribus religioni, atque Apoſtolicæ Sedi magnopere ſemper fauiſſes, miro quodam amore iam pridem complexus eram, & tanti vnum faciebam, quanti fortaſſe iſtius nationis multos ſimul non facerem. Sed quando, vel Dei optimi prouidentia, vel aliquorum ceſſatione factum eſt; vt nihil adhuc in Senatu de Illuſtris filij tui negotio relatum ſit, magnaque rerum commutatio, atque adeo conſiliorum ſit facta: non poſſum equidem, & vicem tuam non plurimum dolere, qui duos filios fortiter pro fidei Orthodoxæ defenſione dimicantes vno prælio ſimul amiſeris, & me ipſum parum felicem non appellare, qui quò vehementius aliquid cupere, optareque conſueui,

ſueui, tanto minus ſemper id ipſum conſequi valeo. Sed tibi viro in primis forti, atque prudenti in iuſta certè doloris cauſa, id tamen magno ſolatio futurumeſſe confido, quòd,& pro communi Germaniæ trãquillitate tuenda cum Illuſtres filij tui ceciderint, non mortuos eos, ſed ſempiternæ memoriæ ſumma cum totius familiæ dignitate conſecratos arbitraberis, & eam animi tui pietatem ita gratam Deo futuram ſperabis, vt amplam ab eo mercedem aliquando ſis relaturus. Tu ergo quæcunque hìc poſſe me putabis, ſi in animum induces libenter tua cauſa eſſe facturum, cum mihi gratiſſimum feceris, tum tibi polliceor me daturum operam, vt numquam te eiuſmodi de me opinionis, voluntatiſq; tuæ erga me pœniteat. Vale, & me ama. Romæ vij. Calend. Septemb; 1553.

REGI POLONIAE.

Commendat Adamum Regis Curatorem in Romana Curia.

QVamquam, & re ipſa, & multorum etiam litteris arbitror Maieſtatem Tuam de ſumma Reuerendi Adami Conarski diligentia,& fide in eiuſdem rebus procurandis iam pridem cognouiſſe, eiuſque optimam erga ſe voluntatem multis argumentis planè perſpexiſſe; tamen quod in tanto locorum interuallo ſæpe vſu venit, vt non omnia perferantur, (neque enim pluribus negotijs implicatis aut otium eſt ad ſcribendum, aut ſi maximè illud quidem ſit, labor ipſe permittit, vt quomodo ſingula geſta ſint proſequi longa oratione poſſit) putaui mihi eſſe faciendum, vt Maieſtati Tuæ hominem abſentem commendarem, ab eaque vehementer etiam, atque etiam peterem, atque contenderem, vt Adami abſentis rationem in beneficijs vacaturis haberi mandet, atque iubeat. Si enim hìc non modo ſingulari quodam ſtudio, ac vigilantia Maieſtatis Tuæ res curat, atque agit, verum etiam, quod fieri aliter Romæ non poteſt, ſine magno ſumptu vitam, munuſque ſuum cum dignitate tueri, ac ſuſtinere nequit. Quare cum mihi gratiſſimum Maieſtas Tua fecerit, tum ſuis etiã rebus ſapientiſſimè proſpexerit ſi Adami commodis ſua benignitate ita conſuluerit, vt quam negotiorum ſuorum procurationem incredibili diligentia, & dexteritate adhuc ille obiuit, eamdem poſthac honeſtiore fortuna per Maieſtatem Tuam au-

tus libentius, prolixiusq; exornare possit. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Romæ Nonis Decembris 1553.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Eumdem commendat.

QVia soleo libenter nationis vostræ homines mea spōte diligere, præsertim eos, qui hic apud nos aliquo virtutis testimonio commendati sunt, non erit tibi mirandum, si Adamum Conarski, in quo summam in peragendis Regis Serenissimi negotijs diligentiam, dexteritatemque cognoui, nunc tibi per litteras meas commendo, cuius ille, & studiosissimus semper fuit, atque ita cupidus, vt te vnum plurimi faciat, inteque spes suas omnes sitas esse velit. Quare & mea causa, & quòd is certè sua virtute multum meretur, velim animum libenter inducas, vt primo quoque tempore benefitio aliquò hominem tibi arctiùs deuincias. Erit id cum mihi gratissimum, cum spero etiam fore, vt te in eum collocatæ liberalitatis tuæ nunquam pœniteat. Vale, & me ama. Romæ Nonis Decembris 1553.

REVERENDO VICECANCELLARIO.

Eumdem commendat ad obtinenda Ecclesiæ beneficia in Polonia.

QVanti te Rex Serenissimus faciat iam pridem noui, quanti autem ego R. Adamum Cornarski faciam hinc facilè intelligere poteris quòd hominem tibi diligentissimè commendo, idque ea de causa adductus facio, quòd Serenissimi Regis negotia mira quadam diligentia ita honestè, eaque dignitate procurat, vt nihil aptius, nihil melius existimari possit. Quare abs te illud in primis contendo, vt Adamum Serenissimo Regi plurimum commendes, eumque opportunè interdum roges, vt aliqua liberalitate hominem prosequatur, præsertim in Sacerdotijs vacaturis, vt eius absentis ratio habeatur. Quod si feceris, & tibi hominem mirificè addictum plurimum obligabis, & mihi tam gratum id erit, quàm quod gratissimum. Vale Romæ Nonis Decembris 1553.

EPI-

EPISCOPO MEDNICENSI.

Admonet eum amicè quomodo calumniam contra ipsum excitatam diluere possit. Promittit se defensurum eius dignitatem apud Pontificem, & Cardinalium Senatum.

Litteras tuas libenter legi non ea tantum de causa, quòd tuam defensionem afferebant, quam ego certè non mediocriter desiderabam; sed quòd mihi dignæ visæ sunt, quæ ab omnibus auidissimè legerentur. Atque vtinam ita de te homines aut sentire potuissent, aut vitæ tuæ ratio ita ante hac fuisset instituta, vt nouarum opinionum cupidus, studiosusq; nullo modo visus esses, nulla profectò nunc causa tui excusandi fuisset; sed quando iam eò res recidit, vt sine summo negotio fieri non possit, vt semel de te excitatam opinionem deleas, quæ multorum animis non leuiter insedit; putaui mihi id esse ad te accuratius scribendum, vt omnes tuos conatus, industriam, operam, vigilantiam, mentem denique omnem in id conferres, vt validis, verisque argumentis omnibus probares, nulla tua culpa factum esse, vt de Catholica religione malè audires. Id quod tibi homini in ea dignitate, & munere constituto, vt alios benè formare doctrina, & exemplo debeas, curandum semper summo studio fuit, Illud autem qua via consequi valeas melius, faciliusque non video, quàm si primum talem te præbeas Apostolicę Sedis obseruantissimũ te esse omnibus persuadeas, deinde palam nouarum opinionum, vel tenuissimam vmbram ita auerseris, & fugias, vt quarum partium aliquando plerique patronum te, aut studiosum non temere suspicati sunt; earumdem acerrimum nunc hostem esse te planè omnes intelligant, ac fateantur. Ego quæ ad dignitatem tuam sustinendam, atque tuendam pertinere arbitrabor, & apud Summum Pontificem, & apud Senatum amplissimum cum mea sponte, cum Serenissimi Regis tui commendatione adductus diligenter omnia, libenterque præstabo. Vale Roma Nonis Decembris 1553.

IACO-

IACOBO MONTOGNANO SARDINIAE REGENTI.

Consolatur eum in Matris obitu, manifestatque commendationem factam pro fratre ad obtinendam dignitatem Vicecancellarÿ in Regno Aragoniæ.

QVum ad me esset allatum de obitu matris tuæ, atque item meæ; pro ea certè, vt debui grauiter molesteq; tuli, non ea tantum de causa, quod feminam summa prudentia, & virtute præditam, tandemque optimam parentem simul amisimus; sed quod in eo dolore, qui mihi tecum communis sit necesse est, nullam reperire poteram consolandi tui rationem, cum me quoque aliorum consolatione indigere intelligerem. Verum quando ea lege nati sumus, vt aliquando post multas vitæ huius miserias, beatè, feliciterque viuere incipiamus; cur ita parentum, & amicorum mortem dolemus, qui etiam si florentissima ætate nobis eripiantur, quid quæso damni, vel iacturæ patiuntur? An non præcipuū felicitatis genus apud homines vbique semper est habitum, breuissimo temporis curriculo ad felicitatem peruenire potuisse? an vero non censebimus maximè, insigniterque insanire eos, qui propositum sibi alicuius quidem pretij munus, sed quod vsu tamen cito interiturum sit, cunctantur accipere, semperque in aliud tempus differunt? At humanum est, inquies, carorū mortem flere; fateor si illud modo addideris, vt Christianum hominem decet; Id quod & mihi, & tibi omnibusque ita faciendum esse existimo, vt ne quid vnquā præter grauis, prudentisq; viri dignitatem omnino fiat. Quamquam si benè te, & prudentiam tuam noui, nulla causa est, quamobrem consolationem aliquam ad te afferri putem oportere. Nam & si nihil fuit matre nostra amabilius, atque iucundius, ea tamen ætate decessit, vt quidquid illi longioris temporis ad viuendum accessisset, accedere quoq; illi multa incommoda necesse erat, quæ senectutem semper comitantur. Ego quidem, vt scis, quum nullam aliam nouerim matrem, eam parentis amantissimę loco ab ipsa infantia summopere semper dilexi, & colui, quod ita de me erat merita, ac si me illa in hanc lucem peperisset. Quare vtrique nostrum id in primis faciendum censeo, vt hanc migrationem verius, quam mortem illi benè precemur; deinde etiam, atque etiam caueamus ne nostris lachrimis, aut dolore æternam

eius

eius quietem, vel imprudentes turbare, vel ingrati inuidere videamur: erit id cum gratum illi, atq; iucundum, quæ nos mirificè, vehementerque adamauit, tum vtriusque nostrum rationibus, dignitatiq; consentaneum. Commendaueram Attrebatensi Episcopo fratrem tuum diligentissimè, atque ab illo vehementer etiam, atque etiam contenderam, vt in noua electione Vicecancellarij Aragonensis Regni facienda, curaret, atque perficeret, vt fratris tui ratio quam maximè honorificè fieri posset, haberetur; Rescripsit ille ad me litteras plenas amoris, & officij, quarum exemplum idcirco ad te mittendum curaui, non modo, vt meam erga vos beneuolentiam mirificam esse intelligeres; verum etiam, vt aliquid quandoque nos pro fratris tui dignitate ornanda, atque augenda consecuturos esse sperare possis, & debeas. Vale, & te mihi fratrem carissimum esse persuade. Roma Tertio kal. Ian. 1553.

IOANNI CHRISTOPHORINO SECRETARIO Regis Poloniæ.

Instat acriter vt creditoribus satisfaciat Bernardus, qui ære alieno oppressus ex Vrbe iam discesserat.

Bernardus à Res Prutenus, quem egó te auctore inter familiares meos ascripseram, quemq; non modo tibi; sed Regi Serenissimo, Varmiensique, & Curoniensi Episcopis per litteras superioribus diebus diligentissimè commendaueram, propterea quod ille mihi persuaserat se illico in patriam esse věturum; dissimilato diu profectionis consilio, tamquam in aliud tempus distulisset; tandem ære alieno oppressus, ex Vrbe clam aufugit verius, quàm discessit. Eum ego in patriam recta iturum esse arbitror. Feceris igitur mihi gratissimum, si summa adhibita diligētia, & celeritate dabis operam, vt vbi vbi erit; prædibus, prædijsq; (quod aiunt) caueat; vt creditoribus suis aliquando integrè satisfaciat. Id enim & meæ dignitatis, & tuæ etiam fidei (qui mihi hominē tuo testimonio laudauisti) interesse plurimum existimo. Eius pater, vt audio, satis honestum patrimonium possidet, ab eo dissolui oportere iudico, quidquid à filio æris alieni hìc contractum erit, quam summam ad te, vt Venerabilis Adamus Conarski, vel Georgius Ticinius perscribat, diligēter curabo.

bo. Quare à te vehementer peto, atque contendo, vt tua prudentia, & auctoritate perficias, ne quid incommodi Bernardi creditores accipiant, qui, & si illi res suas clam me crediderunt; tamē quòd ille erat familiaris meus, fidem quodammodo nostram in ea re secutos se esse videri volunt, meq; tamquam spōsorem appellant. Itaq; etiam, atque etiam vide, vt me huiusmodi molestia primo quoq; tempore liberes. Vale Roma XV. kalend. Februarij 1554.

IO: BAPTISTAE NATALI.

Testatur sibi gratas fuisse conclusiones suo nomini dicatas.

AD diem tertium kalen. Februarij litteras tuas accepi, vna cum quæstionibus de iure ciuili, quas publicè disputaturum te, defensurumq; professus es, non sine honorifica, peramantique animi tui erga me declaratione. Quæ res, & si te, tuosque omnes antea plurimum diligebam; non mediocriter amorem meum erga te veluti calcar quoddam opportunè adhibitum excitauit, atque auxit. Mouet enim me vehementer quòd familiæ tuæ splendorem, atque ornamenta doctrina, & virtutibus tuis illustriora reddere in dies magis contendis; quam ego vnicam viam semper esse statui veram gloriam, & decus sibi comparandum. Quare scito te mihi esse carissimum, omniaque tua commoda summæ curæ mihi esse. Tu modo fac, vt quam studiorum tuorum rationem hactenus probauisti, nobis præsertim, qui dignitatis tuæ causa plurimum laboramus, ita in posterum probes; vt expectationi de te nostræ, egregiæq; apud omnes excitatæ spei cumulatissimè respondeas. Vale, & nos ama, quia nos te amamus. Roma Tertio Nonas Februarij 1554.

CARDINALI DE GVISA.

Gratulatur dignitatem Cardinalitiam.

ET si nonnullis fortasse videbitur serius quàm par erāt in tāta dignitatis tuę amplificatione gratulationis munus à me obitum esse; non vereor tamen tibi eo nomine hoc meum officium futurum esse gratissimum, quòd fratris tui amplissimi viri

cum

cum summæ prudentię, egregiisque virtutibus, tum amori etiam erga me singulari tantum iam pridem debeo, vt nihil mihi optatius accidere posset, quàm si honestissimæ, nobilissimæque familiæ decus, atque ornamenta auctiora, illustrioraq; in dies fieri viderem. Quare scito me in primis tibi eam dignitatem gratulari, tuoque honore ita ex animo, verèque gaudere, vt non multos putem me habere in ea re superiores; Id quod tibi spero me ita esse omni officiorum genere confirmaturum, vt de eximia mea erga te, fratremque tuum vtriusque nostrum collegam voluntate, atque obseruantia nemo, vel iniquissimus rerum æstimator dubitare vnquam possit. Vale, & me Illustrissimo fratri plurimũ commendato. Roma Quarto Idus Februarij 1554.

BERNARDO PIGNAE MINORICENSI.

Quæstiones disputandas suo nomini dicatas libenter recipit.

ET si te ante hac non noueram, tamen quæ tibi rationes verę, satisq; idoneæ visæ sunt, quamobrem me diligeres, eædẽ mihi, vt te inter beneuolos, carosque haberem facilè persuaserunt. Volo enim te existimare me cum omnium virtuti plurimum facere, tum eorum maximè, qui ad gloriam sibi comparandam ijsdem studijs vsi sũt, quibus ego iam pridem me totum addixi. Quare fecisti mihi gratissimum quòd nomini meo dicatas quæstiones proposuisti disputandas. Qua in re spero te, & omniũ expectationi, & desiderio nostro, qui te mirificè diligimus, honorificè, cumulatèq; esse responsurum. Vale, & quibus studijs operam adhuc nauasti, in ea diligentissimè, iugiterq; incumbe. Roma XIII. kalend. Martii 1554.

REGI POLONIAE.

Hortatur Regem, vt in libellum Polonica lingua editum ac hæreticorum dogmatibus imbutum animaduertat antequam ad Pontificis aures rumor perueniat.

EA semper apud omnes homines, Serenissime Rex, in Principum, superiorumq; amicitijs colendis, & conseruandis officio-

ficiorum ratio ſapiẽtiſſimè comparata, atque inſtituta fuit, vt qui minus facultate, & opibus poſſet, is omni ſtudio contenderet, vt quam partem pro ſua virili in amicitia ſuſtinere deberet, eam eximia quadam animi voluntate, atq; obſeruantia ornaret, ac tueretur, atque ita quodammodo paria in ea faceret. Quod cum ego planè verum eſſe intelligerem, multaque Maieſtatis Tuæ erga me beneuolentiæ argumenta, vel honorificę de me atteſtationis, & ſpei declaratio extitiſſent, ſummopere mihi laborandum eſſe ſtatui, vt quibus in rebus maximè dignitatem Maieſtatis Tuæ, florentiſſimiq; iſtius regni commoda defendere, atque augere induſtria mea poſſem, in ijs aſſiduè intentiſsima animi cogitatione ita verſarer, vt aliquando perfectum aliquid viderẽ, in quo egregiæ meæ erga Maieſtatem tuam voluntatis, ac fidei magnitudo grauiſsimis, ſempiterniſque monumentis honeſtiſsimè commẽdaretur. Quare cum ad Reuerendiſsimorũ Collegarum meorum manus, non temerè, (vt ego quidem ſentio) ſed ſapiẽtiſsimo Dei Optimi Maximi conſilio, & prouidentia libellus quidam Polonica lingua conſcriptus perueniſſet, qui ſuppreſſo fraudulenter auctoris nomine in oppido *Brzeſczie*, quod in magno Ducatu Lithuaniæ ſitum eſt XVI. kalen. Nouembris proximè ſuperiore anno editus, Illuſtriſq; Nicolai Radiuili Olicę Ducis permiſſu, & auctoritate publicè formis excuſſus paſsim ab omnibus legitur; non commiſi, vt eius rei, vel tenuiſsimus rumor ad aures Summi Pontificis peruenire poſſet, priuſquam Maieſtas Tua certior à me de toto negotio facta, in auctores tãti ſceleris, ideſt in ſpurciſsimam hominum fecem impijs hæreticorum dogmatibus peſſimè imbutam, ſeueriſsimè quidem, vt par eſt, ſed prudentiſsimè tamen animaduertiſſet. Id autem eo conſilio adductus maximè ſum, vt facerem, nequid optimus Princeps ſuſpicari vnquam poſſet à Maieſtate Tua prætermiſſum eſſe, quo ad tuendum, ſarctũq; tectum, quod aiunt, præſtandum fidei religioniſq; noſtræ cultum à maioribus noſtris ſumma ſanctitate, & doctrina viris traditum pertinere videretur. Nam ne ſingula hìc proſequar, quæ ex eius libelli lectione facilè quiuis ab hæretico perditiſsimo perniciosè admodum conſcripta eſſe intelliget. Quis patiatur in ea præſertim prouincia, in qua non dum ſatis firmis radicibus Chriſtiana pietas, fideſque nititur, propterea quod non plurimis ante annis ad eam à miſera dœmonum ſeruitute traducta eſt; quis inquã patiatur huiuſmodi libellos edi, ac circumferri, quibus tam mul-

ta Catholicæ Ecclesiæ instituta tam sanctè, pièque inuenta, tam denique necessaria, vt missæ sacrificium, preces, supplicationesque pro mortuis, eleemosinæ, ignisque ille, quo post hanc vitam sordium nostrarum reliquias exuri credimus, ita irridentur, ita traducuntur, vt si nihil illis existimari, aut fingi posit ineptius, nihil stultius, nihil demum à pietate Christiana alienius. Commendauit autem apud omnes plurimum eius libri lectionem, quòd Radiuili splendor, & auctoritas cũ apud Regni totius proceres magno semper in pretio fuit, tũ in ea prouincia, in qua dominatur, quamquam Maiestatis Tuæ nomine regit, atque administrat, ita obseruatur, & colitur, vt quidquid illo auctore, vel saltem permittente legendum populo datur, id populus incredibili approbatione, summoque studio, ac veneratione veluti Sacrosanctum suspiciat, atque amplectatur. Quamobrem ne lõgius faciam peto à Maiestate Tua vehementer etiam, atque etiam, vt quando hæc teterrima pestis, eadem inscia, vt mihi maximè libet credere, nuper Regni sui fines inuasit, certissimumque periculũ metuendum est, ne omnia breuissimo tempore occupet, atque inficiat, celeri, maturoque consilio in ea opprimenda vtatur, ita vt ad Summũ Pontificem de purgato, curatoque isto regno, deque tam impijs, nefarijsque hæreticis grauissimis pœnis seuerissimè affectis nuncius afferatur priusquam de eiusmodi libelli editione potuerit quicquam, vel leuiter inaudire. Id quod ego arbitror cum ad eam pietatem, quæ Christo debetur, præstandam, tum ad optimi, sapientisque Pontificis erga se beneuolentiam retinendam Maiestatis Tuę plurimum interesse; ne dicam interim quãtũ ea res saluti totius Regni sit profutura. Ego quod ad Collegas meos attinet, quorum animi ex eius libelli editione plurimum offensi sunt, dabo operam ne quid interim de Maiestatis Tuæ consilio, aut scientia in ea re factum esse suspicentur. De priuatis ergo negotijs, quod Venerabilis Adami diligentia putaui id in primis fieri, curaui vt frequenter Maiestas Tua certior fieret, nihil in præsentia scripsi. Valeat Maiestas Tua. Roma Sexto kalend. Martij 1554.

EPISCOPO LVCEORIENSI.

Monet, vt libellum supradictum in eius ditionis Oppido excussum, ac Duci Radiziuolo dicatum omni diligentia conquisitum comburat, & sic Ecclesiastici Pastoris partes suscipiat.

ET si me, natura ipsa duce primum, deinde etiam optimo, &, vt ego quidem sentio, vere Christiano consilio, ita compararam, vt quálibet occasionem dari mihi ad benè de aliquo merendum magnopere gauderem; tamen ingenuè fatebor, quæ me nunc ad scribendum causa impulit (quamquam id spero tibi sūmo vsui futurum) ea mihi neque grata, neque iucunda vllo modo fuit. Nam cum istinc ad nos, diuina certè prouidentia, quod tamen nonnulli casu, temereque factum arbitrabuntur, libellus quidam Polonica lingua in oppido ditionis tuæ Brzesciæ formis excussus permanasset, atque ad manus Reuerendissimorum Collegarum meorum, penes quos omne de fide, & religione iudicium Summus Pontifex, Amplissimusque Senatus esse voluit, peruenisset, vt primum eius rei culpā magna ex parte in te hærere, & quidem non immerito sensi, id mihi oblatum tempus ad te mihi summo aliquo, & necessario officio coniungendum, libenter amisissem, nisi apud me dignitatis, fideique tuæ ratio pluris, quàm voluptatis, aut otij mei causa valuisset. Quare scito primo me ad te quæ in præsentia scripsi, non sine magna animi mei molestia scripsisse, deinde id me magnopere cupere, atque optare, vt obseruantiæ tuæ erga Apostolicam Sedem, Catholicæque religionis studij ea argumenta appareant, vt quæ sapientissima à Patribus nostris per manus sunt tradita, quæque orthodoxa Ecclesia magno omnium consensu semper pro sacrosanctis institutis coluit, & obseruauit, ea te pro tuo munere, & pietate constantissimè retinere, totisque viribus tueri, atque defendere planè omnes intelligant; erit id mihi certè gratissimum, qui tuæ nationis homines mirificè semper dilexi, & tui ordinis dignitatem ab omni prorsus hæresis suspicione alienam in primis cōseruari oportere iudicaui. Cum igitur libellus ille incerto auctore XVI. kalen. Nouembris in oppido tuo formis excussus, & Nicolao Radiuilo Olicę Duci dicatus, plenus blasphemijs, impijsq; dogmatibus, plurimum, vt par est, Reuerendissimorum Collegarum meorum aures, animosque offendisset, ne ea contagio lōgius serperet, cum præsertim tua vnius culpa fieri credatur, vt publicę væneat, putaui esse te Christianè monendum, vt quando tuo exemplo cōmissi fidei tuę populi peccare sibi licere opinantur, omnem curam adhibeas, vt tam is, quam ceteri omnes libri, ex quorum lectione vetusti ritus, atque instituta damnantur, atque irridentur, ita de tua prouincia, & diœcesi extirpentur,

tur,

tur, perpetuoque exilio multentur, & comburantur, vt nulla vnquam ſpurciſſimis, impudẽtibuſque hæreticis via, adituſque poſt hac pateat in eam fraudulenter irrependi. Id quod te facilè, breuique ea ratione conſecuturum confido; ſi ſeueriſsimè in auctorem huiuſce libelli omni diligentia conquiſitum animaduerteris, grauique pœna propoſita caueris, ne quis in poſterum libros, vel aliunde aduectos vendere, vel cudere formis, aut etiam deſcribere audeat, antequam tua auctoritate teſtimonio publico conſignata facultas librarijs, vel impreſſoribus data ſit, vt in lucem libros proferant. Alioquin vides, opinor, in iſta præſertim prouincia, quæ nondum ſatis firma fides, veræque religionis fundamenta iecit, quàm verendum ſit, ne prorſus à Chriſto excidat plebs malè ſana, rudis, & impiorum hæreticorum fraudibus circumuenta, quamque paulo momento hùc illùc homines nouarum rerũ cupidi aſtutorum dolis, atque præſtigijs impelli poſſint. Quare dum recens vulnus eſt, curationemque admittit, ſumma cura, & diligentia adhibita dabis operam, vt ouium tuarum ſaluti tãquam bonus paſtor amicè, prudenterque conſulas, vtque Summus Pontifex de pietate tua, ſententiaque verè Chriſtiana, & orthodoxa primo quoque tẽpore certior fiat. Ego interim amiciſsimi hominis officio fungar, neque patiar contra tuam dignitatem quicquam ſtatui priuſquam de animi tui ſententia in alterutram partem comperta planè omnia, atque explorata habeãtur. Vale, & vt ſpero, atque etiam opto talem te præſta, qualem eſſe te cũ nos maximè cupimus, tum vero Chriſtiana pietas, munuſque tuæ dignitatis poſtulat. Romæ ſexto kalen. *Martij* 1554.

HENRICO BRVNSNICENSI, ET LVNAEBVRGENSI DVCI.

Laudat Ducem Catholicæ Religionis obſeruantiſsimum, eique ſuum auxilium in negotijs tractandis pollicetur.

AD ſextum Non. Martij litteras tuas accepi, ex quibus illud in primis libentiſsimè cognoui, te ea eſſe animi fortitudine, atque conſtantia, vt facilè quæuis aduerſæ fortunæ incommoda ſuperes; ea porro pietate, & obſeruantia erga orthodoxam, receptamque religionem, & Dei cultum, vt quidquid à Patribus traditum ſumma veneratione tot annos Catholica obſerua-

seruauit Ecclesia, id tu veluti sacrosanctum suspicias, atque defendas, omnique cura, & studio in tua prouincia inuiolatum planè tuearis, & præstes, in quo ego te verè pio, & Christiano proposito, atque sententia, vt perseueres, multisque exemplum, quod sequantur, prœbeas, non solum vehemẽter hortor, sed etiam oro, atque obsecro. Quæ autem hìc tua causa erunt agenda velim tibi persuadeas, me esse ea diligentia, & fide procuraturum, vt quantum ad me attinet, nullo vnquam officiorum genere tibi (quem mihi inter principes viros plurimi faciendum esse statui) beneuolentiæque meæ erga te singulari defuisse videar. Quare quũ primum ea in Senatum veniẽt, pro mea virili tuebor, atque ornabo. Vale, & me ama. Roma Nono kalen. Aprilis 1554.

EIDEM.

Commendat Laurentium Kircoff *Iure consultum.*

NVlla erat causa quòd ad te in præsentia scriberem, cũ quatriduo ante proximis litteris tuis diligẽter respondissem; nisi me amici quidam *interpellassent*, vt commendatione mea apud te Laurentium Kircoff Iure consultum, patritiumque Rostocsensem ornarem. Nam ita sibi persuaserunt, Laurentij rebus, atque negotijs magno vsui, adiumentoque futurum, si tibi hominem commendarem, quem ego amicorum causa, id à me precibus contẽdentium, commendo tibi, vt debeo, atque vt illius causa, meritaque postulant. Erit igitur mihi gratissimum (quod tua dignitate, & commodo vt fiat maximè cupio, optoque) si, quę tua est erga omnes humanitas, atque amor singularis erga me amici mei intelligent, ad ornãdum, complectendumque Laurentiũ te litterarum mearum commendatione propensiorem esse factũ. Vale Quarto kalen. Aprilis 1554.

CONSALVO PERETIO ARCHIDIACONO VIGLIENAE Philippi Hispaniarum Principis, & Angliæ Regis Secretario.

Testatur suam erga ipsum beneuolentiam, quam confirmat Iacobi Montagnani testimonio.

IAcobus Montagnanus consobrinus meus homo cum tui studiosissimus, tum amantissimus mei multa ad me nuper de egre-

egregia tua erga se voluntate, deque singulari probitate, eruditione, atque humanitate perscripsit, longaque oratione excellentes animi tui dotes, virtutesque complexus, vehementer à me contẽdit (si se naturæ, cognationisque vinculis mihi conuinctum, aliquo etiam suo merito aut antehac iure dilexissem, aut nunc diligerem) eius amoris, qui certè summus semper fuit, vt maiorem partem in te transferrem, quem mihi vnum omnium dignissimum proponit, in quo ego amando, omnibusque officijs ornando mirificè studium, operam, diligentiam, cogitationem denique conferre debeam. Nam præter quam quod in aula Amplissimi Principis gratia, & auctoritate plurimum potes: id ille putat esse primo loco numerandum, multoque etiam æstimandum pluris quòd ea omnia virtutum tuarum, doctrinęque merito, cum summa tua laude est consecutus. Quare sic habeto, eius litteris non dum planè perlectis, fores mihi perhonorificè apertæ sunt ad te noscendum, acresque additi stimuli ad excitandam non vulgarẽ, vel mediocrem erga te, sed eximiam quamdam vim, atque præcipuam amoris mei, cui quum primum te mutuum respondere sensero, (quod ego facturum te pro incredibili tua humanitate confido) nullum amicissimi hominis officium reliquum faciam, quo te (quoties affertur occasio) non liberaliter, prolixèque complectar, neque enim à me tibi partem aliquam beneuolentię, sed integrum, solidumque assem amoris deberi iudico: quando ita pulcherrima virtus tua iure optimo postulare videtur. In quo Iacobus meus cœca quadam amoris vi humaniter quidem certè, sed tamen mirum in modum deceptus est. Existimauit enim fieri non posse, vt te verè fratris loco diligerem, (quæ summa fuit votorum eius) nisi de sua parte desumptam veluti dodrantẽ veteris necessitudinis, vt beneuolentiæ ad te amandum, complectendũq; contulissem. Ego vero, & tui me amantissimũ esse profiteor, itaque tibi velim planè esse persuasum, & illum tantum abest, vt propterea minus diligã, quòd in te quoque vnicè amando eodem tempore studium, operamque pono, vt eo etiam nomine, quod minimè vnquam fieri posse ratus sum, arctiore me illi amoris, pietatisque nodo astrictum sentiam. Habes igitur mi Consalue pro vno, Iacobos duos, qui te mirificè diligant, tuaque causa plurimum velint. Reliquum est, vt quando Montagnanus meus te patrono ab optimo, æquissimoque Principe se impetraturum sperat, vt aliquando tandem graue Sardiniæ Prouinciæ

coelum

cœlum in mitius aliquanto, benigniusque commutet. Tu vicissim tibi persuadeas, quæcũque ab homine virtutis, bonarumque artium, & studiorum amantissimo, tibique summa quadam beneuolentia coniunctissimo sperari possunt, ea omnia tibi prompta à me, atque parata, & nunc maximè, & in posterum semper futura. Vale Roma Tertio Non. Aprilis 1554.

REGI POLONIAE.

In decimarum negotio Pontificis æquitatem laudat erga Regem. In Vicecancellarij negotio ab eodem Pontifice nil obtinet, ne alijs inferatur iniuria.

EX Maiestatis Tuæ litteris, quæ Nono Kalend. Ianuarij datæ ad septimum diem Kalen. Aprilis mihi redditę sunt; magnam voluptatem accepi, cum singularem erga se obseruantiam meam, egregiamque obsequendi voluntatem in suscipienda, cũ suorum, tum Regni totius negotiorum procuratione ita gratam Maiestati Tuæ esse cognoui, vt mihi ptopterea honorificis verbis gratias agendas putarit; quo nomine illi me denuo plurimũ debere fateor, daboque operam, ne eadem me quicquam sibi temerè promisisse intelligat. Nam in decimarum negotio transigendo nihil prætermisi quod ad id ex Maiestatis Tuæ sentẽtia conficiendum apud Summum Pontificem adiumentum aliquod afferre posse arbitratus sum: in qua re mirificè erga illam summi Sanctissimique Pontificis æquitatem, beneuolentiamque perspexi; quum primum enim me referente certior factus est de ea re Maiestatem Tuã magnopere laborare, omnesque vias ad pecunias pro bello aduersus Moschos sustinendo colligendas comparare, vt est animo maximè liberali, summaque constantia in tuendis, defendendisque quos semel in fidem suam complexus est, omnia benignè remisit, & condonauit. Itaque, vt Venerabilis Adamus ad Maiestatem Tuam plurimis verbis perscribet; nulla in Pontifice mora est, quin primo quoque tempore ex nostra sententia omnia expediantur. Quod vero ad Vicecancellarij causam attinet, ne multis iniuria fieret, si ad præteritum tempus ea concessio pertinere declararetur, non putauit Summus, Optimusque Princeps Maiestatem Tuam iniquo animo esse laturam, si æquitatis, iustitiæque causa in eo negotio se non ita facilem præbuisset, vt

set,vt in cæteris ante hac sēper præbuit.Ego vero quod ex aliorum incommodo alios sua sibi commoda comparare iniquum esse iudicaui,non sum ausus quicquam contra tam iustam Principis sententiam postulare. Hæc sunt quæ in præsentia ad Maiestatem Tuam scribenda esse paucis duxi,magis vt illam aliquo voluntatis, obsequijque testimonio prosequerer, quàm, vt in eo genere mihi laborandum esse statuerem , in quo Adamum summa vigilantia, summaque industria,& iudicio virum certo scio Maiestati Tuę cumulatè satisfacere. Valeat Maiestas Tua felicissimè,& me sui studiosissimum esse confidat . Roma xviij Kalen. Maij 1554.

IOANNI PRZEREMPSKI VICECANCELLARIO.

Non decet à Pontificis liberalitate postulare , quæ æquitati aduersantur .

SCribet ad te pluribus, opinor, Adamus, quæ hìc tua causa à me facta sunt, neque enim meum esse iudico , vt omnia ad te amoris, beneuolentiæque erga te meæ officia , quæ certè plurima , egregiaque sunt, litteris meis perscribam: tantum dicam, me sedulo curasse omnia , quæ tibi honori , & commodo futura esse existimaui : quum vero eò ventum est , vt nisi cum certa,insignique aliorum iniuria quæ maximè postulabas obtineri non posse intellexi , præsertim à Summo Pontifice, qui miro semper studio iustitiæ, æquitatisque causam tueri, atque defendere censuit : illius liberalitem grato animo accipiendam, tuoque nomine gratias,illi etiam singulares agendas esse statui.Quare non est quod summi Pontificis benignitatē minorem erga te fuisse propterea suspiceris. Quæ enim cum aliorum incommodo , iniuriaque coniuncta sunt , ea virum bonum, prudentemque postulare turpe semper est habitum . Si quid erit post hac, in quo tibi ego quantum te diligam , quantique meritò faciam vllo officiorum genere declarare possim peto à te , vt existimes pergratum te mihi esse facturum, si me omnia tua causa velle tibi planè persuaseris. Vale Roma xviij. kalen. Maij 1554.

IOANNI OCESCIO CANCELLARIO, ET MINORIS Poloniæ Capitaneo Generali.

Inuitat ad fouendam mutuam amicitiam virum Catholicæ Religionis accerrimum defensorem.

CVm sæpe ad me Venerabilis Adamus de Regis Vestri Serenissimi, totiusque florentissimi istius regni negotijs aliquid acturus adire solitus esset, illud in primis animaduerti, nullum vnquam de religione sermonem incidisse, in quo ille te non mirificis laudibus amplissimè ornarit. Egregiam enim animi tui pietatem in deploranda Reipublicæ Christianæ calamitate, intuendo vero, ac restituendo Catholicæ Ecclesiæ veteri, receptoque à Patribus cultu eximium studium tuum, præcipuumque semper fuisse mihi confirmauit. Quare factum est, vt ex quo primum die de tam præclara, excellentique virtute tua tam multa, tam honorificè ex Adamo audissem, te non vulgari, aut mediocri, sed summa quadam, singularique beneuolentia tacitus complexus sim. Existimaui enim te, cuius industria, operaque in grauissimo, necessarioque munere obeundo prudentissimus Rex vteretur, ea nobilitate, & auctoritate virum maximè dignum esse, quem ego amandum, amplexandumque omnes animi, ingenijque mei vires conferrē, & aliquo etiam litterarum mearū testimonio de propensa animi mei erga te voluntate certiorem facerem, ac quodammodo ad mutuam beneuolentiam, amicitiamque inuitarem. Quare cum mecum hodie multum Adamus fuisset, rogassetque, numquid litterarum ad Regem, numquid ad Vicecancellarium daturus essem, ego vero, inquam, ad Cancellarium libentiùs scripturus eram, si certi tabellarij spes, aut occasio vlla detur. Imo, inquit ille, & tabellarius adest, atque istud ipsum mihi erit gratissimum, vt Ocescius intelligat me ea de re apud te prædicasse; quæ ego semper plurimi feci. Scripsi igitur ad te prior, vt scires tibi apud me honestissimum amicitiæ locum paratum esse, in quo equidem absentem te cupidè complecti soleo. Tu si meam erga te eximiam voluntatem tanti, vt spero, facias, quanti ego hoc præsertim tempore; pietatem tuam erga religionem, ritusque Ecclesiæ conseruandos, retinendosque existimandam esse iure optimo statuo; non dubito quin & me vnicè sis redamaturus, & omnia tua studia ad Christi

causam

causam tuendam, hæreticorumque, vel occultas insidias, vel apertas etiam artes, machinasque euertendas sis collaturus. Vale, & me primum Serenissimo Regi plurimum commendato, deinde omnia me tua causa libenter esse facturum confidito. Romæ xviij. Calend. Maij 1554.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Dolet aliquorum negligentia litteras intercidisse. Archidiaconatus collationem Pontifici esse reseruatam. Hortatur litigantes ad concordiam vt sumptibus parcant. Promittit se curaturum à Pontifice facultatem animaduertendi in Monachos, denique admonet ad custodiendum gregem ab hæreticorum incursu.

Binas litteras tuas accepi, alteras Nonis, alteras septimo Idus Februarij scriptas, quæ ad me diuersis temporibus allatæ sunt, cum enim primas XIII. kalen. Aprilis accepissem, secundæ pridie Idus sunt mihi redditæ, ex quibus illud in primis magna cum mea molestia cognoui litteras scilicet meas, quibus ego ad tuas accuratissimè responderam, intercidisse. Nam, vt Georgius ipse narrauit, cum Cracouiam perlatæ essent, aliquorum secordia, quibus id negotij datum erat, vt tibi, qui non procul à ciuitate aberas, reddendas curarent; planè quod dicitur, in portu naufragium fecerunt. Ego, qui tuarum rerum causa magnopere semper laborassem, eam iacturam iniquo animo tuli, hominumque neglīgētiam in litteris perferendis, penè plus odi, quàm in reliquis rebus agendis, quæ tamen ad humanas nostras rationes, & commoda referantur. Quare proximis litteris perlectis, cum tibi magnæ curæ esse viderem, vt Benedicto Cosminio, viro sacrarum litterarum peritia, vt affirmas, morumque integritate ornato, quacunque ratione fieri posset, opem ferrem, atque ego iustane, an iniusta illius causa esset, non dum scirem, curaui statim per Georgium Ticinium, qui te in primis colit, atque obseruat, vt de toto negotio certior fierem. Is igitur mihi rem omnem ordine, vt gesta esset, vt nunc se haberet, quoque iure Nicolaus Lassotta, quo Passek Archidiaconatum Sendomiriensem sibi vindicent, & narrauit fideliter, & descripta etiam specie, formaque negotij, quæ animi sui sententia esset aperuit. In quam sententiam non pedibus, vt aiunt, sed tota animi mei, iudicijque

approbatione libenter à me discessum est. Quæ enim reseruata,& affecta Sacerdotia, benefitiaque vocantur, ea nullam facultatem Episcopus habet conferendi, nisi id expressis luculenter verbis Pontificio diplomate ab eo impetratum fuerit. Habes igitur quid tibi de iure respõdeam, si ita res habeat, vt se mihi habere Georgius confirmat. Sed quia plerumque accidit, inter eos, qui lites sequuntur, vt in re non admodum clara, malint sumptibus parcere, & certa aliqua re percepta inuictos, quàm tota re acquisita victores, aut amissa victos discedere; erit, opinor suadendum Benedicto, vt non cum Lassotta, sed cum Passek æqua aliqua cõditione proposita de Archidiaconatu transigat. Quod negotium, si erit hìc alicui ipsius mandato creditum, omni diligentia, operaque mea prosequar, atque iuuabo. Idem faciendum censeo de altero S. Thomę, in quo Stanislaus Cziolek præferri debet omnibus; cum tam suo proprio, quam etiam collitigantis mortui iure, in quod surrogatus fuit, Benedicto potior sit. Quod vero ad extremum tuarum litterarũ caput attinet de Episcopo Cuiauiẽsi dabo operam, quum de ea re procurator me conuenerit, vt intelligas me nihil prætermisisse quod tibi vsui, aut honori futurũ esse intelligerem. Cœnobiorum autem curam, quam tibi à Summo Pontifice demandari tantopere postulas, propterea quod Abbatum, & monachorum relaxationes amplius ferri nequeant, multo facilius obtinebimus; si prius exemplar illud litterarum à Leone Pontifice ad Cracouiensem Episcopum olim missarum, nacti erimus. Erit enim illud ad mouendum Pontificis animum magnum pondus allaturum, si superioribus etiam annis monachorum facultatibus, quæ liberam peccandi licentiam præbuerunt, derogatum fuisse confectis, obsignatisque tabulis in eadem ista prouincia ostenderimus. Quare primum curabo, vt exemplar illud litterarum habeamus; deinde si in eo perquirendo, & reperiendo non admodum fauerit nobis fortuna, nihilo tamen minus à Põtifice cõtẽdã, vt & ruẽti religioni, & dissolutis monachorũ moribus, nouo exemplo missis ad te in eamdem sententiam litteris consulat. In quo ego Sanctissimi Principis voluntatem nihil morę nobis allaturam arbitror. Tu quod sedulo ante hac semper fecisti, omnes tuas cogitationes transfer ad curandum laborantem gregem, qui nisi tua, aliorumque paucorum industria, & vigilantia custodiatur, reuoceturque à noxijs, venenatisque ad salubria pascua, verendum est ne aliquæ morbosæ pecudes conta-
gione

gione reliquas inficiant; ita passim audio hæreticorum artes in ista prouincia liberè ne dicam licenter, turpiterque grassari. Peto igitur abs te etiam, atque etiam vehementer, vt auctoritate tua aliquid tandem effectum præstes, in quo & Regni istius, florentissimique religio iuxta Patrum nostrorum veteres, receptosq; ritus, & instituta sacrosancta, instaurata, & impiorum hæreticorũ licentia ita fracta, castigataque appareat, vt nihil vltra ausuros illos sperare plane possimus. Vale, meque Serenissimo Regi plurimum commendato. Roma XI. kalen. Maij 1554.

EPISCOPO PLOCENSI.

Arguit eum eo quòd non permiserit publicari censuras Auditoris Cameræ ad instantiam Georgij Canonici cui insuper exilium à Prouincia minatus fuerat.

CVm mihi magnę curæ sit nõ modo regni istius quies, & dignitas; sed etiam singulorum, vel mediocre commodum; putaui mihi esse ad te scribẽdum: toties, quoties priuatæ alicuius vtilitatis causa, ratioque postularet. Quare cum ad me allatum esset Georgium Volskium Canonicum Pultoniẽsem grauissimis iniurijs affectum à Laurentio Miloszouuski sacrifico item Pultoniensi, propterea quod ius suũ in hac curia contra eumdem tueretur, laicorum quorumdam opera, te conniuente, è regno prope eiectum, atque proscriptum esse. Nolui committere, vt de re tanta, nihil ad te scriberem; cum in ea præsertim Summi Pontificis auctoritas, Sedisque Apostolicę iurisdictio non leuiter videatur esse contempta. Nam primum censuras, quas Georgius ab Auditore Cameræ obtinuerat, publicari in prouincia, & diœcesi tua non es passus, deinde etiam aduersarij causa ne ad hanc curiam euocaretur, Georgio denũciatum exilium à tota prouincia, & regno: quod certè cum pessimo exemplo, tum etiam Apostolicæ Sedis contemptione, & iniuria factum esse, quiuis sanæ mentis intelliget. Curabis igitur pro virili, vt in tua diocæsi integrũ, sacrosanctum, inuiolatumque ius Apostolicæ Sedis omnino conseruetur, Georgijque rationibus ita consulatur, vt quæ iniuriosus sacrificus pro sua petulantia meretur, auferat, & Georgius per te ius suum facilè consequatur. Erit id cum mihi gratissimũ tua, regnique totius causa, tum tibi ex ea re primũ iusti viri laudem,

dem, deinde etiam Pontificiæ auctoritatis, vt par est, obseruantisimi, studiosissimique nomen comparabis. Vale Roma Quarto kalen. Maij 1554.

REGI POLONIAE.

Pontifex non potest iudicare, inaudita parte, controuersiam cum Coloniensibus, promittit tamen suam, & Cardinalium Veralli, & Medici opem.

CVm ad xvj. Calen. Iunij litteras Maiestatis Tuæ accepissē, in quibus erat diligentissimè perscriptum quo iam pridē consilio à Sigismundo Rege Patre Maiestatis Tuæ lex sollemni more de sententia omnium Ordinum lata esset de regni totius Monasterijs obtinendis, sapientissimi Regis prouidentiam magnopere laudaui, omnemque diligentiam, cognitionemq; meam adhibendam esse duxi, vt ne quid aduersus eam legem; quantum ratio, æquitasque postulabunt, Colonienses ciues perficere possint; cum præsertim nullo antiquo iure, aut pactione id sibi vindicare conentur; nam annalium testimonium præterquā quod per se ipsum infirmum, inualidumque semper est habitum, cum priuatim conscripti sunt, eo etiam nomine repudiandum est, quod nihil omnino cuiusque proprium relinqueretur, si homines potentes, & cupiditate corruptissimi eam sibi viam ad spoliandos omnibus bonis, & fortunis veros dominos aperire, munireque possent. Quare si Coloniensium ius eo fundamento nititur, præterea vero nulla conuentione, aut stipulatione sustinetur, non dubito quin cito sit turpiter ruiturum. Quod autem Maiestas Tua à me petit, vt dem operam, vt à Summo Pontifice decernatur, ne liceat posthac Coloniensibus de ea re ad iudices referre, aut Monasteriorum Abbatibus ea de causa negotij quicquam facessere; cum id ego Maiestatis Tuæ nomine Pōtifici exposuissem, respondit ille, hoc eiusmodi esse, vt nisi sacrarum legum, iudiciorumque religione violata fieri omnino non possit. Indicta enim causa condemnare aliquem non magis officium iudicis esse, quam si dormientem quis occideret; propterea quod cum latronem esse temerè quiuis alius esset suspicatus. Quare non videre se quo pacto imperari Coloniensibus silentium liceat, nisi prius, causa cognita, pronunciatum fuerit

nullum

nullum ius illis monasteria sibi vẽdicandi habuisse. Id quod ego posteaquam fuerit ita iudicatum, bona fide polliceor me curaturum, vt impetretur. Interim quod lege cautum est si quæ Abbatiæ vacabunt, ex lege iis demandabuntur, qui ex equestri ordine ad eas sanctissimè, prudenterque administrandas, idonei magis iudicati erunt. Colonienses autem si causam suam defensuri aduenerint, nihilque præter annalium fidem, testimoniumque attulerint, iam mihi videre videor, quo vultu spe sua frustrati, atque delusi ex Vrbe in Germaniam redituri sint. Quare bono animo sit Maiestas tua, speretque & mea, & Reuerendissimorum Collegarum meorum Veralli, & Medici diligentia perfectum iri, vt cum dignitate Maiestatis Tuæ omnis de monasterijs controuersio cum Coloniensibus ex iure, & æquo primo quoque tempore dirimatur, atque tollatur. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Roma vj. Id. Iunij 1554.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Pollicetur suam diligentiam in negocijs à Regio Secretario tractandis. Misisse testatur Pontificium diploma de Monasteriorũ gubernatione. Pellium munus sibi gratum fuisse. Promittit se defensurum Ius Philippi. Denique arguit Episcopi negligentiam in sustentanda hæreticorum licentia.

AD xvj. Cal. Iunias litteras tuas accepi, in quibus à me petis, vt quæcunq; Lucas Podoski Secretarius Regius mihi tuo nomine nunciabit, ita credam omnia, itaque curem, vt si tu ea à me præsente præsens postulares. Ego vero tibi polliceor quum is aduenerit me bona, fide præstaturum, vt cum in negotiorum tuorum procuratione Lucas intelligat te à me mirificè diligi, fierique merito plurimi, tum vero se tua causa ita mihi carum esse, atque iucundum, vt si iam pridem mihi summa aliqua coniunctione, atque officijs coniunctus fuisset. Quod cupis de Monasteriorum cura, vt tibi demandetur, iam dudum quid fieri posset, quidue me in ea re consecuturum sperarem diligenter ad te perscripseram; nunc verò quid actum sit malo te ex ipso Pontificis diplomate, quod Ticinius tuus ad te misit, quàm ex meis litteris cognoscere. Non enim mihi in re tam anxiè à te propter publicam vtilitatem cupita quiescendum duxi, nisi

prius

prius ex ſententia noſtra commodè confectum negotium eſſet. Illud me vehementer angit quod nihil à me litterrarum iam ex eo tempore te accepiſſe ſcribis; quo confectis regijs nuptijs Archiepiſcopus Theatinus ad nos redijt, qui mihi abs te egregium pellium munus attulit. Ego vero ſtatim ad te reſcripſeram, & tibi de munere gratias egeram, quarum litterarum exemplum, itemque earum, quas poſtea diuerſis temporibus ad te dedi, curaui ad te per Ticinium perferendum, vt planè intelligeres, me in ſcribendo impigrum eſſe, præſertim ad eos, quorum mihi beneuolentiam ſummo ſtudio, omnique officio iure optimo retinendam, conſeruandamque eſſe ſtatui. De Archidiaconatu Eccleſiæ tuæ, ſi quid hìc apud nos Philippi aduerſarius tentabit, dabo operam, vt præter ius, & æquum nihil conſequatur; quod enim tibi aliud in ea re pollicear, non habeo; tibi certè me ſatisfacturum eſſe ſpero, ſi ita Philippum tuear, atque defendam, vt ius ſuum quam minimo fieri poteſt ſumptu, breuique tempore obtinere poſſit. Quia ad nos quotidie afferuntur multa de hæreticorum iſtinc creſcente audacia, atque licentia, & præſertim in Eccleſia tua Cracouienſi, vbi impunè iam omnibus hæreticorum more viuere, eorumque inſanias in vulgus ſpargere, libros etiam publicè legere, & quod caput eſt, in parochijs illorum dogmata de ſuggeſtu defendere, & docere licet, te interim ruri agente, atque in tanta fidei, religioniſque perturbatione conniuente; viſum eſt ad te ſcribere, non eſſe id amici, verique paſtoris munus, dum oues intereunt, dum maximè indigent ope, eas quaſi pro derelictis habere. Quare oro te Cracouiam redi, præſertim dum Rex abeſt, ne ſero poſtea oues requiras, cum nullæ erunt. Vale Roma vj Id. Iunij 1554.

REGINAE POLONIAE.

Promptum animum exhibet in negocijs Iacobi, qui tamen post redditas litteras nunquam comparuerat.

ATtulit ad me Venerabilis Iacobus Hiclosk Plocenſis Canonicus Maieſtatis Tuæ litteras, quibus illum mihi eadẽ diligentiſsimè commendauit. Ego verò qui Maieſtatis Tuæ cauſa libenter omnia facere ſoleo, hominem ſtatim complexus ſũ, eique omnem meam operam, & diligentiam ſum pollicitus, ſi

qua

qua in re vsui, atque adiumento illi esse posset, quod equidem bona fide præstitissem, si ille vti in suo negotio voluisset. Sed ex quo die litteras Maiestatis Tuæ mihi reddidit, numquam ad me venit, aut aliquid mihi significauit Quare puto hominem existimasse in eo, quod ipse per se agere commodè posset, si opem meam implorasset, in timidi nimium, aut certè ignaui hominis nomen, suspicionemque apud aduersarium se fuisse venturum. Itaque nihil à me vnquam postulauit, in quo ego illi ostendere possim quanti commendationem Maiestatis Tuæ meritò facerē, quantumque eidem deberem. Quod si fecisset, pro singulari mea erga eamdem obseruantia, fuisset mihi gratissimum. Valeas Maiestas Tua felicissimè, & me sui studiosissimum, obseruantissimumque esse sibi persuadeat. Romæ Quarto Id. Iunij 1554.

IOANNI VVESSOCZKI SECRETARIO REGIO.

In prorogatione Commendæ Landensis non esse laborandum. In causa Coloniensium Pontifex silentium illis imponet.

ET si scio me tibi iam pridem esse pollicitum quidquid hìc tua causa agendum erit, in eo me nihil esse prætermissurum eius officij, quod amicissimi hominis causa præstari debeat; tamen quod in dies audio te de prorogatione commendæ Monasterij Landensis vehementius laborare, idque, vt ego quidem sentio, neque opportuno satis tempore, neque in re ad expediēdum facili à procuratoribus tuis postulare, nolui committere, vt hac tua festinatione rem per se difficilem, difficiliorem etiam redderes, auctorque fui procuratoribus tuis, ne de ea re quicquā hoc tempore postularetur. Nam cum tibi quatuor adhuc anni supersint, non dubito quin se nobis pulchra aliqua interea offeratur occasio rei ex nostra sententia conficiendæ. Quare si sapies, procuratores tuos non vrgebis; sed in monasterij administratione, ita te geres, vt de virtute tua aliquid hùc afferatur, quod si à Pontifice fuerit auditum, faciliorem tibi illum reddat ad largienda quæ petis, & tantopere cupis. De Coloniensibus, qui sibi ius in tres Abbatias Regni Poloniæ vindicare conantur (quemadmodum ad Regem Serenissimum pridie scripsi) cum ad Summum Pontificem retulissē, pollicitus est se silentium illis imperaturum, simul atque eos constiterit vanis, friuolisque

 testimo-

testimonijs, rationibusque nisos hoc negotium vobis immerentibus voluisse facessere. Vale. Roma Quarto Id. Iunij 1554.

REGI POLONIAE.

Pontificis, & Cardinalium nomine reddit illi gratias pro diligentia in extirpandis hæreticorum seminibus. Renuntiat Regni protectionem præsenti Cardinali Farnesio.

ET si iam pridem mihi persuaseram, nihil vmquam officii, aut diligentiæ à Maiestate Tua prætermissum iri, vt multis modis laboranti, malèque affectæ Christianæ Reipublicæ opem pro virili eadem ferret; proximis tamen eiusdem litteris acceptis sum vehementius confirmatus; quum non modo quæcunque ego de libelli corruptissimi editione meo nomine ad Maiestatẽ Tuam scripseram, in bonam partem accepit; verum etiam omnem operam suam libenter pollicita est ad extirpanda iam nimium crescentia in suo regno hæreticorum semina, de quo tam pio, quàm verè regio animo, atque voluntate cum Summi Pontificis, tum vniuersi etiam Senatus nomine Maiestati Tuæ gratias ago, quæ sperare primum debet eius rei magnam se à Deo Optimo Maximo mercedem esse relaturam, deinde existimare nihil hoc tempore Christo gratius, nihil Reipublicæ vtilius, nihil salutarius fieri posse, quàm si ab hæreticorum mendaciis, præstigiisque regnum suum ita vindicet, atque tueatur, vt teterrima ea peste procul propulsata in pristinam, & à Patribus traditam religionis, cultusque diuini obseruantiam populi redeant. Ad eam rem perficiendam neque consilium, neque facultas Maiestatis Tuæ vnquam deerit. Quod vero ad regni protectionem attinet, ego dum Reuerendissimus, atque Illustrissimus Farnesius abfuit, vt Maiestati Tuæ, quæ mihi id muneris imponendum duxerat, vt par erat, satisfacere diligenter curaui, vt omnia ex sua sententia transigerentur. Nunc vero quando adest Farnesius, in cuius absentis locum à Maiestate Tua suffectus eram, non committam, vt hanc negotiorum procurationem quisquam à me, aut ambitiosè quæsitam, aut auidè retentam existimare possit. Iure igitur suo & Maiestas Tua, & Farnesius vtetur: mihi satis superque à Maiestate Tua tributum adhuc est,

huc est, quam ègo vehementer etiam, atque etiam oro, atque obsecro, vt posthac semper nihilo me minus sui studiosum, cupidumque esse arbitretur, quàm antehac fui. Id enim mihi erit gratissimum, si Maiestas Tua sibi persuaserit me sua causa libentissimè omnia esse facturum. De nouarum legum promulgatione non est quod Maiestas Tua vel minimum laboret; nam præter quam quod omnia summo consilio agentur, Maiestatis Tuæ, totiusque regni ratio à Summo Pontifice, totoque Senatu habebitur. Cum igitur tempus erit, scribet eadem ad nos, qua ratione regni sui commodis consulendum erit; nam in ea re neque studium meum neque Summi Pontificis voluntas desiderio Maiestatis Tuæ defutura est. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Romæ Nonis Sextilis 1554.

EPISCOPO LAODICENSI ANDREAE SCHPOTO.

Gratias ei agit pro remissis equis, quos ad iter faciendum necessarios restituerat.

ET si te hominem paucis diebus, vel vt verius dicam paucis horis mihi cognitum, talem esse mihi persuaseram, vt quæ liberali, ingenuaque fronte tacitus de te palam omnibus polliceris, eadem cumulatissimè omnia bona fide re ipsa præstares; tamen fateor fefellisti plurimum opinionem meam, ne dicam longè vicisti. Nam cum tibi profectionem, reditumque in prouinciam paranti necessarios esse intelligerem ad iterfaciẽdum equos, quos tu mihi muneri miseras, renui ea de causa accipere, quòd existimabam ad amici officium pertinere abeuntem amicum ijs adiumentis prosequi, quæ vsui esse in itinere possent. Verum eiusmodi consilij ratio ne mihi constaret, singularis tua liberalitas effecit; quum palam quidem visus es cõsilium meum probare, vt equis tuis in ea profectione vtereris, quos tamen paulò post mihi nihil minùs expectanti remisisti. Qua in re primum, vt debeo, tibi gratias ago, deinde etiam admirari libet magnitudinem animi tui, beneuolentiæque erga me. Hæc enim te maximè, vt arbitror, impulerunt, vt insigni, insperataque munificentia liberalitatem tuam testatissimam apud me relinqueres, quasi veritus nisi ea, quibus tibi ad iter maximè opus esset, mihi donasses, ne vulgari quodam, ac non eximio,

 præci-

præcipuoque modo me abs te diligi quisquam suspicari posset. Ego vero, qui suauissimos ingenij, animique tui mores iam exploratos, planèque perspectos habebam, putaui te æquo animo esse laturum, quòd munus tuum recusassem, quando me ad id faciendum propterea adductum esse intelligere per te facilè poteras, ne tibi necessaria ad iterfaciendum adiumenta eo tempore adimerem, quum maximè eorum vsus esset. Sed vicisti tu quidem opinionem meam in hac re, quemadmodum etiam expectationem hominum, cui tu cumulatiùs omnium virtutum genere respondisti, quàm de te aliorum honorifica prædicatione promissum esset. Quare scito te à me mirificè diligi, nihilque mihi gratius fieri posse, aut iucundius, quàm si tibi persuaseris me tua causa, quem plurimi facio, libenter omnia esse facturum. Vale Roma Tertio Id. Augusti 1554.

EPISCOPO LVCEORIENSI VALERIANO.

Eius constantiam laudat, quem hortatur, vt omnem adhibeat diligentiam ad profligandas hæreticorum artes.

AD xvj Calen. Octobris litteras tuas accepi, ex quibus primum illud incredibili cum voluptate cognoui, te eo animo litteras meas accepisse, quo Christianum hominem benè, fraternèque monentem accipi, audirique debere non ipsa tantum humana ratio, verum etiam Euangelica instituta præscribunt. Quare scito me ea de causa, & tibi amiciorem esse factum, & ad dignitatem tuam defendendam, atque ornandam post hac ita studiosum fore, vt nullum à me amicissimi hominis officium sis omnino desideraturus. Quamquam maluissem equidem pro vniuersæ Christianæ Reipublicæ, istiusque regni maximè commodis, nihil mihi vnquam eiusmodi occasionis ad te amandum datum esse, quando ea res plus mihi molestiæ, solicitudinisque intelligo in dies afferre posse, quàm, vel quilibet suspicari facile valeat, vel ego me tibi quantumuis longa oratione satis explicaturum, aut persuasurum esse confido. Nam quid mali non timendum est, vbi vicina contagio, iam firmioribus radicibus actis, fines nostros ingressa, eorum animos occupauit, quorum, & auctoritas apud Regem summa est, & apud populum potentia formidolosa? Neque enim si tua diligentia (quam te ad eam

rem summo studio iam pridem adhibuisse, & nunc maximè adhibere certò scio) grassanti huic morbo aliqua ex parte itum fuerit obuiam, sperare tamen debeo, (nisi aliorum etiam Episcoporũ, ipsiusque Regis Serenissimi conatus omnes ad id malum prorsus eruendum, extirpandumque maturè collati fuerint) amplissimum istud regnum, florentissimamque prouinciam in pristinam religionem, sacrorumque veteres ritus facilè restitutum iri. Facis tu quidem pro tua pietatate, quod te virum ista dignitate, ac munere prȩditum decet; sed maiore vi, multorũque procerum consensu, conspiratioeque opus est ad profligandam corruptissimorum hominum factionem impiam, atque sceleratam. Quamquam si semel in magni nominis aliquem illustri edito exemplo animaduerteretur, idque Regio consilio factum esse appareret, magna profectò spes esset suppliciorum metu perterritos infimæ, mediocrisque conditionis homines hæreticorum insanias detestaturos esse. Quare, vt ego quidem sentio, bonorum omniũ, maximèque Episcoporum, atque in primis tui partes sunt, vt Regem Serenissimum seriò, audacterque moneatis, vt si Christi causam in regno suo defensuram, remque publicam saluã velit, ne diutius conniueat; sed post religionem rebus omnibus habitis, aliquando tandem hæreticorum licentiam coërceat, quod illi nullo pene negotio successurum spero, si factionum capita præcipuè petat, seuerissimoque exemplo in aliquo procere fortiter edito, deterreat multitudinem à sectandis impijs hæreticorum dogmatibus. Ad eam igitur rem perficiendam, cum te velim omnem curam, cogitationemque conferre, tum etiam cæteros adhortari, vt tecum de ea re ad Regem adeant, contendantque, vt si minus Dei optimi Maximi causam tueri quam par est, studet, & saltem quieti, ac tranquillitati Regni sui etiam, atque etiam videat, quomodo optimè consulat, proponatque sibi ante oculos, quos tumultus, quàm atroces, inextricabilesque dissensiones ea pestis in Vniuersa Germania primum disseminarit; ad quam deinde Anarchiam populi paulatim exitialibus venenis imbuti, palam excitata seditione aspirarint; postremo ad quàm infelices exitus plerisque in locis vnius, aut alterius fraude, dolisque seductæ integræ penè prouinciæ deuenerint. Tu interim quod cæpisti, perge improborum, perditorũque contumaciam seuerissimis edictis, pœnisque prosequi. Ego vicissim hic nihil prætermittam, quod ad dignitatem tuam, pietatemque

temque

temque à maleuolorum rumoribus vindicandam, atque tuendã pertinere arbitrabor, non modo apud Summum ipſum Pontificem, verum etiam apud omnes amplissimi ordinis viros, quorũ animos ſummo ſtudio, curaque adhibita polliceor me tibi eſſe conciliaturum. Vale Roma pridie Non. Octob. 1554.

EPISCOPO CRACOVIENSI ANDREAE.

Innocentiam eius maleuolorum opera inſimulatam cognoſcit, quem hortatur, vt apud Regem ſuam interponat induſtriam ad reprimendam hæreticorum audaciam, eique commendat Georgium Ticinium.

EX tuis proximis litteris, quæ mihi ad xvj Calen. Octobris redditæ ſunt, & ſeceſſionis tuæ ab Vrbe Cracouia cauſam, conſiliumque cognoui, & te longè ſemper abfuiſſe ab ea culpa, cuius te maleuolorum fortaſſis opera, rumoribuſque ſparſis inſimulatum hìc apud nos fuiſſe, ex meis, aliorumque litteris intelligere facilè potuiſti. Quare eſt quod tua cauſa gaudeam, quũ ea vana eſſe comperi, quæ ſi vera fuiſſent, nequeo videre quo pacto deſertoris notam, infamiamque declinare potuiſſes. Quãquam autẽ inuidorum tuorum conatus irriti omnes adhuc fuerunt, quatenus in te eiuſmodi crimen hæreret; illis tamen aliquid debendum eſt; quòd tibi viro alioqui tua ſponte vigilantiſſimo, ne quid vnquam, vel leuiſſimi ſomni in tam neceſſaria, tantique momenti re obrepere poſſet, iniqua, atque improba ſedulitate fecerunt. Ego vero, qui non modo regni iſtius florentiſſimi: ſed etiam ſingulorum priuata commoda magnopere cupio, præſertim verò quando cum tua dignitate ita coniuncta ſunt, vt ea ſine inſigni exiſtimationis tuæ iactura omitti nequeant. Illud à te vehementer etiam, atque etiam peto, vt quando in hæc calamitoſa tempora incidimus, nihil intentatum relinquas, vt tãdem Regem Sereniſsimum veris rationibus adhorteris, permoneaſque, ne diutius ruenti in regno ſuo religioni, opem ferre ſuperſedeat. Qua in re nolim eum immenſa, multiplicique curarum mole obrui; tantum nobile aliquod exemplum edat, quo perterriti reliqui omnes nouis rebus ſtudere deſinant; id autem vel minimo negotio ea maximè via conſecuturum illum confido, ſi in primi ordinis, ſummique nominis aliquem animaduerterit,

terit, qui tamen hæreticis opinionibus malè imbutus ducem se cæteris præbeat, suaque auctoritate, & opibus multitudinem tueatur, & foueat. Id si sibi vni difficilè factu videbitur, nolim te propterea spem prosperi successus abijcere; aderit præsenti numine suo Iesus Christus, causamque ipse suam sustinens adiuuabit conatus tuos. Præterea aliquot tui ordinis pios viros, atque in primis Regi gratos ad eam rem perficiendam socios tibi asciscere operæ pretium esse arbitror, quorum coniuncta voluntas; atque auctoritas à Serenissimo Rege plurimi iure optimo fiat necesse est. Quare enitere quantum potes, vt omnes intelligamus abs te nihil esse prætermissum neque priuatæ diligentiæ, studijque tui,neque etiam operæ ad mouendum Regem adhibitæ, vt ex ista prouincia hæreticorum semina primo quoq; tempore euellantur, atque extirpentur. De indulti confirmatione scribet ad te pluribus Georgius Ticinius, quem ego hominem cupio tibi esse commendatissimum. Is enim tanta diligentia res tuas curat, vt nihil fieri posit,aut optari diligentius. Feceris igitur mihi gratissimum si tua causa hominem omnia volentem,atque præstantem summo aliquo beneficio prosequeris. Vale Roma pridie Non. Octob. 1554.

ANDREAE SCHPOTO EPISCOPO LAODICENSI.

Patronum se exhibet ad tuendum Ius Abbatum contra Colonienses.

QVamquam nulla vnquam rerum, quæ ad te pertineant, obliuione capere potest; tamen amaui in ea re diligentiā tuam; quum mihi gratissimum sit litteras tuas amoris, iucunditatisque plenas frequenter legere: Quare confirmo tibi memorem me negotij tui, simulque Abbatum omnium fore. Volo enim te existimare fieri nunquam posse, vt quo consilio ad te amandum vnicè adductus sum, eius me aliquando pœniteat. De Coloniensibus nihil est quod verearis; quid enim illi in iudicium præter annalium fidem, idest rem planè ridiculam afferre possunt? Firmioribus, certioribusque fundamentis nitantur oportet si ius sibi ad tam ampla Sacerdotia, monasteriaque vindicare contendunt. Quare iubeo te minimè de ea re esse sollicitum, quæ per te ipsa satis contra huiusmodi pueriles inep-

tias

tias tuta, & munita est Si quando verò aliud afferent, tum me huius causæ patronum sedulum, æquumque iudicem agnosces. Reliquum est, quando ego te magnoperè diligo, istiusque nationis viros, præsertim tui similes eximia quadam beneuolentia semper sum complexus, tu contra non modo me diligas: verum etiam omnibus, vt ad me mutuo amandum voluntatis aliquid vltro afferant, & tuo exemplo, & omni ratione persuadeas. Vale Roma pridie Non. Octob. 1554.

IOANNI OCESCIO R. P. CANCELLARIO, & Minoris Poloniæ Capitaneo Summo.

Laudat eius diligentiam in extirpandis hæresum dogmatibus, commendatque Adamum Regni Procuratorem.

MIsit ad me nudius tertius Adamus Conarski exemplum litterarum tuarum dumtaxat eius capitis, in quo primũ tecum benè, prosperèque actum gaudes, quòd oblata mea erga te singulari voluntate, ac beneuolentia Cardinalis Maphæi desiderium conquierit; deinde etiam diligentiam tuam narras in eo, quod statim ad Regem Serenissimum nuncium miseris, quum primum de libelli nefarij editione per litteras nostras cognouisti. Quare scito vtrumque mihi gratissimum accidisse, tum quòd meam erga te voluntatem plurimi facere videris, tum præsertim quòd pro veteri nostra religione, receptoque sacrorũ ritu stare te non obscurè profiteris. Ego verò cum istius regni quietem, pietatemque erga Deum maximè cupiam, non video qua ratione faciliùs vtrique rei facilè consuli possit, quàm si tua auctoritate assiduis adhortationibus Regi persuaseris, ne diutius hæreticorum hominum factionem iam satis validam in regno suo confirmari patiatur; sed eam maturè, cum potest, opprimat; ne, quod alijs accidisse vidimus, serò ad eam pestem pellendam remedium afferat; qua in re velim te magnopere contendere, nec vnquam conquiescere, donec effeceris, vt Serenissimus Rex, & ruenti religioni, & tranquillitati regni sui commodè, sapienterque prospexerit. Adamum tui studiosissimum, summaque diligentia regni negotia procurantem commendarẽ tibi pluribus, nisi confiderem, & te eius esse amantissimum, & illius operam, sedulitatemque ita omnibus notam esse, vt nul-

lius

lius iam commendationis indigeat. Commendo tibi tamen hominem, petoque à te vehementer, vt efficias, huius meæ erga vtrumque voluntatis aliquando abs te rationem habitam esse omnes planè intelligant. Vale Roma pridie Non. Octob. 1554.

ANDREAE EPISCOPO CRACOVIENSI.

Hæreditatem Vilnensis Suffraganei concedit Pontifex fratribus S. Dominici.

CVm è superioribus litteris tuis profectionis tuæ consilium cognouissem, quæ mea esset de ea re sententia iam ad te diligentissimè perscripsi, laudauique pro eo ac debui, prudentiã, qua vsum te ad maturè opprimenda consilia res nouas moliẽtium confirmasti. Quare non est quod iterum ad eam particulã proximę epistolæ tuæ respondeam, quæ mihi pridie reddita est. Quod vero ad Vilnen. Suffraganei hæreditatem attinet, cuperẽ ego quidem vehementer tibi in eo negotio beneuolentiam meã ita probare, vt post hac nihil esse tibi persuadere planè posses, quod tua causa libentissimè non facerem. Sed de tota re iam pridem cum Summo Pontifice transactum est; is enim Reuerendissimi Cardinalis S. Iacobi precibus motus integram hæreditatẽ Fratribus S. Dominici, qui in ista prouincia sunt, liberaliter, benignèque, vt solet, omnia, donauit. Cũ itaque res non sit integra, æquum esse duxi, ne quid tuo nomine postularetur à Pontifice, quod impetrari non posset. Quomodo autem cum eius sodalitatis præfectis tibi agendum sit, certò scio te pro tua summa prudentia consideraturum. Ego hìc Iacobi, & Erasmi causam ita tuebor, vt omnes intelligant mihi non modo quæ ad tuam dignitatem; sed quæcunque etiam ad clientum tuorum mediocria commoda pertinent summæ curæ esse. Vale Roma xvj Calen. Decemb. 1554.

ANDREAE SCHPOTO EPISCOPO LAODICENSI.

Continet mutuam animorum beneuolentiam.

GRatissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus & te benè valere, & mei cum primis memoriam libentissimè conser-

uare cognoui. Quare sic habeto, ad eam voluntatem, quam ego ad te diligendum, ex quo primùm die præsens præsentem complexus sum, mea sponte contuleram, magnam accessionem esse factam; cum tuis perpetuis erga me officijs mutuam beneuolentiam cultam à te esse diligentissimè semper animaduerterim. Erit igitur posthac cum constantiæ, tum humanitatis tuæ proprium nihil de pristini tui erga me amoris magnitudine remittere. Mihi autem illud summo studio semper curabitur, vt tibi à me neminem in amando prelatum esse planè omnes intelligant. Vale. Romæ xvj. Calen. Decembris 1554.

IOANNI OCIESCIO R. P. CANCELLARIO.

Animi propensionem erga se commendat, & fidei Catholicæ negotium proponit.

CVm heri ad me Venerabilis Adamus Conarski litteras tuas amoris erga me tui, singularisq; humanitatis plenissimas attulisset; perlegit ille mihi caput etiam earum litterarum, quas abs te longissimas accepit, in quibus tu multa in meam laudem congessisti, quæ, & si te amoris magnitudine longiùs progressum video, non nihil tamen mihi voluptatis attulerunt. Existimaui enim facilè fieri posse, vt ab eo, quem tibi talem esse persuaseris, planè te omnia consecuturum confides, quæ ab amicissimi erga te hominis propensissima voluntate proficisci possunt. Quare & mihi, & Adamo gratulor: tibi vero polliceor quæcunq; ille de me nimis amanter, ne dicam etiam liberè promisit, prædicauitque daturum me esse operam, vt bona fide tibi præstentur. Tu quòd facis sedulò Catholicæ fidei negotium pro virili adiuua; me verò, & Adamum, quem tibi cupio & sua, & mea, & tua etiam causa cõmendatissimum esse, ita dilige, vt nos te diligimus, atq; amamus. Vale Romæ Cal. Decẽb. 1554.

IOANNI COMITI TARNOVIO.

Adolescentis filij dotes eximias prædicat.

QVamquam erat mihi planè persuasum, te inter istius Regni proceres, & natalium splendore, & virtutum omnium genere,

nere, meritò principem locum obtinere, summaque apud Serenissimum Regem auctoritate, & gratia esse; tamen id ipsum nunc multo magis credidi, verumque esse planissimè re ipsa comperi. Cum enim Christophorus tuus in conspectum meum venit, iuuenemque diligentiùs contemplatus sum, longàque oratione ex illo, quæ maximè cupiebam, cognoui, illicò intellexi ex optimis parentibus optimos filios procreari, talemque esse te, qualia multa probitatis, singularisque modestiæ, pulcherrimæque fortitudinis in filio tuo adhuc tenero signa, præclaraque documenta apparent. Quare ea beneuolèntia adolescentem sum complexus, quæ certè filium tanti, tamque mihi coniuncti viri, vt complecterer, vtriusque dignitas, virtusque iure optimo postulabat. Non sum autem in eo admiratus eximias animi dotes, præsertim in ea ætate, in qua plurimum admirationis facere, vel tenuissima virtutum vestigia consueuerũt, posteaquam, te patre, idest optimo cum filios gignendi, tum etiam instituendi magistro, ea ornamenta consecutum illum esse, mecum ipse reputaui. Illud autem me mouit, quod non dum annos septemdecim, *vt audio, natus iam magnam Europæ* partem peragrauit, Principumque aulas penè omnes inuisit, in quo nonnihil mihi, his præsertim temporibus, media hyeme, bello denique locis circa omnibus vehementer impeditis, committi erroris videtur, cum tibi vnicus alioqui, virtute sua carissimus esse debeat. Quare, dicam liberè quod sentio, auctor tibi sum, ne temerè illum hinc moueri sinas, donec & frigora se remiserint, & ad iter faciendum, cum dies commodiores, longioresq; tum viæ etiam ob fluminum frequentes traiectiones, ipso anni tempore meliores factæ erunt; denique qua maximè parte periculum imminet, quò belli hujus Italici incendia sint euasura pleniùs perspici possit. Quod si feceris, & saluti tam benemerentis filij tui prudenter consulueris, & nobis, qui te, atque illum plurimi facimus, vnicèque diligimus, tam erit id gratum, quàm quod gratissimum. Vale, & me Serenissimo Regi plurimum commendato. Roma Calen. Decembris 1554.

IO: COMITI DE HOYA ELECTO OSNABVRGENSI.

Diligentissimi Pastoris offitium commendat.

CVm sæpè mihi de te, tuisque egregijs virtutibus Ioannes Richius Cancellarius tuus multa prædicasset, vt singulari animi propensione erga te essem facilè perfecit. Nam cum mea sponte omnes omnium virtutes libenter amplexari, amareque soleo, tum eas præsertim, quæ ad Christianam pietatem propiùs accedunt, quæque plurimis adiumento esse possunt ad benè, sanctèque viuendum, quarumque vel luce, vel exemplo cæterorum mores, animique tam ad honestas actiones, quàm ad piè de religione, Deique cultu sentiendum traduci consueuerunt. Quare primum habeto me ex Richij tui honorifica de te prædicatione amicissimum tibi esse factum: deinde magnam me non modo voluptatem ex ea re cepisse, quòd te audio populi tui, imprimisque clericorum corrupti mores summo studio curare, vt emendentur; verum etiam in spem planè venisse, vt reliqui ordinis tui viri pulcherrimo abs te exemplo prouocati in eam rem omnes opes, cogitationesque suas conferant, vt quo ad eius fieri possit, & prisca Sanctorum Patrum fides, atq; sanctitas, & debita Sedi Apostolicæ obseruantia in amplissima ista prouincia instauretur, ac veluti honestissimo quodam postliminio bonorum omnium consensu, maximèque summa Principum virorum approbatione redeat. Quam rem si, vt spero, Richiusq; tuus planè pollicetur, pro tua parte adiuuabis, non dubito quin cum summa dignitate egregiam huius tuæ pietatis, magnamq; mercedem ab ipso Deo Optimo Maximo sis relaturus, ingentemque etiam gratiam cum à Summo Pontifice, tum ab amplissimo Senatu tibi conciliaturus. Ego certè hìc apud Collegas meos nihil prætermittam, quod ad tuendam dignitatem tuam, atque augendam spectare arbitrabor. Is autem ordo, vt de te multa adhuc cum tua laude ex me, atque ex Richio tuo libenter audiuit; ita te ad ea omnia perficienda vehementer adhortatur, quæ tibi summæ curæ esse Richius non modo seriò confirmauit, verum etiam quasi iureiurando sanctisimè interposito certum, persuasumque nobis esse voluit. Vale Roma pridie Calen. Martias 1555.

Hortatur, vt alium Internuncium Romam mittat quod erit Pontifici gratissimum.

CVm permagni interesse arbitror, & ad Maiestatis Tuæ dignitatem, & ad totius regni commoda, semper hìc apud Summum Pontificem, amplissimumque Senatũ Maiestatis Tuæ nomine aliquem virum esse, cum natalium splendore, tum verò etiam sua virtute maximè nobilem, qui regni istius tam publica, quàm priuata negotia commodissimè procurare possit; pro perpetua, summaque mea erga Maiestatem Tuam obseruantia, existimaui mihi esse faciendum, vt eamdem vehementer hortarer, ne, quod cæteri omnes Catholici Reges, & Principes summo studio semper obseruarunt, atque obseruant, id vna Maiestas Tua, vel contemnere, vel negligere omnino videatur. Nam, vt omittam quantum eo officij genere Summus Pontifex delectetur, quum sibi præsto adesse videt tot Regum, Principumque Internuntios, & procuratores, ex quibus quęcunque vbique terrarum fiant, quotidie cognoscere possit, istius certè regni commoditatibus nemo est, qui nom planè videat quantum ea res adiumentum sit allatura, si hìc Maiestatis Tuæ nomine grauis aliquis, atque prudens vir rem gerat. Id quod eamdem certò scio cum pro sua sapientia considerare, tum etiam superioribus temporibus sæpe numero experientia didicisse. Quare cum in patriam serijs parentum suorum monitis, præceptisque Adamus Conarski reuocetur, Maiestatem Tuam hortor, atque obsecro, vt honoris tui, commodorumque causa in Adami locum, qui certè Maiestatis Tuæ studiosissimus diligentissimè semper hoc munus obiuit, alium ad nos mittat, cuius opera, atque industria, si quæ erunt hìc apud Pontificem tractanda, ex Maiestatis Tuæ sententia confici posint. Equidem quod ad me attinet, nihil vnquam prætermittam, vt Maiestati Tuę quibuscunque possim officijs satisfaciam, sed sine eiusdem Internuntio, aut negotiorum curatore omnia video nobis impeditiora, ac difficiliora futura. Itaque Maiestatem Tuam etiam, atque etiam rogo, obtestorque, vt primo quoque tempore Adamo successorem mittat, summaque prudentia rem omnem consideret, atq; expendat, reliquorumque Catholicorum Regum exemplo, ea

sibi

ſibi facienda eſſe ſtatuat, quæ ad regni ſui commoda pertinere planè intelligit. Valeat Maieſtas Tua feliciſſimè. Roma Septimo Id. Martias 1555.

CANCELLARIO REGNI POLONIAE.

Adamum commendat, eiuſque ſucceſſorem deſiderat in Curia.

ADamus Conarski, quo negotiorum totius regni curatore Sereniſſimus Rex tuus hic apud Summum Pontificem iã triennium vtitur, ita munus ſuum obire viſus eſt, vt ſæpe hominem tibi diligentiſſimè commendarem: Summum enim eius erga Regem ſtudium, eximiamque fidem cum perſpexiſſem, magnopere ſemper adamaui, curauique etiam commendatione mea, vt per te, qui plurimum auctoritate, & gratia apud Regem meritò potes, aliquando conſequeretur, vt abſentis ſui rationem aliquo in ſe collato benefitio habitam eſſe intelligeret; qua in re quantum *litteræ meæ illi profuerint*, neſcio. Is igitur Adamus paternis litteris imperioque in patriam reuocatur, ægrèq; & Summi Pontificis, & meis etiam verbis, adhortationibuſque retentus eſt, vt donec ei à Rege ſucceſſor mittatur profectionem differat. Quare erit à te danda opera, vt quam primum alium negotiorum geſtorem virum bonum, & prudentem Rex ſtatuat ad nos mittendum; ne, quod in omnium Catholicorum Regum more poſitum eſt, vt apud hanc Sacroſanctam Sedem oratorem, aut nuntium, aut procuratorem ſemper habeant, id vnus Sereniſſimus Rex tuus prorſus negligere videatur, quod tamen regni iſtius commoditatibus quanto impedimento futurum eſſet, ſi fieret, nemo certè non videt. Peto igitur abs te etiam, atque etiam vehementer, vt quibuſcunque rationibus fieri æquum eſſe ſtatuas, Regem horteris, vt primo quoque tempore Adamo ſucceſſorem mittat, cuius diligentia, curàque ſi quæ hic tractanda erunt, commodè tractari, perficique poſſint. Tu vero Adamum, vbicunque ſe dabit occaſio, ita apud Regem adiuuabis, vt is intelligat, & beneuolentiam meam, & tuam etiam benignitatem magno ſibi vſui, atque ornamento fuiſſe. Vale Roma Septimo Id. Martias 1555.

GERO-

GEROGIO CONARSKI.

Testatur Adamum eius filium Romæ retentum auctoritate Pontificis, donec successor adueniat.

EA mihi visa est Adami filij tui virtus,& probitas,vt ex quo primùm die hominem noui,summa beneuolentia sim prosecutus semperque curauerim, vt testimonio litterarum mearum apud Regem vestrum Serenissimum, proceresque primarios diligentissimè commendaretur, in quo si quid profecerim nescio; illud autem certò scio me sedulò fecisse omnia, vt quando ego aliter non possem, ab ipso Rege dignissimum laborum suorum fructum Adamus aliquando referret.Nunc vero quum abs te in patriam serio precepto reuocetur, idque si fieret antequam illi à Rege successor mittatur, neque ex dignitate Regis, neque ex vsu, commodoque totius regni fieri posset; beneuolentiæ meæ erga te, filiumque tuum partes esse putaui, vt te hortarer, rogaremque quando ijsdem etiam artibus Adamum retinui, ne tibi in ea re statim pareret(tametsi non prius impetraui, quàm adhibita Summi Pontificis auctoritate)vt quò ad filio tuo ex regis consilio, sententiaque succedatur, hìc apud nos esse finas, quod ego tempus breuissimum spero fore. Ita enim ad Regem scripsi, vt statim acceptis meis litteris omnino curaturum eum putem, vt in Adami locum procurator aliquis negotiorum regni illicò proficiscatur ad nos,vel certè honesta aliqua proposita conditione perficiat, vt filius tuus Romæ ipsius Regis nomine cum dignitate esse possit. Reliquum est, vt tibi persuadeas filium te habere ita tuo dicto, nutuique parentem, ita amantem, atque obseruantem tui, vt nisi Summi Pontificis auctoritate, multisque meis adhortationibus,precibusque retẽtus esset, iam tibi præsens præsenti salutẽ diceret,præstoq;adesset. Vale, & me tua causa magnopere velle confidito.Roma sept.Id. Mart.1555.

VICECANCELLARIO R. POLONIAE.

Adamum in Poloniam redeuntem commendat, rogat, vt ad futurum Pontificem à Rege Orator nominetur.

QVum Iulio Summo Pontifice mortuo Venerabilis Adamus ad vos reuerteretur, cum vt Parentum imperio satisfaceret,

ret, tum etiam ne hoc interregni tempore frustra hìc esset. Volui te iterum hortari, vt quacunque ratione efficere poteris, Regi persuadeas, vt exemplo Catholicorum Principum ad Summum futurum Pontificem oratorem designet, qui ipsius, totiusque regni nomine, quum primum creatum illum esse cognouerit ad eum agnoscendum, venerandumque, vt æquum est Christi Vicarium, proficiscatur. Hanc ego tibi rem postulo, flagitoque summæ curæ esse. Vereor enim ne, si in ea re perficienda leuem, desidemque operam adhibuisse Rex videatur, maleuoli omnes alienatum à Sede Apostolica Regis animum esse nō modò suspicentur; verum etiam palam audacter prædicent. Quod ego ne fiat, magnopere mihi laborandum esse statui pro ea beneuolentia, qua istius nationis homines iam pridem complexus sum. Quare nihil prætermittes, vt Regi tandem, adhibitis etiā, atque in tuam sententiam perductis optimis, sapientissimisque Senatoribus, persuadeas, vt primo quoque tempore ad nouum Pontificem oratorem mittat. Tu verò, si me amas, Adamum ita apud Regem adiuuabis, meoque testimonio commendabis, ornabisque, vt is planè intelligat, & meam sibi commendationem, & diligentem tuam operam, beneuolentiamque summo adiumento tandem aliquando fuisse. Vale. Roma Tertio Nonas Aprilis 1555.

ADAMO CONARSKI.

Litteras ad Regem se curaturum promittit à Marcello Nouo Pontifice.

QVintodecimo Calendas Maias litteras tuas Bononia missas accepi, in quibus à me petis, vt quoniam de perturbata religione Rex vehementer est sollicitus, in eamque curam maximè incumbit, vt Catholica à Patribus recepta pietas in regno suo conseruetur, darem operam, vt illicò Nuntius Apostolicus proficisceretur, nouique Pontificis Marcelli litteras ad Regem, cunctosque ordines curarem ad te mittendas, qui summa adhibita diligentia, celeritateque perferres antequam comitia absoluerentur. Ego autem quum primum mihi litteræ tuæ sunt redditæ, quod ea res maximæ mihi curæ semper fuit, ad Reuerendissimum Farnesium Protectorem omnia, vt par erat, detuli:

detuli : curatumque est ab vtroque nostrum diligentissimè, ne qua mora esset, quin quæcunque postulasses, extemplo omnia perficerentur. Sed cum in Pontificatus initia multa incurrerint, quibus necessariò prouidendum erat, multorumque grauissimorum negotiorum expediendorum ratio iam instituta, & incohata esset, eaque sine summo periculo intermitti, aut differri non posset; factum est, vt Pontificis ad Regem, ordinesque litteræ haberi non potuerint, quæ tamen ante diem quintum Calen. Maij curabuntur, ipsoque die ad te Venetias mittentur. Quare expectabis in ea Vrbe dum ad te status tabellarius recurrat. Nos vero hic nihil prætermittemus, in quo & labenti religioni consulatur, & Regis Serenissimi volũtati satisfiat. Tu quod sedulò te curaturum polliceris, vt ex dignitate Sedis Apostolicæ, quoad eius fieri poterit, omnia statuantur, facito bona fide, vt præstes. Vale. Romæ xij. Calen. Maias 1555.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Obitum Iulij III. & electionem Marcelli secundi admonet, sub quo Pontifice, sperat Reipublicæ Christianæ dignitatem restituendam, Ad eum scopum faciliùs obtinendum ab eodem Pontifice legatum fuisse designatum. Denique pollicetur suam operam in defendenda Iacobi causa.

QVartodecimo Calen. Maij binas litteras tuas accepi, quæ mihi à Ticinio vna cum epistola ad Iulium III. Pontificẽ scripta, redditæ sunt. Is verò Pontifex, vt iam dudum ad vos allatum esse arbitror, decimo Calen. Aprilis, cum amplius mẽsem morbo, podagraque laborasset, mortuus est; atque in eius locum septimo Idus Marcellus II. antea Cardinalis S. Crucis omnibus amplissimi ordinis sententijs, mirificoque consensu Pontifex creatus est. Quem hominem Deus Optimus Maximus his miseris temporibus Ecclesiæ suæ præesse voluit, vt ego quidem sentio, ne tot malis afflicta, tot hostibus vexata, oppugnataque Catholica fides, atque religio, corruptissimorum hominum, impiorumque hæreticorum iniuriæ, calumnijs, impudentiæq; diutius esset exposita. Quare cum Deo gratias agere omnes debemus, tum Christianæ Reipublicæ magnopere gratulari, cui sub optimo, sapientissimoque Principe planè sperandum esse iudico non

co non modo improborum conatus, vt propediem comprimantur, vindicenturque; verum etiam, vt in pristinam ipsam dignitatem, atque splendorem, idest ad verè Christianam pietatem, traditumque à Patribus cũ sacrorum omnium rituum, tum Dei, diuorumque cultum consentaneum, necessariumque reuocetur, atque restituatur. Ad quam rem perficiendam, & si scio Summũ Pontificem Marcellum omnem voluntatem, cogitationem, industriam, operam, mentem denique omnem esse collacaturum: nostrum tamen officium esse mihi iure existimare videor, vt assiduis precibus à Deo postulemus, vt Pontificis nostri pios conatus ad felicem exitum maximo cum totius Reipublicæ commodo pro sua benignitate perducat. Sed venio iam ad litteras tuas, in quibus quod de labefactata passim religione ab equestris ordinis viris ad me, Summumque Pontificem scribis, scito, me, bonosque omnes, atque imprimis Pontificem ipsum magna molestia affectos esse, atque in eam curam incumbere, vt quacunque fieri possit ratione, huic teterrimæ pesti medeamur, ad quam cõpescendam, atque profligandam, quamquam Sedis Apostolicæ Legatus iam pridem designatus, quem ego maturè profecturum spero, magnum pondus est allaturus; tamen in manu, voluntateque primùm Serenissimi Regis, deinde virorum tui ordinis positum planè video esse, quantum Pontificis, Sedisque Apostolicæ studia, conatusque amplissimo isto regno sint profutura. Quare egregia, fortique bonorum conspiratione, magnoq; animo ad eam rem opus est, vt tandem aliquando confutatis erroribus, monstrisque sublatis, Catholica religio, & pietas in ista prouincia passim, libereque ab omnibus cum dignitate, ac fructu coli possit. Quod autem à me petis, vt nepotis tui Iacobi causam à Sampsonis oppugnatione defendam; velim tibi persuadeas ita mihi eam rem curæ fore; vt cum Summo Pontifice diligenter acturus sim, ne quid eo nomine tibi molestiæ posthac exhiberi ab illo possit; modo à me id in ea causa curari liceat; in reliquis omnibus operam meam Ticinio sum pollicitus, quam sedulò, bonaque fide præstabo. Neque enim vllum laborem refugere vnquam debeo, dum tibi, quem vnum mirificè diligo, ac plurimi facio, prodesse, atque gratificari possim. Laodicensis Episcopi studium erga me vehementer amaui semper, & nunc maximè amo, atque diligo; quare velim meo nomine illi plurimum salutem dicas, recipiasque me libenter ipsius causa omnia

esse

esse facturum; ipse modo beneuolentiam erga me, egregiamq; voluntatem, quam præsens præsenti præstitit, eam absens etiam integram, vt bona fide præstet, diligentissimè curabis. Quod si feceris erit mihi maximè gratum. Vale. Roma Quinto Calend. Maias 1555.

CONSALVO PERETIO REGIS ANGLIAE Secretario.

Mutuam fouet amicitiam, rogatque, vt Regi suam testetur animi propensionem.

EGo vero, mi Consalue, cum te honestissimum apud optimum, maximũque Regem locum obtinere tibi verè, meritòque gratulor, tum mihi ipsi plurimum gaudeo tantam mihi abs te voluntatem cum tam honorifica, egregiaque erga me amoris tui significatione esse delatam; quæ ego omnia non modo amicis meis summo semper commodo, atque ornamento futura esse spero; sed etiam (quæ tua est apud potentissimum Regem gratia, studiumque mirificum erga me) magno mihi vsui quandoque fore confido; tantumque abest, vt verear, ne non satis dignitati meæ perpetuis tuis officijs, operaque fiat, vt non mediocrem ex tua erga me beneuolentia, studioque existimationi meæ accessionem fieri posse statuam. Quare peto abs te pro eius, quæ inter nos ad summum iam perducta est, amicitiæ iure; enitere, effice quacunque honesta ratione potes, vt Rex tuus intelligat, planèque sibi persuadeat, nihil mihi potius fore, aut antiquius, quàm, vt sua, Patrisque felicissimi causa omnia & velim, & faciam. Vale, & te à me mirificè diligi planè confidito. Hæc ad te scripseram, quum primùm mihi litteræ tuæ redditæ fuerunt, sed aliorum culpa, vel certè negligentia factum est, vt inter magnum scriptorum fascem abditæ in hunc vsque diem delituerint. Quare non miraberis, si ad te tanto post interuallo perferri litteras meas, quàm omnino interire malui. Vale iterum. Roma Quarto Calen. Maias 1555.

Eius litterras Iulio III. inscriptas Marcello II. reddi curauit, qui tamen breui tempore è vita sublatus est. Hortatur, vt hæreticorum licentiam ferro coërceat.

TErtio Non. Aprilis Venerabili Adamo litteras ad Maiestatem Tuam dederam, quibus eam de Adami in patriam reditu, deque Iulij III. Pontificis Maximi obitu certiorem faciebam. Nunc vero quum aliquot ante diebus Maiestatis Tuæ litteræ ad Summum Pontificem, ad meque scriptæ allatæ essent, iudicassemque valde expedire, vt Marcellus Secundus Pontifex creatus, & Maiestatis Tuæ desiderium, & istius regni discrimen (quod ad religionem attinet) planè cognosceret, putaui mihi esse faciendum, vt primo quoque tempore Pontifici litteras redderem, & de tota re breuiter ad Maiestatem Tuam scriberem. Cum igitur quæ Iulio III. inscriptę erant ad Marcellum II. Pōtificem litteras Maiestatis Tuæ attulissem, eiusdemque nomine pedem osculatus essem, rogassemque, vt pietati Maiestatis Tuæ, istiusque florentissimi regni saluti, quę iam in summū discrimen adducta erat, maturè, prudenterque consuleret, iussit illicò ad Maiestatem Tuam amantissimas litteras conscribi, curarique, vt qui à Iulio designatus Nuntius fuerat, ei nihil moræ fieret, quin extemplo in prouinciam proficisceretur. Verum, vt sunt humanæ res, prius incidit in morbum Pontifex, quo tertio decimo post die mortuus est, quàm obsignari litteræ potuerint, factumq; nescio quo fato est, vt duo Summi Pontifices Maiestatis Tuæ amantissimi, cum maximè id curarent, vt opem ruenti in isto regno religioni ferrent, grauissimo meo cum dolore nobis erepti sint. Quare reliquum est, vt altero creato Pontifice, ad quam rem expediendam frequentes iam conuenerunt Reuerendissimi Cardinales, & eos, qui absunt, qui tamen pauci sunt, propediem aduolaturos speramus, omni studio, ac diligentia Maiestas Tua me vsurum confidet vna cum Reuerendissimo Protectore, vt de Nuntio istùc mittendo à Summo Pontifice primo quoque tempore statuatur. Nos interim dabimus operam, vt optimus designetur Pontifex, qui temporum necessitatibus, corruptissimorum hominum licentia, impudentiaque prohibita, atq; vindicata, prospicere, subuenireque possit. Illud à Maiestate Tua vehemen-

vehementer etiam, atque etiam peto, postuloque, vt quaque ratione fieri posse consultiùs ea iudicabit, impiorum hæreticorum audaciam in regno suo coërceat, Catholicisque Episcopis, quò faciliùs in eam rem omnes opes suas, cogitationesque conferant; auxilium, instructas etiam, si opus fuerit, atque armatas copias polliceatur; ne si morbus interim curari, tollique omnino non potest, aliquorum malitia, fraudeque crescat, eòq; adducatur, vt sine ferro sanari postea non possit. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Roma Tertio Nonas Maias 1555.

ADAMO CONARSKI.

Marcellus II. inopinata morte correptus litteras regias obsignare non valuit. Promittit Nuncium à Iulio designatum profecturum.

SCripseram ad te xiij Calen. Maias, vt Marcelli Pontificis litteras Venetijs expectares; speraui enim fore, vt quemadmodum ille humanisimè, vt omnia solebat, pollicitus erat, ad Regẽ scriberet, id quod planè perfecerat, nisi graui morbo implicitus prius perijsset, quàm litteras amantisimè scriptas obsignasset. Nunc quoniam in eodem statu sumus, quo iam eramus, cum hinc es profectus, scripsi in eamdem ferè sententiam ad Regem, rogauique plurimum, vt quando nihil hìc agi potest, dum nouus Pontifex designetur, Pontificatumque ineat, ipse summo studio, curaque videat, ne quod in sua prouincia pietatis, religionisque causa detrimẽtum capere posit. Tu si eo eris animo, fideque qui toties mihi te futurum confirmasti, non vereor ne quid impiè, ne quid aduersus perpetuam Catholicorum Patrum consensionem in recepto sacrorum ritu conseruando in ista prouincia fiat; dumtaxat in ijs, quibus aliqua ratione à Rege Serenisimo, Senatoribusque prouideri facilè poterit. Ego omni diligentia curabo, vt creato Pontifice, quæcunque ad regnum istud pertinere arbitrabor, omnia primo quoque tempore conficiantur, Nuntiusque olim designatus à Iulio III. statim proficiscatur. Quæ res Reuerendissimo Protectori, vt video, summæ curæ Semper fuit, hodieque est. Vale. Roma Tertio Nonas Maias 1555.

Gaudet Regni Episcopos conuocandos ad emendandos mores. Promittit sibi fore commendatissimum eius Nepotem.

HEri binas litteras tuas accepi, quas mihi Hieronymus tuus reddidit, alteras Sexto Idus Martias, alteras postridie eius diei scriptas. Quæ mihi ambæ iucundissimæ fuerunt. Primùm enim quod admones de istius regni Episcopis cum reliquis in ordinem redigendis (quod primum caput erat in emendandis moribus considerandum) non est id quidem à nobis ita leuiter perpensum, vt quasi par omnium Episcoporum vbique causa esset, tandem omnium habendam esse rationem statueremus. Nã, & si prouinciarum omnium veteres consuetudines, atque instituta planè nobis explorata esse non poterant, adhibita tamen à nobis ea cautio erat, vt antequam in lucem nouæ leges prodirent, quid priuatim singularum prouinciarum ex vsu maximè esset, diligentissimè cognosceremus, nihilque prorsus statueretur quod non cum summa omnium vbiq; vtilitate coniunctum esse omnino videretur. Quare nihil est quòd verearis, ne in ea re peccetur, in qua summam conseruandæ, instaurandæque religionis, & pietatis in isto regno vim, atque auctoritatem positam esse quiuis facilè queat agnoscere. Illud te scire tamen volo, litteras tuas de ea re tam diligenter, prudenterque conscriptas mihi magnopere gratas fuisse, tibique confirmo, quemadmodum etiam Venerabili Adamo Conarski præsens præsenti sum pollicitus, me omni studio, diligentiaque curaturum, vt vester ordo cum pristinam in prouincia dignitatem, auctoritatemque retineat, tum etiam à Summo Pontifice facilè impetret quæcunq; ad ipsius commoda, populorumque fidei suæ commissorum salutem pertinere arbitrabor. Nuntius iam dudum ad vos profectus esset, nisi in ipsam profectionem duorum Summorum Pontificum mors inopinata illa quidem, maximèque importuna incurrisset. Quare, vt ad Serenissimum Regem scripsi, erit necessariò expectandum, dum nouus Pontifex creetur; cuius rei causa propediem Reuerendissimi Cardinales prope omnes conuenturi, & in Conclaue de more ingressuri sumus. De horologio argenteo magnas tibi gratias ago. Hieronymi tui causam velim tibi persuadeas ita mihi curæ fore, vt si mea ipsius esset; nã præterquam

terquam quod ſororis tuæ filius cum ſit, mihi meritò debet eſſe cariſſimus, iuuenis ſumma modeſtia cum amabili quadam probitate coniuncta ita me iam pridem affecit, vt illum mirificè, vehementerque diligam, atque amem. Vale. Roma Nonis Maij 1555.

EPISCOPO VARMIENSI.

Duos Pontifices breui temporis interuallo ereptos dolet. Regni calamitates, & hæreticorum audaciam deplorat. Libellum de fidei confeſſione ab eo compoſitum laudat. Denique apud Pontificem operam ſuam promitit in negotio Cancellarij.

QVid ad te tam magno à nobis locorum interuallo diſiunctum, hoc potiſſimum tempore ſcribam, neſcio. Si enim ad tuas litteras, quæ triduo ante redditæ ſunt, reſpondere maximè velim; nihil certi præter diligentiam meam in ijs omnibus prouidendis, de quibus tu me diligentiſsimè certiorem feciſti, afferre ad te poſſum, aut polliceri. Nam (vt te iam audiſſe opinor) duodequadraginta dierum ſpatio duos Summos Pontifices amiſimus Iulium III. & Marcellum II. quam ego non mediocrē noſtrorum temporum calamitatem eſſe ſtatuo. Hac enim tam crebra iactatione nauiculæ, multa, quæ iam curari cæpta erant, intermitti aliquo modo neceſſe eſt, quorum curatio etiam ſi mora ipſa difficilior non euadat, fieri tamen non poteſt quin magno cum periculo differatur, præſertim in iſta prouincia, in qua equeſtris ordinis viros, ita multos audio palam hæreticis fauere, vt facilè credam, magna bonorum omnium conſpiratione opus fore, vt vetuſtus pietatis, ac religionis cultus in priſtinam dignitatem, ſplendoremque reuocetur. Quam rem cum ſeriò, ſummoque ſtudio Iulius III. aggreſſus eſſet, Nuntiumque deſignaſſet, qui mox ad vos proficiſceretur, iamque in eo res eſſet, vt perſcriptis mandatis omnibus litteræ ad Regem de Nuntij profectione obſignarentur; illicò (nobis nihil minus ſuſpicantibus) ereptus eſt x. Calen. Aprilis. Marcellus deinde II. Pontifex duodeuiceſimo poſt die electus, cum eam ſibi præcipuam curam eſſe ſtatuiſſet, vt oues Chriſti diſperſas in vnum colligeret, de Nuntio iſtùc mittendo (me maximè auctore, atque monente) ita decreuit, vt nihil moræ fieret, quin extemplo proficiſce-

ficisceretur. Sed nescio quo fato factum est, vt dum maximè istius prouinciæ, regnique saluti consuleret, secundo, atque vicesimo post die, quam Pontificatum inijt mortuus est. Quare vides & quo in statu simus, & quæ causa sit, quamobrem dum alterum Pontificem habeamus, nihil expediri possit. Tu tamen velim bono sis animo, nec quicquam propterea de summa tua diligentia, vigilantiaque remittas, aut spei aliquid abijcias; sed omni cura prouideas, vt Serenissimus Rex vester (qui apertè visus mihi nuper est hanc regni sui calamitatem agnoscere, atque deflere) magni alicuius viri audaciam, insaniamque coërceat. Nos interim dabimus operam, vt optimum Pontificem eligamus, cuius rei perficiendæ gratia postridie solemni more Conclaue ingressuri sumus. Quæ ad me de libello, confessione scilicet Catholicæ fidei Christianę tua opera, vigilijsque composito adscripsisti, magna me voluptate affecerunt. Primam enim eius libelli partem iam pridem ad me Reuerendissimus Archiepiscopus Gnesnensis miserat; cumque mirum in modum eius lectione essem delectatus, propterea quod purissimam fidei Catholicæ doctrinam planissimè traderet, hæreticorumque vana somnia, impiasque opiniones fortiter confutaret, atque euerteret; eius meæ voluptatis participem in eo legendo Sacri Palatij magistrum esse volui, hominem mihi coniunctissimum, virum probum, egregiaque doctrina theologum, qui adeo eius libri suauitate, vtilitateque captus est, vt Nuntius deinde ad Carolum Cæsarem missus sine eo libro proficisci noluerit. Quare scripsi ad Archiepiscopum, qui alterum quoque volumen se ad me missurum iam dudum receperat, vt vtrumque iterum mittat. Tibi igitur gratulor, quòd magno cum aliorum fructu in eiuscemodi opus operam sedulo nauaris, teque hortor, vt nulla hominum improbissimorum contumelia, nullis calumnijs deterrearis, quin pro Christi causa, populorumque fidei tuæ commissorum salute fortiter dimices, vt milites suos Christus, non deserat, sed eorum conatus propediem ita feliciter adiuuet, vt Catholicæ Ecclesiæ hostes penitus conterantur. De Cancellarij tui negotio, quod petis, cum futuro Pontifice agam sedulò, vt & desiderij tui, & necessariæ quoque illius operæ, ac diligentiæ honestissima ratio habeatur. Id enim tibi planè persuadeas velim, me prius mihi ipsi deesse posse, quàm tibi, præsertim æqua à me tãto studio, tantaque cum modestia postulanti. Vale mi frater

carissi-

cariſſime, & conſtanter pro Chriſti gloria labora. Romæ Tertio Idus Maij 1555.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Maximas gratias ei reddit pro horologio eleganti artificio laborato. Nuntij profectio fuit dilata duobus interregnis.

ACcepi nuper horologium, de quo tibi iam pridem gratias egeram, cum nondum vidiſſem illud, aut Bononia eſset allatum. Nunc vero quum in manibus meis eſt, eiuſque mirum ex omni parte artificium, pulchritudinemque incredibili cum oculorum, totiuſque animi voluptate contemplor, pudet profectò me tibi de tam precioſo, raroque munere tam vulgari more gratias olim egiſſe, neque ſatis mihi etiam nunc, quum maximè horologij eius excellentiam ſexcenties iam admiratus ſum, videor rationem inire potuiſſe, quibus verbis tibi gratias prolixè agerem, pro muneris tui magnitudine grati erga te hominis officio aliqua ex parte functus eſſe exiſtimari poſſem. Ea eſt enim horologij ſpecies, ea venuſtas, ea dignitas, vt nihil ei deeſſe putem, quin in ſuo genere principatum meritò teneat. Dignas vero tibi pro ampliſſimo eo munere gratias qui poſſit agere neminem eſſe arbitror, niſi ſi quis diuina dicendi facultate præditus ita cæteris hominibus præſtet, vt planè is, qui horologium ipſum, omniaque eius tum aurea, tum argentea ornamenta, atque emblemata mirabili artificio confecit inter ſummos artifices facilè principē locum obtinet. Quare de gratiarum actione, quam tibi ſummam debere me fateor, dabis amice veniam, ſi minus à me putabis ſatisfactum eſſe. Ego certè dabo operam, vt ſingularis tua erga me munificentia nulla vnquam obliuione conſeneſcat, curaboque, vt intelligas te in hominem amantiſſimum tui, atque inprimis memorem, & gratum liberalitatem tuam contuliſſe. Sed hæc hactenus. Nuncius, de cuius electione, viuente adhuc Iulio III. memini me tibi ſæpius ſcripſiſſe, vel ipſe præſens tibi has litteras reddet, vel neceſſario aliquo impedimento in ipſo profectionis curſu retardatus ad te mittet, in quo ſi præter omnium ſpem, deſideriumque maximè bonorum inſtituta iam pridem profectionis ratio diutius prorogata eſt non ſine magna religionis, pietatiſque iactura in iſta prouincia, illud profectò exiſtimare om-

nes debent, in tanta Sedis Apostolicæ perturbatione, quantam in continuatis ferè duobus interregnis necesse est incidisse, vix nũc tandem per alias occupationes licuisse, vt ad hoc tam graue, tamq; necessarium negotium curandum Summus Pontifex animum, cogitationemque adhibere posset; quum tamen magnopere laboraret & isti regno primo quoque tempore prospiceret, atque opem ruenti in eo religioni afferret. Tuæ nunc, bonorũq; omnium, maximèque tui ordinis virorum partes erunt, vt Sedis Apostolicæ studia, conatusque in ipso Nuntio libenter amplectimini, proque virili parte tueamini, & defendatis. Quod ego certò scio te optima fide præstaturum; ita enim semper mihi visus es Catholicæ fidei causam suscipere, vt qui, si etiam pro ea tuenda fortiter moriendum esset, nũquam causam deserturus, aut pedem relaturus esses. Quare strenuam operam nauabis Nuntio, atque eius conatus quacũnque poteris ratione adiuuabis. Vale frater carissime, & me Regi vestro Serenissimo plurimum cõmendato. Roma Septimo Idus Quintilis 1555.

REGI POLONIAE.

Nuntium à nouo Pontifice Paulo IIII. destinatum commendat.

POst summas Apostolicæ Sedis perturbationes, quas in duobus Maximorum Pontificum continuatis funeribus contingere necesse fuit, quum primùm respirandi aliquod otium Paulo IV. Pontifici oblatum est, statim de mittendo ad Maiestatem Tuam Nuntio peramanter, sapientissimèque cogitauit. Is igitur in regnum istud amplissimum proficiscitur cum summa doctrinæ, probitatisque laude clarus, tum iudicij, consilijque facultate maximè præditus, qui primum Dei Optimi Maximi virtute, & clementia, deinde Maiestatis Tuæ ope fretus sperat se Iesu Christi, Catholicæque pietatis, atque huius Sanctę Sedis Apostolicæ causam ita esse acturum, vt maxima cum animarum istius regni Salute vanissimas corruptissimorum hominum, qui terrena tantum sapiunt, opiniones, insaniasque euertere facilè posit. Quare Maiestatem Tuam vehementer etiam, atque etiam rogo, atque obsecro, vt Nuntium ipsum Apostolicum ea fronte, ijs verbis, ea denique animi sui significatione suscipiat, atque amplectatur, vt omnes planè intelligant Maiestati Tuæ nihil prius,

autan-

aut antiquius esse, quàm, vt ab ipso Christo, atque ab Apostolis traditus nobis per manus sacrorum omnium ritus in regno suo reuocetur, debitaque cum Sedis Apostolicæ obseruantia restituatur. Ad eam rem ex sententia perficiendam omnem vim, atq; momentum in voluntate Maiestatis Tuæ positum esse plerique omnes sentiunt. Itaque spero propediem fore, vt egregia Nuntij opera cum summa Maiestatis Tuæ pietate, auctoritateque coniuncta, adhibitis etiam tot Episcoporum, Procerumque Catholicorum studijs, regnum istud florentissimum, suaque sponte ad religionem maximè propensum, damnatis hæreticorum præstigijs, atque erroribus, ad veram pietatem, sacrorumque receptum ritum cupidissimè redeat, modo Maiestati Tuæ id præcipue curæ esse intelligat, vt religionis perturbatores dignissimis pœnis, supplicijsque afficiantur. In manu igitur Maiestatis Tuæ positum est, quanto cum fructu Nuntius ex isto Regno ad nos sit reuersurus. Valeat Maiestas Tua felicissimè, atque omnia me semper summo studio curaturum esse confidat, quæ ad regni istius commoda, salutemque pertinere arbitrabor. Roma Sexto Id. Quintilis 1555.

EPISCOPO PREMISSIENSI.

Pontificis Nuntium commendat. Hortatur, vt Catholicorum causam defendat.

ET si nulla adhuc inter nos mutuæ beneuolentiæ necessitudo intercessit; tamen quòd te virum fortem, Catholicæq; fidei, & Sacrosanctæ huius Apostolicæ Sedis studiosissimum esse accepi, putaui me amici, pijque hominis officio functurum esse, si nunc quum ad vos Pontificis Nuntius proficiscebatur, aliquid ad te, quod huic maximè tempori consentaneum esset, perscripsissem. Quare scito me cum ex multorum sermonibus de tua virtute multa didicisse, tum ex vno Georgio Ticinio, qui me sæpissimè conuenire solet, de summa tua probitate, atque doctrina plurima libenter audisse, quibus ego iam pridem adductus sum, vt te magnopere diligerem; præsertim ob eam causam, quòd mirificum mihi tuẽdæ religionis studium tuum idem Ticinius prædicauit, quo ego studio in vero Episcopo, qualem te esse certò scio, nihil vtilius, nihil pulchrius, nihil amabilius esse posse sta-

tuo. Itaque Pontificis Nuntio, qui tibi has litteras reddet, velim pro tua virili parte quam maximè poteris, strenuam, egregiãq; operam naues, vt florentissimum istud regnum non multo ante annis corruptissimorum, perditorumque hæreticorum opinionibus imbutum, atque infectum Apostolicæ Sedis cura, Serenissimique Regis, atque omnium ordinum studio in pristinum Sacrorum ritum, receptamque religionis formam reuocetur. Id si sedulò, vt spero, feceris, cum pulcherrimę de te hominum expectationi magna cum tua laude respondebis, tum eximiæ tuæ pie- pietatis fructum amplissimum à Deo Optimo Maximo cõsequeris. Vale; & pro Christi gloria fortiter dimica. Romæ Sexto Idus Quintilis 1555.

EPISCOPO VARMIENSI:

Pontificis Nuntium, & Catholicæ Religionis causam commendat.

QVod iam toties pollicitus tibi eram, curaturum me omni studio, vt quum primùm per alias necessarias occupationes liceret, Summus Pontifex ad vos Nuntium mitteret, id me nunc tandem aliquando, fauente Christo, consecutum esse video, quæ res quanto diutius me eo penè desiderio tabescentem tenuit, tanto mihi nunc maiorem voluptatem attulit. Videor enim mihi pro tam necessaria in Regno medicina afferenda non frustra penitus laborasse, posteaquam in miserrima temporum conditione, huiusque Sedis Apostolicæ tam crebris perturbationibus vna cum Reuerendissimo Farnesio Protectore perfeci, vt omnibus, quæ ad istam Legationem obeundam opus esset, instructus, paratusque Nuntius proficisceretur. Quare si te virum fortem, si Sedis Apostolicæ studiosum, atque obseruantem, si veræ pietatis, Catholicæque fidei patronum semper ante hac præstitisti, nunc maximè te eumdem præbeas necesse est. Nũtius multum spei, præsidijque in te, tuaque diligentia positum esse ad rem benè gerendam sibi persuadet. Nos vero hìc, qui te, tuasque virtutes nouimus, ita confidimus Nuntij conatus omnes felicem exitum habituros, si te adiutore, te socio, quæcunque agenda erunt aggredietur. Peto igitur abs te, vt in prouidenda, procurandaque amplissimi istius regni salute, nihil operæ, nihil diligen-

diligentiæ, studij, contentionisque prætermittas, illudque tibi in mentem veniat, si Catholicæ religionis, huiusque Sacrosanctæ Sedis in primis ratione habita, nullo fortunarum, dignitatis, aut capitis periculo pro tuenda veritate terrearis, summam te optimi Episcopi laudem cum sempiterna apud posteros memoria consecuturum. Vale, & pro Christi gloria fortiter dimica. Roma Sexto Id. Quintilis 1555.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Pontificis Nuntium, & Catholicæ Religionis causam commendat.

CVm primum per alias necessarias occupationes licuit Paulo IV. Pontifici Maximo ad Regni istius curam, cogitationem, animumque referre, non est passus, vt in summum discrimen religionis causa in ista prouincia hæreticorum corruptissimorum fraudibus adduceretur; sed collaudato cum Iulij III. tum etiam Marcelli II. paterno in vos studio, nihil prius, aut antiquius habuit, quàm vt Nuntij profectio maturaretur, eaque omnia expedirentur, quibus illi ad hoc verè arduum, grauissimumque negotium ex sententia peragendum opus esse videri posset. Quare proficiscenti Nuntio ad vos meum esse iudicaui, vt aliquid ad te litterarum darem, non quò te ad eius conatus adiuuandos accenderē magis, aut hortarer, vt Catholicæ fidei causam constantissimè tuearis; hæc enim omnia te bona fide præstaturum esse certo sciò; sed vt planè intelligeres me nunc tandem aliquid in istius regni cōmodum fecisse existimare, quū de qua re maximè vnus omnium laboraui, eam post huius Apostolicæ Sedis crebras, summasque perturbationes confectam tenerem. Nuntius eo animo, eaque tui opinione præditus proficiscitur, vt magnam partem eius spei, quam de reuocando in pristinam, veramque pietatem amplissimo isto regno concepit, in te vno repositam, collatamque habeat. Dabis ergo operam, vt eius, atque omnium expectationi cumulatissimè cum pulcherrima, summaque tua laude, & dignitate respondeas, & nos, vt soles, ames. Vale, & me Regi Serenissimo plurimum commendato. Roma Sexto Id. Quintilis 1555.

ADAMO CONARSKI SECRETARIO R. P.

Pontificis Nuntium, & Catholicorum defensionem commendat.

IAm diu laboraui magnopere, vt ad vos Nuntius proficisceretur, incidimus in ea tempora, vt necessaria nobis ea cura post alias magis necessarias suscipienda esset. Quare nemo mirari debet, si in hunc vsque diem Nuntii profectio dilata est. Is igitur, qui tibi has litteras reddet, ita venit ad vos, vt opera tua magnum sibi adiumentum positum esse statuerit, iam ex eo tempore, quum illi ego per litteras diligentiæ, fideique tuæ testimonium pulcherrimum dedi. Meminisse igitur te volo eorum sermonum, quos mecum frequentes habere solitus eras, quum hìc esses, huius scilicet Sedis Apostolicæ auctoritatem, dignitatemque te summo semper studio defensurum, causamque religionis eo animo suscepturum, vt nullo obiecto discrimine fortunarum, aut capitis terreri te vnquam patereris, quo minus ab ea fortiter stares, eamque omni contentione tuereris. Ad eam rem iuuandam volo te Principum virorum opem meo nomine implorare, pręsertim Ioannis Tarnouij Illustrissimi Comitis, Ioannis Oscescij Cancellarij, reliquorumque bonorum Catholicorumque Procerum; vt tandem aliquando florentissimum istud regnum in pristinum pietatis, religionisque cultum egregia cum Serenissimi Regis opera, tum bonorum omnium studio reuocetur. Erit id cum summa quoque tua laude coniunctum, si feceris, atque amplissimam tuæ pietatis mercedem à Deo Optimo Maximo relaturum esse sperare poteris. Vale, & meo nomine salutem amicis omnibus plurimam liberaliter impertitor. Roma Sexto Id. Quintilis 1555.

HIERONYMO GARVVASKI CANCELLARIO GNESNEN.

Gratias refert pro horologio ab auunculo sibi misso. Libros promissos postulat.

ACcepi horologium rarum, visendumque Auunculi tui munus, in quo certè cum præstantissimum artificis ingeniũ, miramque in elaborando artem, atque patientiam sum admiratus,

tus, tum Auunculi tui erga me egregiam liberalitatem cum pari voluntate coniunctam plurimum adamaui. Quare peto à te quantas maximas poteris gratias meo nomine, vt illi agas, simulque memineris me summo desiderio teneri eorum librorum, quos tibi proficiscenti, vt curares mihi adferendos pluribus verbis in memoriam reuocaram. Eos igitur dabis operam, si me amas, vt qui istinc ad nos proficiscentur, primo quoque tempore deferant. Erit id mihi gratissimum. Vale. Roma Sexto Id. Quintilis 1555.

IOANNI OCESCIO R. P. CANCELLARIO.

Gratam fuisse electionem Oratoris Regij ad Pontificem. Nuntij partes laudat.

Accepi nuper abs te litteras Petricouia ad xiij. Calen. Quintilis datas, quæ me magnopere delectarunt; tum quòd amoris erga me tui singularis plenissimæ erant, tum etiam quòd ea, quæ maximè volebam, mihi nunciarunt, Regem scilicet Serenissimum vestrum Oratorem ad nouum Pōtificem designasse, in quo perficiendo, & si ipsius Regis animum optimum fuisse existimare certè debeo; tamen diligentia, studioque tuo adiuncto plurimum ad eam rem maturandam momenti accessisse certò scio. Quare & Regi gratulor, & mihi gaudeo, qui vehementer de eius rei euentu eram sollicitus. Nunc spero nobis omnia, quæ ad regni istius commodum pertinebunt, faciliora fore. De Nuntio puto te iam audiuisse, quanto cum nostro, tum Summi Pontificis studio res sit transacta. Is igitur in Germaniam profectus, ad vos propediem aduolabit. Vir cum suis virtutibus, eruditioneque maximè nobilis, tum etiam viris doctissimis instructus, qui facilè ad omnem propositam de religione, & fide quæstionem Catholicè, prudenterque respondere, atque omnium eruditorum iuditio satisfacere possint. Tuæ igitur partes erunt ita religionis causam amplecti, ita Nuntij conatus omnes adiuuare, vt quem animum, voluntatemque ad Catholicam pietatem adhuc fortiter defendendam attulisti, eūdem nunc maximè, cumulatissimèque præstes, quum maximè de ea vindicanda, restituendaque in amplissimo isto regno seriò agitur. Equidem, & si non dubito te bona fide religionis negotium

gotium curaturum, quia tamen per magni interesse istius regni salutis arbitror, qualis Regis Serenissimi in vetere sacrorum ritu asserendo voluntas appareat; peto à te etiam, atque etiam vehementer, vt summo studio, curaque adhibita des operam, vt verè pij, atque egregij in tuenda religione animi documenta Rex ipse in eo posita esse statuat; si qui imperitam multitudinem astutè in fraudem impellunt, suaque auctoritate, ac potentia hæreticorum partes sustinent, atque defendunt, in eos primùm seuero aliquo exemplo edito animaduertatur. Erit id cum paucissimorum hominum supplicio, & calamitate coniunctum, plurimosque mortales ab impijs erroribus pœnarum metu in viam veritatis, salutisque reuocabit. De Adamo quod adscripsisti, fecisti mihi gratissimum; quare hominem, si me amas, in tuam fidem complexus quibuscunque officijs poteris liberaliter pro tua humanitate ornabis, & me Serenissimo Regi plurimùm comendato. Vale Tertiò Nonas Sextilis 1555.

ADAMO CONARSKI.

Pollicetur Gregorio suum auxilium, gratumque fuisse Oratorem ad Pontificem destinatum.

Litteras tuas Petricouia ad xvj. Calen. Quintilis datas Gregorius Biedrzizki tuus Calendis Sextilibus mihi reddidit, quem ego hominem tua causa, qui mihi illum diligentissimè commendasti, ita semper amplectar, atque opera mea, & consilio iuuabo, vt is facilè intelligat te mihi esse carissimum, tuãque commendationem sibi magno vsui fuisse. Quod autem me certiorem fecisti de Oratore à Serenissimo Rege ad Summum Pontificem designato, scito mihi te fecisse gratissimum. Nam cum regni istius commoda, honoremque maximè cupiam, plurimum video vobis profuturum Oratoris aduentum, qui, si vt scribis, atque vt ego spero, optoque vir erit egregia virtute, prudentiaque præditus, non vereor quin ab optimo Pontifice ea omnia sit consecuturus, quæ ad istius regni salutem, & commoda pertinebunt. Ego certè summo studio, contentioneque curabo quo ad eius fieri poterit, ne quod à me cupidissimi, amicissimiq; hominis officium desiderare posit. De Nuntij ad vos profectione paucis ante diebus memini me tibi pluribus scripsisse,

fiſſe, quas litteras, ſi nondum accepiſti, propediem opinor Nuntius ipſe tibi reddet. Tu cura, vt valeas, Nuntijque pios conatus quacunque poteris ratione adiuuato. Roma Tertio Nonas Sextilis 1555.

EPISCOPO VARMIENSI.

Admonet profectionem Epiſcopi Veronenſis ad Polonos Nuncij. Adoleſcentes Germanos, quos exoptat ad formandam iuuentutem, non eſſe adhuc aptos.

PAucis diebus ante Pauli IV. Pontificis electionem, memini me tibi per epiſtolam pollicitum eſſe, omnem operam, diligentiam, ſtudium meum adhibiturum, vt cum primùm liceret, Summus Pontifex Nuntium iam pridem deſignatum in iſtã prouinciam mitteret; Id ego nunc, cum tandem à neceſſarijs multis, grauiſſimiſque occupationibus reſpirare cæpimus, bona fide me curaturum confirmo, quamquam in ea ſpe iam ſumus, vt antequam tibi meæ litteræ redditæ ſint, Nuntius iam in prouinciam peruenerit. Ita iam parata omnia erant, quæ ad eam profectionem illi opus fore videbantur, vt prope in horas ſingulas confecta illi vna cum litteris, & mandatis mitti poſſent. Quare bono animo te volo eſſe, atque propediem ex ipſo Nuntio ſperare iſti Regno maximum adiumentum allatum iri; id quod ego cum vehementer eius ſalutis cauſa cupio, atque opto, tum nulla vnquam ratione impediar, aut deterrebor, quominus omni diligentia, ſtudio, contentione prouideam. Hæc ad te Idibus Quintilis ſcripſeram, pridie antequam Epiſcopus Veronæ Nuntius in iſtam prouinciam deſſignatus in Germaniam ad Principum conuentum, qui Auguſtæ agitur, iuſſu Pontificis proficiſceretur, eo conſilio, vt quibuſdam, quæ ad religionem maximè, atque ad Reipublicæ pacem pertinent, expoſitis, atque tractatis, ad vos ſtatim advolaret. Quare cum tu has litteras leges, iam tibi alteras ab ipſo Nuntio redditas fore cõfido. De Germanis, quos hìc ad veram pietatem, Catholicamque doctrinam inſtituendos, erudiendoſque Summus Pontifex curat, non video (vt nunc quidem eſt) qua ratione tibi morem gerere poſſim. Sunt enim permulti illi quidem, ſed non dum apti ad formandam iuuentutem; indigent ipſi etiam nunc rectore, & magiſtro, cum penè omnes

H adoleſ-

adolescentes sint, qui ante biennium erudiri cœperunt, neque in illo sodalitio vlli sunt, qui deserto necessario hìc docendi officio, in alias prouincias mitti hoc tempore possint; qui enim apti ad eiusmodi munus obeundum erant, iam pridem omnes, alius aliò profecti, operam suam locauerunt. Quare dum noua examina summitti possint, necessariò erit expectandum. Tu tamen interea non cessabis; sed summo studio, vigilantiaque in eam vnam curam totus incumbes, vt quamplurimos in viam salutis reuoces, reuocatosque tuearis, atque confirmes. Ego si qua in re prodesse tibi, egregiæque tuæ erga veram pietatem, religionemque voluntati opem afferre potero, velim tibi persuadeas, me libenter, atque optima fide omnia esse facturum. Vale. Roma Septimo Idus Sextilis 1555.

SACRISTAE MAIORICENSI.

Eius Nepotis interfectionem deplorat, varijsque argumentis amicum consolatur.

EGo cum ad te iam diu nihil scripsissem pro singulari mea erga te beneuolentia, tuaque item erga me egregia voluntate, proque mutua inter nos coniunctione, ac necessitudine, maximè cupiebam eam mihi ad te scribendi occasionem præberi, quæ cum iucundissima tibi, tuisque omnibus, tum verò etiam mihi grata esse posset. Sed, vt sunt humanæ res omnes caducæ, fragilesque dum in ea cogitatione essem, vt aliquid tandem ad te scriberem, tristissimus mihi nuntius Bononia affertur, Georgium Togorium Sororis tuæ filium, cum orta inter Hispanos prouinciales rixa, sodalem in summo vitæ periculo constitutum, nulla salutis suę ratione habita, tueri studet, vulnus in capite ab aduersarijs accepisse, ex eoque vulnere paucis post diebus, cum nulla medicorum diligentia, curaque defuisset, mortuum esse. Namque & seruandi amici causa pro eximia sua caritate in medios gladios vltrò se coniecit, & non putauit viri fortis officio se fungi posse, si etiam posteaquam ensis sibi è manibus aduerso ictu excussus fuerat, pedem referret. Itaque dum amissum gladium conatur recipere post seruatum sodalem, qui ope ipsius è periculo euaserat, ipse sibi mortem quæsiuit; ex qua, & si puto te existimare me multis de causis in magno mœrore versari;

nulla

nulla tamen mihi doloris caufa, vel maior, vel iuftior effe videtur, quàm quòd fummæ fpei iuuenem poft aliquot in ipfo ætatis flore pulcherrima ingenij, iudicijque documēta edita nimis cito amifimus; quamquam fi verè id ipfum æftimare fine dolore volumus, non amifimus Georgium, qui in cæleftem patriam ex hoc miferando carcere euolauit, fed eius confuetudinis fructum ad tempus breuiffimum amifimus. Nam cum ille fe graui, periculofoque vulnere in falutis difcrimen adductum effe fenfit, vt verè pium, Chriftianumque virum decebat, ftatim percuffori omnem iniuriam, admiffumque in fe facinus ex animo benignè cōdonauit, deinde ad expiandum diligentiùs animum, Deique gratiam fibi conciliandam ijs omnibus Sacramentis religiofiffimè vfus eft, quæ ab Ecclefia Catholica ad communem omnium falutem procurandam, reparandamque fapientiffimè inftituta conftantiffimè femper coluerat, atque obferuauerat. Neque verò mouet me, quòd procul à patria, parentibufque, & gentilibus fuis in aliena domo ex hac vita deceffit, quando illi nihil earum rerum defuiffe certò fcio, quæ, vel in medicorum peritia, diligentia, fideque pofitæ funt, vel ab amantiffimis parentibus, pijffimifque fratribus defiderari poffunt. Quum primùm enim vulnus accepit in Campegiorum domum eft perductus; vbi à Magnifico Baltaffare, is Bononiæ Epifcopi frater eft amantiffimus mei, ita tractatus eft, vt plurimum illi me, vofque omnes pro eximia erga Georgium caritate debere oportere cenfeam; nihil enim ille reliquum in eo curando fecit, vt beneuolentiam fuam erga me fingularem in grauiffimo eo cafu, pulcherrimo aliquo facinore teftatum relinqueret. In opulentiffima verò familia, feruitiorumque frequentiffima quid potuit à Georgio defiderari, vel à medicis imperari, quin illico promptum, paratumque peramanter, diligentiffimèque effet? Aderant illi cum multi familiares diu, noctuque excubantes, tum Baltaffar ipfe ferè affiduus in cubiculo comes, qui viuum vehementer dilexit, omnibufque rebus iuuit, & ex eius morte non mediocrem dolorem accepit, vt eius ad me litteræ teftantur, quarum exemplum tibi perferendum curaui. Sed ad Georgium redeo, in quo (fi vixiffet) fperabam ingrauefcentem ętatem meam cum aliquo voluptatis fructu conquiefcere facilè poffe. Nunc ego hanc iacturam tecum, & cum mœftiffima matre eius, fratribufque communem ita debilitato, fractoque animo tuli, feroque etiam nunc, vt

qua te potissimum ratione consoler (cum ea ipse in primis caream) reperire nullo modo possim. Leuat mihi tamen dolorem cum in mentem venit nos ea lege natos esse, vt proprijs conditionis nostræ casibus proposita sit vita nostra, neque esse nobis recusandum quicquam, ad quod nos, vel naturæ lex, vel Dei Optimi Maximi voluntas vocarit. Ita enim mecum reputo primùm mortem nullo consilio vitari posse, deinde dolorem, & luctum nostrum in ea re non nobis solum, qui per mortem ad ęternam vitam aditum bonis omnibus patere credimus; sed ijs etiã, qui veritatis luce, diuinæque redemptionis benefitio caruerunt, ita vanum, ita inutilem semper esse existimatum, vt vix virorum appellatione dignos eos esse duxerint, qui res humanas eo animo ferrent, vt vel naturam accusarent in eo, quod acciderat, vel fortunam: aut se, propterea quod quę nollent inuiti pati cogerentur, moerore, lacrymisque conficerent. Hęc ego mihi solatia verissima illa quidem, atque grauissima ita adhibere soleo, vt tamen fatear in recenti quidem vulnere magnum doloris sensũ leuari, minuique; ipsum autem amissæ rei desiderium nondum satis tolerabiliter me ferre posse; in quo si quis me tenerioris animi virum appellet, qui carorum morte, desiderioque aliquantum commouear, nulla me iniuria affectum putabo; malo enim humanioris ingenij vir, quàm durioris existimari. Tu vero, qui iam inde ab adolescentia philosophiæ Christianæ præceptis animum imbuisti, in eamque curam, cogitationemque semper incubuisti, vt te ad Diuinæ legis, consilijque præscriptum effingeres, conformaresque, ita has mei consolandi rationes perleges, vt ad consolandam sororem tuam, feminam illam quidem prudentem, & grauem, sed quæ tamen in carissimi filij morte acerbissimum dolorem capiat necesse est, ea abs te esse afferenda putes, quę, vel ex sacra historia, vel ex intimis philosophię pręceptionibus eruta ad eius molliẽdũ doloris, acerbitatisque sensum pręcipuũ aliquod adiumẽtũ sint habitura. Equidem quod ad me attinet nullis officijs, nullaque mirifici erga vos amoris mei declaratione desinam coniunctionem nostram amare, & colere; ita enim cogito, quæ pars beneuolentiæ meæ Georgio, dum inter nos viueret, debebatur, eam nunc integram ad vos fortiùs diligendos transferri oportere. Quare oro te forti, constantique animo sororem tuam consolare, ad quam ego quoque paucis verbis Italicè commiserandi magis, quàm con-

solandi

solandi doloris causa scripsi. Vale. Roma XI. Calend. Septembris 1555.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Approbat electionem Nuntij Episcoporum nomine ad Pontificem delegati.

VNdecimo Calēdas Octobris Venerabilis Franciscus Crassinius litteras tuas mihi reddidit, cuius ego hominis aduentu maiorem in modum lætatus sum, quòd ad ordinis vestri benè, catholicèque de veteri religionis, sacrorumque cultu sentientis opinionem sustinendam, atque confirmandam nihil potuit opportunius, salubriusque excogitari, quàm communi nomine Nuntium aliquem ad Summum Pontificem mitti, præsertim hoc tempore, in quo cum aliquot Principium virorum *in isto* regno peruersa studia ad nos afferuntur, non videbatur *Episco*porū fides omnino suspitione proditi à se, aut *deserti* gregis carere posse *Quod ego crimen à plerisque* alienissimum esse iam pridem comperi. Quare scito hanc Nuntij missionem cum vobis omnibus commodam, tum mihi in primis gratam, atque iucundam accidisse, summaque diligentia dedisse operam cum Reuerendissimo Protectore, vt Nuntium primo quoque tempore ad Summum Pontificem adduceremus; quæ res quem exitum hactenus habuerit malo te ex ipsius Nuntij litteris, quàm ex me cognoscere. Illud tibi vnum affirmare possum Pontifici nihil fieri potuisse gratius, quàm per te curatum esse, vt communi omnium Episcoporum nomine Nuntius ad deferendas vniuersi ordinis voluntates, & obsequia mitteretur, quod ego magnum pondus habiturum puto ad confirmandam Pontificis, amplissimique ordinis erga vos optimam voluntatem. Quod reliquum est perficiam, vt intelligas, me neque consilio, neque rē ipsa Nuntio nunquam defuisse, mihique res tuas, regnique istius amplissimi ita curę esse, vt maiori planè esse non possint. Vale. Roma Tertio Nonas Octobris 1555.

IOANNI VISSOCSKI ABBATI LANDENSI Secretario Regio.

Gratias agit pro munere pellium.

GRata tibi fuisse officia mea vehemēter gaudeo, tantamque tuam erga me voluntatem cum semper magni ante hac feci, tum hoc tempore tam egregio mirificarum pellium munere abs te donatus, & iure optimo plurimi facio, & tibi etiam ingentes eo nomine gratias ago, speroque, me tibi hanc animi tui erga me tam insignem liberalitatem ita gratam fuisse probaturum, vt omnes intelligant te in hominem tui amantissimum, atque in primis memorem, & gratum munus tuum contulisse. Tu velim, si qua se dabit occasio, tibi persuadeas, & me tui tuendi, & ornandi locum nullum esse relicturum, & te à me non vulgari; sed mirifico quodam, præcipuoque amore diligi. Vale. Romæ Tertio Nonas Octobris 1555.

EPISCOPO VARMIENSI.

Pollicetur suam operam Canonico commmendato. Laudat libellum ab eo compositum contra hæreticos. Commendat Pontificis Nuncium, denique de collata illi facultate absoluendi hæreticos admonet.

TErnas literas tuas eodem ferè die accepi, idest decimo Calendas Octobris, ex quibus diligentiam tuam etiam in scribendo summam esse cognoui. Nam quòd longissimè à Regia abes, vererisque ne, vt sæpe fit, incuria tabellariorum in tam multorum dierum itinere litteræ intercidant, prudenti consilio vsus ad me eodem exemplo binas diuersis temporibus litteras deferendas curasti. Quas scito omnes mihi redditas esse, atque ad priores illas semel, atque iterum à me tibi esse responsum. Quamquam animaduerti iam pridem serò istùc ad te peruenire solere litteras meas, quòd plures fortasse quotidie reperiantur, qui istinc ad nos, quàm qui hìnc in istam prouinciam proficiscantur; atque ij, si qui sunt, quòd in patriam reuertuntur, facilè eius officij obliuiscuntur, vt litteras reddant; quamobrem vereor, ne interdum in ea re diligentiam meam requiras; tametsi nun-

quam

quam à me commiſſum adhuc eſt, quoties tabellarij facultas fuit, quin ad te illicò ſcriberem, ſi modo fuit aliquid, quod ſcire te, tua quicquam intereſſe exiſtimare poſsem. Sed ſpero meas litteras, quamuis ſerò, ad te quandoque tamen eſſe perlatas. De Canonico Varmienſi Senatoris Dantſicani filio, quem mihi diligentiſſimè commendaſti, volo te exiſtimare ita mihi tua cauſa curæ fore, vt ſi vnus ex meis intimis familiaribus eſset, daboque operam, vt is intelligat mihi te cariſſimum eſſe, tantique fieri, quanti neminem præterea in ampliſſimo iſto regno antehac vnquam fecerim, aut poſt hac facturus fortaſse ſim. Quod autem ad proximas litteras tuas attinet, velim tibi perſuadeas me neque Olao Archiepiſcopo Vpſalenſi, neque cuiquam alteri ex multis, apud quos egregiam pietatem tuam cum ſumma eruditione coniunctam libenter prædicare, atque admirari ſoleo, voluntatem meam erga te optimam quidem illam, & ſingularem planè, & ex animi mei ſententia declarare potuiſse; vt enim amoris in te mei vmbram aliquam animaduertere plerique facilè potuerint, quòd frequenter in tuas laudes prorumpere vbique ſoleo; nullam tamen rationem me, vel ad tuas præclaras virtutes pro meritis laudandas, vel ad mirificam profectò animi erga te mei voluntatem, beneuolentiamque explicandam reperire adhuc potuiſse certò ſcio. Quare ſi quid Olaus ad te ſcripſit, fecit ille quidem peramanter, vt ſolet; amoris tamen mei erga te magnitudinem nullo modo potuit ſcribendo conſequi. Sed venio ad eam partem tuarum litterarum, quæ me magnopere delectauit; non ea ſolum de cauſa, quòd ſtudium, & diligentiam ſingularem in tuenda religionis cauſa in tua prouincia præſtare te cognoui; ſed quòd etiam edito nuper libello Andreę Fricij obiecta confutaueris, atque dilueris, quem ego libellum cupidiſſimè legi, collatis vtriuſque argumentis, & rationibus, quibus te video fortiter robuſtiſſimum nebulonem confeciſse. Erit certè operæ pretium, & huius libelli diſputationem in Chriſtianam fidei confeſſionem ſuo loco inſerere, & eam abſolutam vno tantum volumine, adhibita prius diligentiore in imprimendo cura, in lucem edere. De Veronæ Epiſcopo, quem tecum puto iam coram multa eſse locutum, nihil addo, præter ea, quæ tibi à me ſuperioribus litteris ſcripta ſæpe eſse memini. Virum ſcilicet eum eſse ſingularis probitatis, atque doctrinæ, cuius opera, & prudentia, ſi veſtri ordinis ſtudia vna cum Regis Se-

gis Serenissimi optima voluntate pietateque coniuncta accesserint, spero amplissimo isti regno pristinum religionis cultum, idest æternæ salutis verissimum pignus propediem restituendum fore; tametsi, vt ex Nuntio vestro audio, & ex multorum litteris quotidie ad nos, affertur, hęreticorum numerus in dies magis augetur, & malum partim naturæ suæ contagione, partim etiam Principum aliquot virorum conniuentia (ne dicam impio scelere) latissimè serpit. Sed aderit pijs suorum conatibus Christus Iesus, & spiritus sui gladio hostium phalanges conficiet, & prosternet. Vos modo viri estis, & ad ea studia & voluntatem, quam adhuc optimam attulistis, si nihil amplius accedere potest; id vnum saltem accedat, vt assiduis precibus ad rem benè, prosperèque gerendam à Deo Optimo Maximo opem, consiliumq; impetretis; in quo nos etiam omnem operam libenter pro istius prouinciæ salute obtinenda collocabimus. Vale.

Epistolam tuam Pontifici, cum primùm facultas fuit, quæ mihi postridie, quàm acceperam, oblata commodissimè est, reddidi, simulque multa de te, tuisque laudibus commemoraui. Quid quæris? & elegantissimis litteris tuis, & prolixa mea tuorum meritorum prædicatione *ita delectatus est Pontifex*, vt non modò tibi peramanter rescribendum duxerit; verum etiam, & de hæreticorum libris legendis, & de facultate absoluendi eos, qui ad Catholicam professionem, postquam in hæresim prolapsi sunt, redire cupiunt, tibi liberaliter, quæ tantotempore iamdiu postularas, concessit. Id vnum impetrare nullo modo potui, vt liceret tibi ad sacerdotia promouere eos, qui à monachorum, fratrumque sodalitijs, & vitæ institutis ad communem, sæcularemq; ordinem desciuerunt. Qua in re suadeo tibi, vt aliqua alia ratione tuæ prouinciæ consulas, atque, vt cæpisti, fortem Christi athletam cum summa tua laude, gregisque fidei tuæ commissi salute constanter agas.

Vale iterum mi frater carissime. Roma Tertio Nonas Octobris 1555.

EPISCO-

Gratias agit pro pellium dono, promittitque operam ſuam eius fratri à Regina commendato. Denique hortatur ad tuendam Catholicam Religionem contra hæreticos.

AD decimum Calendas Octobris Martinus frater tuus mihi litteras tuas reddidit vna cum pellibus, quas ad me pro tua liberalitate, beneuolentiaque erga me ſingulari afferendas curaſti, quo ego nomine magnas tibi gratias ago, polliceorque me ſedulo ſemper curaturum, vt intelligas te apud hominem gratiſſimum, atque in primis amantem tui eiuſmodi munus collocaſſe. Martini autem fratris tui negotia velim exiſtimes mihi ita curæ fore, vt tibi in eo tuendo, & ornando nihil, aut certè minimum ſim conceſſurus. Quare iubeo te ea de cauſa bono animo eſſe, ſperareque à me ea omnia, quæ ab homine amiciſſimo expectari poſſunt. Commendauit eumdem mihi diligentiſſimè Sereniſſima Regina Bona; cuius ego vnius cauſa omnia & velle, & præſtare debeo; quamquam in fratre tuo defendendo nulla mihi antiquior, honeſtiorque ratio eſſe potuit, quàm quòd frater tuus eſſet, eaque poſtularet, quæ cum bono, & æquo coniuncta ſunt. De ſuſtinenda religionis cauſa, purgandaque ab impijs hæreticorum dogmatibus iſta prouincia, ampliſſimoque regno, puto te cognouiſſe, & quæ iam pridem à me procurata ſunt, & ex Summi etiam Pontificis litteris ad vniuerſum ordinem veſtrum miſſis certiorem eſſe factum, quanto Sedis Apoſtolicæ ſtudio Nuntius ſit profectus, ex quo te coram puto iam audiſſe quàm grauem omnibus nobis dolorem attulerit tam latè ſerpens in iſta prouincia malum, atque calamitas, cui vt egregio aliquo cum fructu maturè occurratur cum Nuntij ipſius viri Sanctiſſimi, eximiaque doctrina, & iudicio præditi conatus omnes, & ſtudia, tum totius ordinis veſtri, ſingulorumque diligentia, atque pia quædam, & hoc tempore perneceſſaria bonorum conſpiratio in vnum conferantur neceſſe eſt. Quod ſi erit bona fide factum, ſperandum certè eſt, Deum Optimum Maximum in re tam pia, atque ad ipſius in primis gloriam pertinente, voluntates, preces, conatus, & ſtudia hominum benignè amplexurum eſſe, atque adiuturum. Vale, & me Martini tui negotijs optimũ patronũ fore cõfidito. Roma Tertio Nonas Octob. 1555.

ANDREAE SCHPOTO EPISCOPO LAODICENSI.

Ostendit scribendi vsum fuisse repertum ad amicorũ commoditatem. Gratulatur Canonicatum illi collatum.

AD decimum septimum Calen. Decembris binas litteras tuas accepi, in quibus quòd longiusculam tuam à scribẽdo cessationem tam multis verbis, & tam diligenter excusas, beneuolentiæ tuæ erga me magnitudini, singularique tuæ humanitati concedendum esse intelligo. Veritus enim es, ne si diutiùs litteris tuis caruissem, animum meum offenderes. Ego vero, & si litteris tuis magnopere delector, nunquam existimaui amici hominis officium esse, propriæ voluptatis causa id ab amicis postulare, quod sine summo illorum commodo perfici posset. Quin potius epistolarum vsum ea tantum de causa repertum esse arbitror, vt amicorum commoda absentes nosse, & procurare, quum opus est, facilè posſimus. Quare noli laborare, si quum nulla se præbuit occasio ad me scribendi, nimium diuturno silentio tibi vsus videris. Quando erit aliquid cur ad me scribendum censeas, in quo ego tibi opera mea prodesse posſim, tunc verò peto à te vehementer, vt minimè in scribendo cesses. De Canonicatu Cracouiensi, quem tibi Episcopi liberalitate, vel remuneratione potius obuenisse gratulor, erit mihi curæ, vt quæcunque ad ius tuendum, conseruandumque prodesse, aut aliquo modo pertinere arbitrabor, ea meo nomine, si quid mea valebit auctoritas, cum apud iudices, tum apud omnes summa diligentia commendentur. Vale. Roma xij. Calen. Decembris 1555.

MARIAE ANGLIAE, ET FRANCIAE REGINAE.

Gratulatur Angliæ Regnum in viam veritatis reuocatum. Rogat, vt ratam habeat pensionem à Pontifice sibi collatam super fructibus Monasterij.

QVum mihi Dei Optimi Maximi benefitio concẽssum sit, non modo, vt per Maiestatem Tuam amplissimum, nobilissimumque Angliæ regnum in viam veritatis, & salutis reuocatum viderem (in quo certè non minus Maiestatis Tuæ sapientiam, & benignitatẽ, quàm Diuinæ Prouidentiæ, pietatisque magnitudi-

nem meritò plerique omnes admirantur) verùm etiam , vt dignus, idoneusque existimarer, cuius opera, quæcunque hìc apud Summum Pontificem , amplissimumque Senatum pro tuenda , amplificandaque istius regni dignitate, & commodis agenda essent, Maiestas Tua vteretur. Maximas pro eo certè, ac potui,debuique gratias egi Omnipotenti Deo,qui me ad hęc tempora reseruarit , idoneumque ministrum fecerit duorum potentissimorum Regum pijs , catholicisque desideriis obsequendi . Neque verò vlla mihi occasio præberi potest, in qua putem me gratiorem Deo operam præstare posse , atque ideo me ab eo magis diligi , quàm si omnia mea studia , diligentiam , cogitationes denique omnes ad Maiestatis Tuæ , Serenissimique Regis viri sui obsequia conferre mihi liceat;cum persuasum planissimè habeā amborum studia, & vota cum ad vnius Dei gloriam,tum ad subditorum suorum salutem omnia referri.Quare primum est quod iure optimo gaudeam,cum Maiestatis Tuę opera eos,qui in densissimis errorum tenebris miserè versabantur ad veritatis lucem reuocatos cernimus;deinde sperem,me eiusdem opera à Serenissimo viro suo impetraturum, vt vel annuam duorum millium ducatorum pensionem super fructibus Monasterii S. Martini Tornacēsis à Iulio III.Pontifice Maximo duobus ante annis mihi donatam, ratam esse velit, iubeatque ita, vt ad me eius pensionis commodum omnino integrum redeat, vel bona eiusdem venia mihi liceat aduersus Priorem, & monachos eius monasterii de iure meo experiri. De qua re quia pluribus verbis ad Illustrissimum , & Reuerendissimum Dominum meum Sedis Apostolicæ Legatum scripsi, ipsumque etiam Maiestatis Tuæ Oratorem ad eam perscripturum esse certò scio , plura non addam. Illud vnum Maiestatem Tuam etiam , atque etiam vehementer oro , atque obsecro , vt se mihi in hoc negotio patronam optimam præbere velit; nam & Cardinalem inopem in causa iustissima subleuabit, tuebiturque ,& in hominem obsequiis suis addictissimum summum benefitium conferet ; cuius ego benefitii memoriam quanta maxima fieri poterit gratissimi erga Maiestatem Tuam animi significatione,ac testificatione prestabo. Valeat Maiestas Tua felicissimè . Roma Nono Calend. Ianuarii 1555.

REGI POLONIAE.

Canonicatus litem in Rotæ auditorio esse cognoscendam. Facultatem nominandi ad Sacerdotia Regibus esse negatam; Promittit tamen Pontificem collaturum beneficia illis, quos Rex nominauerit Datario.

CVm ad quintum Idus Decembris ternas Maiestatis Tuæ litteras semel accepissem, expectaui, vt ad eas responderem, donec certi tabellarii copia esset, simulque aliquid confectum haberem, in quo diligentiam, studiumque meum erga Maiestatem Tuam planè probare possem. Nunc autem quum Maiestatis Tuæ Nuntius puerũ istùc data opera mitteret, meas partes esse putaui, vt de quibus rebus ad me Maiestas Tua iam pridem scripserat; de iis quantum obtinere valuerim, certiorem eamdem breuibus facerem. Primùm igitur quod ad litem inter Vicecancellarium, & Martinum Zidovvski de Cracouiensi canonicatu, attinet; quoniam ea causa in Rotæ auditorio cognoscitur, frustra laboratum est, vt ab Ordinario Iudice ad me, vel alium transferretur sine legitima causa; quando apud eum iudicem, qui maiorem in modum Reuerendissimum Protectorem colit, atque obseruat, omnia ex æquo, & bono vterque litigantium plurimum sibi valitura sperare possit, & debeat. Impetratum tamen ab eo est, vt quum causæ eius exploratum aliquid habebit, non prius sententiam ferat, quàm de tota re Reuerendissimus Protector certior fiat; vt aliqua ratione Vicecancellarius de re dubia, & controuersa cum aduersario transigere possit. Id enim viri prudentis esse iudico, vt in mala causa secundo consilio vsus rebus suis consulat. De nominandi autem facultate, quam sibi Maiestas Tua integram conseruari, atque etiam confirmari postulat, egi cum Summo Pontifice diligentissimè; quia verò reliquis omnibus Regibus eius generis facultates negatæ sunt, nihil obtinere potui: quamquam inuenta via est, qua sine specioso illo facultatis nomine idem Maiestas Tua cõsequetur. Nam quotiescunque vacauerint Sacerdotia, quæ nos perscripta, & consignata Datario dabimus; ea Summus Pontifex illis viris collaturum se recepit, quos Maiestas Tua tamquam dignos, quorum in primis ratio habeatur, nominauerit. Quare nihil est quod in hac parte laborandum magnopere post hac

Maiesta-

Maiestàti Tuæ iudicem ; nam si rem ipsam tenemus, magnificas illas facultatum appellationes tamquam inanes ęquo animo eripi nobis patiemur. Hæc paucis attigi, partim quòd ipsius Nuntij litteris putaui ad Maiestatem Tuam esse perscripta, partim quòd sunt eiusmodi, vt longam orationem non desiderent. Ego quod possum sedulò curo, quæ Maiestatis Tuæ cordi esse intelligo, neque mihi gratius accidere quicquam potest, quàm si mihi occasio se vlla præbeat, in qua Maiestati Tuæ obsequi possim, quam ego opto diu felicissimè valere. Roma Nonis Ianuarij 1556.

CARDINALI PORTVGALLENSI.

Antonium olim Iulij III. cubicularium commendat ad obtinendum locum inter familiares.

ANtonius Guidalottus, qui inter omnes aulæ, cubiculique ministros Summo Pontifici Iulio III. carus in primis fuit, cum ob ingenij, animique sui dotes, tum vel maximè quòd sedulitate, fide, & obsequio nemini cederet; à me magnopere contendit, vt eum mearum litterarum testimonio, quod ille sibi plurimum profuturum sperat, Reuerendissimæ Amplitudini tuæ commendarem, cui se in fidem, clientelam, omneque obsequiorum genus summa quadam animi alacritate, & desiderio addixit. Ego vero, cui nihil antiquiùs vnquam fuit, quàm bonis benefacere, & industrios, probosque viros quacunque fieri possit ratione subleuare, atque ornare; eiusmodi officium libenter suscepi. Quare rogo Illustrissimam Dominationem Tuam, vt hominem sui cupidissimum, atque ad obsequendum, famulandumque sibi paratissimum ita in familiam suam accipiat, vt is intelligat, & meum de se testimonium apud eamdem alicuius fuisse ponderis, & non vulgarem commendationem meam magnum sibi adiumentum ad aperiendas quasi fores clientelæ suæ apud Amplitudinem Tuam attulisse. Quod si, vt spero, fiet, magno me benefitio sibi deuinctum fore Illustrissima, atque Reuerendissima Dominatio Tua existimare debebit. Valeat eadem felicissimè, & mihi sui studiosissimo res ipsius omnes summæ curæ esse planè sibi persuadeat. Roma Septimo Idus Ianuarij 1556.

IOANNI

IOANNI PRZEREMPESKI VICECANCELLARIO Regi Poloniæ.

Nuntium, & Religionis causam commendat. Promitit suam operam in defendendo Iure Canonicatus.

CVm ad quintum Idus Decembris litteras tuas accepissem, multoque ante hìc nonullorum ex prouincia litteris iam auditum esset, Veronæ Episcopum, qui Sedis Apostolicæ Nuntius ad vos proficiscebatur, ad Regis aulam peruenisse, non sum arbitratus per magni interesse, vt statim ad te rescriberem, hortarerque, vt pro tua singulari fide, & pietate Christianæ religionis causam tuendam susciperes; quam ego abs te iam diu semper defensam omni contentione, ac viribus exploratissimum habebam. Nunc vero cum certi istuc tabellarij copia sit, nolui prætermittere vllum erga te amici hominis officium. Nam quod ad me de Cracouiensi Canonicatu Serenissimus Rex scripsit, in quo litem tibi Martinus Zidovvski intendit, quæ hìc ad Sacræ Rotæ iudices delata est; *scito me cum Regis ipsius mandato*, quod ego plurimi iure optimo facio, tum tua ipsius causa, eam operam, & diligentiam tibi præstaturum, vt facilè intelligas, me tibi, quem in amore præferam, habere planè neminem. Quidquid enim in ea causa à me fieri, aut à te iustè postulari poterit, dabo operam, vt optima fide à me perfectum esse, & omnes sentiant, & tu planè fatearis. Vale, & religionis rem fortiter iuua. Roma Sexto Idus Ianuarij 1556.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Apostolicum Nuntium, & Christi causam commendat.

AD sextum Calen. Ianuarij litteras tuas accepi xvii Calen. Decembris Louitij datas, ex quibus te bene valere (quod primùm cupiebam) cognoui; deinde (quod plurimi facio) sperare te Apostolici Nuntii diligentia, atque opera; si modo ille in isto regno integrum annum maneat, magnum adiumentum labenti, nutantique Catholicæ fidei, atque religioni allatum iri. Huius tuæ spei fundamentum cum in ipsius Nuntii doctrina, probita-

probitate, & prudentia ſitum eſſe facilè intelligo, tum vero etiam in tua erga religionem egregia pietate, & ſtudio, adiunctis quoque tui ordinis optimorum virorum viribus,quorũ conſpiratione ad hanc rem perficiendam maximè opus eſſe ſemper iudicaui, repoſitum eſſe, & collocatum exiſtimo. Quare dabitur à me ſedulò opera, vt Summus Pontifex Nuntium ex iſta prouincia intra annum minimè reuocet, atque etiam ſi fieri poſsit, vt iſtic apud vos tandiu eſſe ſinat, dum quæ ad inſtaurandam, confirmandamque Catholicam religionem pertinent, eas radices egerint,vt nulla hæreticorum, nouatorumque fraude conuelli, aut aliqua ex parte moueri poſsint. In hac re velim tibi perſuadeas me maximè vigilaturum,cum ipſius Chriſti cauſa, de qua in primis agitur, adductum, tum etiam ampliſsimi iſtius regni ſalutis deſiderio accenſum. Tu vero, vt cæpiſti, fortiter Chriſti cauſam defende, & Nuntij conatus omnes ſummo ſtudio, acrique contentione iuua, atque tuere.Vale, & ſalutem Hieronymo tuo meis verbis nunciato. Roma Quinto Idus Ianuarii 1556.

EPISCOPO *LAODICENSI*.

Promittit ſuam diligentiam in defendenda cauſa Canonicatus Cracouienſis.

CVm ſæpe aliàs puto te potuiſſe planè intelligere, quantę curæ mihi fuerint omnia tua negotia, tum in hac cauſa Cracouienſis Canonicatus dabo operam, vt beneuolentiæ meæ erga te ſingularis tam illuſtria documenta appareant, vt omnes etiam fateantur te à me mirificè diligi. Tu modo fac, vt ea ad me deferantur, in quibus operam, ſtudium, & diligentiam meam (quæ omnia ſemper paratiſsima tibi à me eſſe volui) honeſtè,atque cum vtriuſque noſtrum dignitate collocare poſsim. Vale, & me, vt ſoles, ama, quia & nos te vehementer amamus. Roma Nonis Martii 1556.

EPISCOPO VARMIENSI.

Laudat tranſactionem cuiuſdam litis.

CVm mihi Ioannis Leomanni Cancellarii tui cauſam Nuntius per litteras ſuas diligentiſsimè commendaſſet, cuius

ego erga te studium, & beneuolentiam præcipuam esse cognoui, ideoque etiam vehementiùs illum amaui; dedi statim operam, ne quid à me prætermitteretur, quod, vel negotij ipsius ratio postularet, vel à singulari mea erga vtrumque vestrum voluntate proficisci posset. Quare cum ad me Samsonem accersiri iussissem, qui Cancellarii tui negotium procurat, ex eoque de litis transactione præter opinionem meã cognouissem; primùm quidem benemerendi de vobis mihi ereptam de manibus occasionem ægrè tuli; deinde verò tota re diligentiùs, prudentiùsq; considerata magnopere lætatus sum, ea ratione & sumptibus, & incertis litium euentis, & quod plurimi iure optimo semper feci, tranquillitati, & otio sapientissimè consultum esse. Quare gratulor tibi, & Cancellario tuo, eumque per te hortatum maximè velim transactionem hanc ratam esse, vt iubeat, atque vt existimet exigua pensionis annuæ iactura plus sibi vtilitatis comparatum esse; quàm si post longum tempus (quod fieri necesse profectò erat) integrum Sacerdotij censum cum assidua animi cura, & sollicitudine fuisset consecutus. Vale, & religionis negotium, vt cæpisti, fortiter, audacterque defende. Roma xvii. Calendas Maii 1556.

D. FRANCISCO NAVARRA ARCHIEPISCOPO Valentiæ.

Gratulatur Episcopalem dignitatem. Innuit pensionem sibi soluendam à Regia benignitate concessam.

CVm primum est ad me allatum Serenissimi Regis Philippi sententia, egregiaque erga te voluntate honestissimam cum nobilitatis, tum vero etiam eximiarum virtutum tuarum rationem fuisse habitam; non ea tantum de causa magnopere grauisus sum, quòd te vnicè semper dilexi, ac plurimi feci; sed etiam quòd ad amicitię tuæ, quam iam diu maiorem in modum cupio, atque expeto, quasi fores ingrediendas ex proxima honoris tui accessione commodissimè mihi aditum patefactum esse intellexi; neque enim dubito hanc meam voluntatem tibi non modo optimam, atque honorificam erga te visum iri; sed etiam dignam, cui tu pari animi tui voluntate, ac beneuolentia libenter respondeas. Quare cum tibi iure optimo eam honoris accessionem

ſionem gratulor, tum mihi etiam vehementer gaudeo, quòd meorum votorum compotem pulcherrima quidem, atque vt ego ſentio, vtrique noſtrum gratiſſima ratione factum me eſſe video. Nam quando tibi annuæ penſiones ſuper fructibus Eccleſiæ Valentinæ neceſſariò ex Sereniſſimi Regis decreto perſoluendæ nonnullis erant, nolo exiſtimare te libentiùs cuipiam, quàm vni mihi, qui te mirificè diligo, cupiſſe perſoluere. Vt enim multos habeas, qui tibi benè velint, virtuteſque tuas ament, atque admirentur, certè qui te plus diligat, tuaque cauſa magis omnia velit, & cupiat, quàm ego velim, habere te puto neminem. Quare primùm tibi perſuadeas me tibi amiciſſimum eſſe, tuique propter excellentes virtutes tuas, eximiumque ſplendorem ita cupidum, atque ſtudioſum eſſe, vt etiam ad dignitatem meam plurimum acceſſurum decoris, atque ornamenti exiſtimem, ſi te ad me mutuò diligendum quibuſcũque poſſim officijs alliciam, atque perducam. Deinde verò me ita tibi fauſtam, felicemque iſtam honoris acceſſionem precari, atque optare, vt pollicear etiam me tua cauſa libentiſsimè omnia eſſe facturum, quæ ab homine amiciſsimo, dignitatiſque tuæ cupidiſsimo ſperare te, atque expectare æquum eſſe exiſtimabis. Vale, & me mutuò ama. Roma xiij. Calen. Iunias 1556.

BERNARDINO GOMEZ DE MIEDES ARCHIDIACONO Muriueteris, & Canonico Valentino.

Commendat ſuos Procuratores in exigendis annuis penſionibus ſibi à Rege Philippo aſſignatis.

ET veteris tuæ erga me beneuolentiæ, qua præſens præſentem aliquandiu hìc liberaliter coluiſti, & egregiæ humanitatis, prudentiæque tuæ recordatio fecit, vt tibi nunc ea ſcribere auderem, quæ amiciſsimi homines inter ſe familiariter ſcribere ſoliti ſemper fuerunt. Exiſtimaui enim te, ſi quid conſilio, auctoritate, re ipſa denique rationes meas adiuuare poſſes, libenter omnia eſſe facturum, vt in quo iam pridem amando ſingularis quædam animi tui voluntas extitiſſet, hunc tu perpetuis beneuolentiæ officijs conſtantiſſimè proſequereris. Id autem me ſentire de te cùm tibi honorificum videri debet, tum mihi multò iucundiſsimum eſt, qui te ſemper meritò dilexi, atque

etiam, vt par erat, plurimi feci. Quare cum mihi Serenissimus Rex Philippus incredibili sua erga me benignitate annuam duorum millium ducatorum pensionem super fructibus Valentinæ Ecclesiæ nuper donarit, eaque res Summi Pontificis auctoritate, ac totius Senatus suffragio confirmata sit, peto à te etiam, atque etiam vehementer, vt procuratores meos, quorum in extrema epistola nomina adscribenda curaui, quacunque poteris ratione, cum vsus venerit, adiuuandos mea causa libenter suscipias. Illis ergo pensionis meæ litteras expeditas misi, quæ solemni more Archiepiscopo denunciandæ, atque exhibendæ erunt. Qua in re, quia mercatores sunt, fierique potest, vt sine aliorum ope, & consilio huius negotij perficiendi exitum reperire nequeant, rogo te pro eximia tua erga me beneuolentia, meaque item erga te singulari, vt hanc meam causam tuam esse putes, perficiasque tua prudentia, vt non modo in litteris denunciandis, sed in annuis etiam, vel semestribus pensionibus exigendis procuratores mei sentiant, atque ego ipse quoque planè intelligam, te mihi summo adiumento fuisse. Quod & si spero te bona fide esse facturum; tamen quòd ea res mihi maximæ curæ est, te etiam rogo, atque obsecro, vt ad eam ex sententia perficiendam omnem operam, diligentiam, curam, industriam, mentem denique, ac cogitationes tuas omnes amicè afferas, tibique persuadeas, si quid à me tua causa præstari poterit, in eo, si opera mea vti volueris, & te mihi gratissimum esse facturum, & me quanti te faciam, quantumque meritò diligam facilè omnibus declaraturum. Vale. Roma xiij. Calen. Iunias 1556.

REGI POLONIAE.

Oratorem Regium Pontifici gratissimum fuisse. Eius postulata in proximo futuro Concilio decidenda. Denique hortatur, vt in hæreticos seuerè animaduertat.

QVando id à Maiestate Tua factum est, quod mihi maximè erat optatum, summusque ordo, atque ipse Pontifex meritò exoptare videbatur, scilicet vt virum inter Regni tui proceres præstantissimum Oratorem hùc mitteres, tanta lętitia sum affectus, quanta ex secundissimis Maiestatis Tuæ rebus, immortalisque honoris, & gloriæ plenissimis capere me præcipua mea

erga

erga eamdem, perpetuaq; obseruantia postulat. Quare cũ ipsum factum Maiestati Tuæ vehementer gratulor, tum eiusdem consiliũ in deligẽdo hominem maiorem in modũ laudo. Stanislaus enim nõ modò nobilitate, multisq; ad Sũmos Principes legationibus honestissimè obitis clarus; sed incredibili grauitate, modestia, prudentiaq; præditus ita munus suũ Maiest. Tuæ nomine ornauit, atq; sustinuit, vt omnib. atq, in primis Sum. Pontifici gratus maximè, atq; acceptus fuerit. Hæc autẽ ideo ad Maiestatem Tuã scripsi, primùm, vt secũ ipsa gaudeat, nõ modò animi sui pietatẽ, atque obseruantiam erga Pontificem, Sanctamque Sedem Apostolicam mirificè omnibus probatam fuisse; verum etiam consilium suum in ea re perficienda sapientissimum esse iudicatum; deinde verò, vt testimonio meo diligentiam, atque virtutem Stanislai commendarem, cuius ego in imposito sibi munere obeundo prudentiam, studium, atque industriam numquam satis laudarem. De postulatis autem Maiestatis Tuæ, quando eius generis sunt, vt vniuersæ Ecclesiæ consensu recepta, atque diutissimè retenta instituta, moresque tangant, nihil potuit aliud à Summo Pontifice statui, quàm, vt ad vniuersæ Ecclesiæ sententiam, auctoritatemque deferrentur, cuius rei perficiendæ, maturandæque gratia, vt scilicet vndique ad Concilium Vniuersi Christiani orbis Episcopi conueniant, iam Legatos ad Principes misit, nihil officij, sedulitatisque prætermittens, quò celerrimè ad eam rem omnes accingantur. Quod si Deus pacem nobis pro infinita sua bonitate largietur, non dubito quin propediem in Oecumenico Cõcilio controuersiæ omnes decidantur, & suus religioni nitor, verusque pietatis cultus vbique restituatur, nouarumque rerum cupidi homines cum fraudulentis suis consilijs, impurissimisque moribus dignissimam impietate sua pœnam ferant. Quibus monstris veriùs, quàm perditissimis voluptatis mancipijs tollendis, compescendisque, si Maiestas Tua Maiorum suorum, maximèque Parentum exempla secutus, strenuam, Deoque gratissimam operam dare voluerit, sperare certè possumus amplissimum istud regnum, adhibita Apostolici Nuntij, plurimorumque optimorum virorum benè de religione sentientium cura, & vigilantia in pristinum veræ pietatis cultum esse rediturum. Permagni enim interest ad continendos in officio ciues, qualis Regis animus, atque voluntas esse intelligatur, aut existimetur. Quare Maiestatem Tuam etiam, atque etiam vehe-

 mentes

menter oro, atque obſecro, vt Chriſti Redemptoris cauſam, & populorum ſuorum ſalutem, & regni iſtius ampliſſimi tranquillitatem ita tuendam ſuſcipiat, vt qui malè de veteri religione ſentiunt, principes, inquam, viri, quique in conſilium adhibentur, cognita Maieſtatis Tuæ voluntate, de mutando impietatis ſuæ propoſito, antequam ſeuerisſimè in eos animaduertatur, cogitent. Quòd ſi Maieſtas Tua pulcherrimo aliquo ſeueritatis exemplo edito, Catholici animi ſui documenta oſtenderit, non dubito quin extemplo tenuis, rudiſque plebecula deſertis impietatum magiſtris, veteres Eccleſiæ Catholicæ ritus auidiſſimè complectatur, atque recipiat. Reliquum eſt, vt ſibi Maieſtas Tua planè perſuadeat, mihi res ſuas omnes curæ eſſe, eaque de cauſa me neque in Senatu, neque apud Pontificem quicquam eſſe prætermiſſurum, quod ſi à me factum eſſet, aut Maieſtatis Tuæ cupidus, aut eiuſdem voluntati obſequentior videri poſſem. Valeat Maieſtas Tua feliciſsimè, atque diutiſsimè. Roma Septimo Calen. Iunij 1556.

ARCHIDIACONO MVRIVETERIS.

Commendat ei exigentiam penſionis pro Cardinali de Nobilibus.

QVum ad te paucis ante diebus de toto negotio penſionis meæ diligentiſſimè ſcripſiſſem, curauiſſemque etiam, vt ad omnia, quibus in ea re perficienda opus tibi eſſe poſſet, accommodata remedia, atque cautiones præſcriptas haberes, Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Dominus meus Cardinalis de Nobilibus, cui ego plurimum debeo, cuiuſque cauſa magnopere volo, petiuit à me, vt quando vtriuſque noſtrum ferè par eſſet conditio in procuranda, exigendaque ab Archiepiſcopo Valentię penſione, eiſdem procuratoribus, adiumentiſque vterque vteretur. Nam vna opera (quamquam diuerſa ſunt nomina) vtrumque negotium commodiſſimè videtur confici poſſe. Quare te etiam, atque etiam rogo, vt deuinciendi tibi eius Cardinalis ampliſſimi adoleſcentis, qui Iulii III. Pontificis Maximi nepos propria virtute nomen ſuum reddidit illuſtrius, occaſionem ita arripias, vt cum tua ſponte, tum meo etiam rogatu adductus libenter omnia curanda ſuſcipias, quæ ad penſionis

nis

nis negotium statuendum, atque ex sententia perficiendum videbuntur esse necessaria. In hac autem causa velim existimes (quod tuo tamen commodo fiat opto) nihilo mihi gratiorem futuram diligentiam tuam in mea, quàm in eius Cardinalis, quòd mihi sit coniunctissimus, vtilitate procuranda. Ego certè vtroque nomine tibi sum debiturus, polliceorque, atque in me recipio fore, vt aliquando intelligas, te in homines gratissimos, tuique amantissimos officium tuum contulisse. Vale. Roma Tertio Calen. Iunij 1556.

ARCHIEPISCOPO HISPALENSI.

Commendat Didacum Lassum ad obtinendam possessionem beneficiorum à Pontifice illi collatorum.

NOli mirari, si fortè præter spem tuam nunc tandem ad te scribo, quem ego vnum inter principes, honestissimosque viros iam pridē plurimi fieri quum cognouissem, iam diu & mirificè semper dilexi, & abs te vicissim vt diligerer magnopere optaui. Verum, vt sæpe vsu venisse multis memini, quum mihi natura ipsa verecundo nulla offerretur occasio ad singularē animi mei erga te, egregiamque voluntatem declarandam, malui suauissimo beneuolentiæ tuæ fructu tamdiu carere, quàm vel leuissimam suspicionem alicui dare, me priuatæ meæ vtilitatis, aut cetè voluptatis causa, nulla quietis, aut otij tui ratione habita, te ad me diligendum astutè allicere voluisse; in qua molestissima cogitatione cum aliquot annos ægrè sustinerem impetum desiderij mei, non quiui tamen verecundiæ meæ morem non gerere. Itaque fateor me mihi in ea re multum iucunditatis inuidisse, & tibi, vt opinor, fortasse non parum; nam qui inter veros amicos fructus ex mutuis beneuolentiæ officijs percipi solet, is numquam acerbus, aut immaturus esse consueuit; contra verò semper opportunus, semper gratus, suauisque ab omnibus iudicatus est. Hactenus tibi desiderij, & verecundiæ meæ vim, magnitudinemque exposui. Nunc vero quis mihi optatissimum ad te scribendi aditum primus aperuit, paucis accipe. Didacus Lassus vir Hispanus cum suorum Maiorum nobilitate, tum propria virtute, atque eruditione clarus, qui apud Summum Pontificem, amplissimumque Senatum multos iam annos Ferdinan-

Ferdinandi Romanorum Regis negotia summa cum grauitate, atque prudentia procurat, impetrauit à Summo Pontifice sacerdotia quædam in tua Diœcesi, quæ per mortem Laurentij Figuera nuper vacarunt. Eorum possessionem vt procuratores eius, te maximè libente, atque etiam fauente, consequantur, id ego abs te etiam, atque etiam vehementer peto, atque contendo. In quo & me, & illum, qui mihi amicissimus est perpetuo tibi benefitio deuincire potes. Hanc vero meam petitionem, & si te puto intelligere iustam, atque honestam esse, atque ideo sperare me abs te facilè impetraturum; tamen quòd Didaci causa magnopere laborabam, atque ad dignitatem tuam plurimum pertinere arbitrabar, qualis tuus in ea re, quæ Summo Pentifici maximè cordi esset, animus appareret; existimaui meæ erga te beneuolentiæ esse, vt te obsecrarem, obtestarerq; vt in hac Didaci causa magnum momentum ad Pontificis erga te amorem, gratiamque retinendam positum esse tibi persuaderes. Quare, si me amas, dabis operam, vt Sacerdotiorum possessionem Didacus liberè consequatur, quo ego nomine tibi plurimum perpetuo sum debiturus. Quod reliquum est velim existimes me ita tecum mutuis beneuolentiæ officijs certaturũ, vt tamen mihi nihil gratiæ deberi postulem, etiamsi tua causa omnia faciam, quæ ab homine amicissimo proficisci possunt; cũ mihi satis, superque futurum sit, si me vicissim diliges. Hæc ego ad te scripsi partim officiorum meorum conscientia fretus, quæ libenter in nationem vestram, cum egregia voluntatis meæ in illam significatione semper contuli, partim etiam benignitate tua confisus, quæ mihi omnia de te eam spem videntur ostendere, vt neque beneuolentiam meam spernes, & diligenti meæ commendationi, quæ præsertim cum maxima tua dignitate coniuncta sit, tantum tribuas, vt Didacus sentiat, me sibi amicissimum esse, & tua causa plurimum tibi esse obligatum. Vale, & me ama, meaque omnia tibi semper prompta, atque parata esse tibi persuade. Roma Nonis Iunij 1556.

ADAMO CONARSKI R. P. SECRETARIO.

Nuntium, Religionemque Catholicam commendat.

NOli putare mi Adame, vllum me ornandi tui locum aut ante hac prætermisisse, aut posthac esse vnquam prætermis-

missurum. Non enim ita tenuis mea est erga te beneuolentia, vt si videat prodesse tibi in aliqua re posse, nihil de te cogitet, vel nihil agat. Quin volo tibi persuadeas me libenter tui meminisse, honorificèque de te semper loquì cum ijs præsertim, quorum opera ad te arbitror aliquid commodi aliquando peruenire posse. Tu vero fecisti, mihi crede, rem dignam tua pietate, & fide, non modò quòd Veronæ Episcopo nauasti sedulam operam, sed etiam quòd Cancellarium, vt Episcopi conatus omnes adiuuaret, ita inflammasti, vt magnam spem conceperis viri eius egregio studio, atque etiam auctoritate, quæ multum apud Serenissimum Regem valet, magnum adiumentum Catholicæ religioni allatum iri. Hunc tu perge, vt facis, quotidie ad religionis causam omni contentione defendendam accendere; non mediocris tua ex ea re laus erit, sed præclaram apud homines gloriam, ingentem etiam apud Deum mercedem tibi comparabis. Ego, quod semel cœpi, assiduè operam dabo, vt cum ipsum Regem Serenissimum, tum aliquot principes viros, qui piè de religione sentiunt, moneam, horter, atque obsecrem, ne florentissimum istud regnum pessum ire patiantur. Nam si semel perturbata, spretaque religione impuri homines nouis rebus studentes ad ea, quæ designant facinora, viam sibi munitam viderint; nihil est tam fœdum, nihil tam indignum, nihil denique tam miserum, & calamitosum, quod vobis illico ab eis timendum non sit. Quare amabo te in vnam hanc rem incumbe, hùc omnes vires ingenij, omnem cogitationem tuam libenter afferto. Equidem ita statuo, si hoc tempus, dum Nuntius est apud vos, amiserimus, frustra postea laboraturos omnes, vt opem nimium debilitatæ, atque adeo deploratæ prorsus religioni ferant. Scripsi in eamdem ferè sententiam ad Cancellarium, teque illi plurimum commendaui, quod velim credas me libentissimè fecisse. Quod optabas de Nuntij facultatibus iam mea diligentia perfectum est. Quod reliquum est curabis, vt Ioanni Ocescio litteræ reddantur statim, eisque omnibus meo nomine salutem dicas, quorum erga me voluntatem, aut studia cum aliqua pietatis, ac religionis significatione coniuncta esse potuisti cognoscere; imprimis autem Illustrissimo Tarnouio, quem ego plurimi facio, velim Catholicæ religionis causam ita meis verbis commendes, vt is facilè intelligat, me tantum ipsius pietati, atque auctoritati tribuere, vt per se om-

omnia in pristinam dignitatem vindicatum iri planè confidam. Vale. Roma Nonis Iunij 1556.

IOANNI OCESCIO R. P. CANCELLARIO.

Nuntium, Religionemque Catholicam commendat.

VEnerabilis Adamus Conarski vir cum nostri amantissimus, tum in primis studiosus tui, frequenter ad me de egregia tua erga Catholicam religionem voluntate, ac studijs, deque singulari quadam in me beneuolentia tua scribere solet, quæ res cum magnopere me semper delectauit, tum hoc tempore ita visa est necessaria ad ferendam nutanti, ac prope pessum eunti regno isti opem, vt sine te (quanquam bonorum omnium studia, & conatus ad eam rem præsto sint) nihil magnum sperem confici posse. Quare & si te satis tua sponte ad religionis causam sustinendam, atque omni animi contentione defendendam propensum esse intelligo; tamen quòd in eo summa totius negotij reposita esse videtur, vt dum Veronæ Episcopus Sedis Apostolicæ Nuntius apud vos est, proximis Comitijs pro veteris religionis cultu fortiter aduersus nouarum rerum cupidos dimicetur; putaui mei officij, perpetuæque in regnum istud amplissimum, ac florentissimum beneuolentiæ esse, vt te etiam, atque etiam vehementer hortarer, atque obsecrarem, ne patereris corruptissimorum hominum libidine, atque impudentia otium, tranquillitatem, atque etiam salutem istius regni in id discrimen adduci; vnde nulla postea bonorum, principumque virorum studia, nullæ ipsius etiam Regis Serenissimi vires, nulla hominum remedia vindicare, aut in pristinum statum reuocare istius regni decus, & libertatem queant. Ego, & si optimam Regis voluntatem esse confido; tamen summum video instare periculum, ne commutata paululum temporum, aut commodorum ratione, fraudulenta facinorosorum hominum consilia Regis animum falsa aliqua boni specie obiecta, atque proposita labefactare conentur. Prudentiores enim, idest astutiores filij huius sæculi sunt, quàm filij lucis. Quare obsecro te, enitere, & contende quantum potes, ne cuiusquam in malo suadendo improbitas, atque impudentia plus apud Regem valeat, quàm tot Principum, optimorumque virorum recta consilia. Quod si fe-

ceris,

ceris, Nuntijque conatus pios quidem certè; atque isti regno maximè salutares auctoritate tua sedulò iuueris, & conseruati istius regni gloriam; & religiosissimi, summaque pietate erga Deum, atque homines præditi viri nomen cum honorifica etiam apud posteros memoria tibi facilè comparabis. Roma Nonis Iunij 1556.

ARCHIEPISCOPO STRIGONIAE,

Suam diligentiam in procurandis eius negotijs sedulò promittit.

HEri Venerabilis Petrus Paulinus Serenissimi Regis tui apud Pontificē Maximum Nuntius litteras tuas mihi reddidit, simulque longa oratione multa mecum de te locutus, illud postremo à me tuo nomine magnopere contendit, vt rerum tuarum patrocinium susciperem, atque in eo beneuolentiæ tuæ erga me, & mirificè expectationi, ac spei, quam iam pridem de me conceperis, vt benignè, ac liberaliter responderem, vehementer etiam, atque etiam rogauit. Ego mi Nicolae, qui te semper plurimi feci, eò libentiùs ad te redamandum sum adductus, quòd in ea re plurimum animo meo satisfactum esse sensi, tuamque dignitatem eam esse intelligebam, quæ vltro omnes ad te diligendum inuitaret. Quare velim tibi persuadeas ita mihi res tuas omnes curæ fore, meque ea fide, & diligentia quæcunque ab homine amicissimo perfici possunt, tua causa esse facturum, vt planè intelligas te hic, qui plus diligat, aut meliùs tibi velit præter me habere profectò neminem. Vale, & vt cępisti, me mutuò dilige. Roma Septimo Calen. Iulij 1556.

IOANNI COMITI DE HOYA
Confirmato Osnaburgensi.

Hortatur ad corrigendos clericorum mores, Religionemque Catholicam tuendam.

REdeunti ad te Ioanni Cancellario tuo pro mea erga te singulari beneuolentia æquum esse censui, vt aliquid adte litterarum darem; primùm, vt scires multitudinem grauissimorum negotiorum, quibus Summus Pontifex in dies magis impe-

 ditur

ditur his turbulentis Reipub. temporibus; obstitisse quominus Cancellarij tui diligentia res tuæ celeriùs expediri possent. Deinde, vt te hortarer, vt in emendandis clericorum moribus, atq; in Catholica religione tuenda eum cursum cum summa tua laude teneres, quo statim à te instituto magnam spem, expectationemque virtutis, ac pietatis tuæ pulcherrimè apud omnes bonos excitasti. Quare perge obsecro, atque in eam rem omnes animi, ingenijque tui vires assiduè conferto. Polliceor enim ex ea re tantùm tibi dignitatis, gratiæque apud Summum Pontificem, amplissimumque Senatum propediem accessurum, quãtum sperare fortasse tu ipse non auderes. Reliquum est, vt quando virtute tua perfecisti, vt omnibus hìc carus esses, tibi persuadeas, si magna, pleraque facinora, quæ à te vniuersi expectant, bona fide perfeceris, amplissimum ordinem tibi fore cõiunctissimum, & virtutibus tuis parem aliquando gratiam relaturum. Vale. Roma prid. Id. Iulij 1556.

SIGISMVNDO MARCHIONI BRANDEBVRGENSI, & Magdeburgensi, Alberstadensisque Ecclesiæ Administratori.

Alberstadensis Ecclesiæ procurationem perpetuò commendatam fuisse illi à Pontifice ex Cardinalium consensu tamquam Catholicæ fidei propugnatori.

CVm ad xv. Calen. Iunias litteras mihi à te singularis amoris tui, atque obseruantiæ erga me mirum in modum plenas vir nobilissimus Albertus Nuntius tuus reddidisset, nihil ad te rescribendum putaui priusquam cognita, diligenterque perspecta re, de qua laborabas, Summus Pontifex cum vniuerso Senatu aliquid statuisset. Nunc igitur ad te tandem scribo, tibique verè, atque ex animo gratulor, quòd summa cum tua dignitate honestissimæ virtutis, eruditionis, pietatisque tuæ ratio ita habita est ab amplissimo ordine, vt facilè appareret nihil nobilitati tuæ, aut auctoritati tributum; sed in vnum omnium tibi voluntates in primis conciliasse, quòd ad cæteras virtutes tuas constantissimam quamdam animi pietatem cum in tuenda Catholica religione, tum in Lutheranorum factione opprimen-

primenda semper omni studio, atque contentione adiunxisses. Quæ certè tua virtus non modò quia ad verum Dei cultum, religionemque conseruandam refertur; sed quia his temporibus necessaria maximè, præsertim in ista Prouincia, vbi hæreticorum fraude noua in dies monstra exoriuntur, meritò ab vniuerso Senatu tanti æstimata est, vt ea tibi summo omnium consensu, atque approbatione Alberstadensis Ecclesiæ procurationem perpetuò vt commendaretur effecerit. Quare & tibi, & ipsi multò magis Ecclesiæ gratulor, cui tua virtute, ac pietate sapientissimè consultum fore confido. Neque verò hìc te puto expectare à me, vt quibus contentionibus ad hanc victoriam veneris, tibi exponam; perfecit, opinor, Albertus tuus, ne quid ignorares eorum, quæ hìc tua causa quotidie gerebantur; nam vt est homo tui cupidissimus, summaque prudentia, atque industria præditus, ita curauit negotium tuum, vt maiore studio, diligentia, & fide non posset. Quare hominem ita tui studiosum in amplificanda tua dignitate, virtutibusque tuis prædicandis strenuè, optimaque fide versatum, si carum habebis, si diliges, si aliquo iam tibi benefitio obligatum, noua præterea liberalitate deuincies, cum te dignissimam rem facies, tum etiã virtutem tuam multis præclarè cognitam honestiore quadam commendatione omnibus approbabis. Ego cum tua causa libenter laborarim, non ea tantum gratia, vt incredibili tuæ erga me beneuolentiæ, voluntatique, quam per tuas litteras vltrò detulisti, honestè pro mea parte responderem; sed præterea quod in animum induxeram, te Catholicæ religionis fortissimũ propugnatorem futurum. Id abs te etiam, atque etiam peto vehementer, atque contendo, vt quæ maximè virtute tibi suffragante quod magnopere optabas honestissimè consecutus es, ea tu quotidie magis colas, & augeas, atque inde tibi etiam maiora propediem ornamenta profectura confidas. Quod si, vt spero, feceris, præterquam quod boni, Catholicique viri officio cum tua summa laude fungeris, illud tibi audeo polliceri, non modò me, sed vniuersum Senatum tibi fore conuinctissimum, ipsumque Pontificem Maximum quæcunque honestè postularis, libentissimè tibi omnia semper esse concessurum. Vale, & me tibi amicissimum esse planè confidito. Roma Septimo Idus Quintilis 1556.

GVLIELMO IVLIACENSI, CLIVENSI, & Montensi Duci, Comiti Marchiæ, & Rauenspurgi Domino in Rauenstein.

Andreæ Masii diligentiam testatur in procurandis eius negotijs, quorum difficultas in temporum rationem transferenda est.

GRata tibi fuisse officia mea vehementer gaudeo, non ea tantum de causa quòd te inter præcipuos Germaniæ Principes vnum semper plurimi feci propter summum cum generis splendorem, tum excellentium virtutum tuarum decus; sed etiam quòd mirifica quadam animi mei propensione gentis vestræ homines ita semper dilexi, vt penè summi beneficij loco duxerim non modò de eis benè mereri; sed quacunque ratione possem studium meum erga illos, beneuolentiamque vltrò deferre. Quare si quid de mea egregia voluntate ad te Andreas Masius vir eruditissimus, tuique studiosissimus ante hac scripsit; id & mihi fuit gratissimum, & te, quæcunque ab homine amicissimo, cupidoque sperari possunt; ea tibi, vt à me omnia prolixè pollicereris inuitare certè debuit. Neque verò æquum est ex eo, quod me magnopere delectat, & in quo mihi suauissimus officii mei fructus positus est, aliquam mihi gratiam abs te deberi. Id vnum postulo, vt me mutuò diligas, tibique persuadeas, me tua causa libenter omnia esse facturum, quæ vel te cupere, vel tua aliquo modo interesse arbitrabor. De tuis autem rebus quantum laborarim, nihil attinet in præsentia scribere. Andreas enim Masius tuus, quemadmodum asidua diligentia, & labore in procurando negotio vsus est; ita ad te, opinor, omnia quæcunque quotidie gererentur, diligentissimè perscripsit. Verùm hæc tua postulatio incidit in ea Reipublicæ tempora, quibus in dies deteriora multò sunt consecuta. Quare factum est, vt Masii labores, sollicitudinesque in dies crescerent, & conficiendi negotii spes quotidie minueretur. Grauissimis enim, molestissimisque negotijs impeditus Summus Pontifex, vel adeundi sui copiam paucis facit, vel si quando facilitate, & benignitate sua ductus multorum desiderio satisfacere conatur, oppressus temporum, ac rerum difficultatibus, dum omnibus gratificari studet, multarum agendarum rerum tempus præterit.

rit. Quare culpam omnem in temporum rationem impeditissimam, atque turbulentam æquum est te transferre. Cętera Masius tuus, quem ego hominem cum propter singularem eruditionem eius, atque virtutem, tum propter eximium erga te studium, & fidem mirificè diligo, vel coram tibi, vel absens per epistolam pluribus verbis narrabit. Eum ego tibi, nisi ipsius præclara virtus, & summa in te obseruantia satis commendaret, iam pridem longa oratione commendassem. Equidem ita statuo, si quid in Masium liberalitatis contuleris, eò illustriorem apud omnes futuram gloriam tuam, quò illius merita iam pridem bonis, atque eruditis viris cognita planè sunt, & probata. Tu, quod hactenus cum tua summa laude semper fecisti, vt Catholicæ religionis causam pro tua parte tuereris, si post hac talem te præstabis, vt cæteri Principes veræ pietatis exemplum, quod imitentur, te vnum sibi proponant, pulcherrimam cum sempiterna nominis tui memoria ex ea re laudem consequeris. Vale, & me ama. Romæ, Quinto Idus Iulij 1556.

ADAMO CONARSKI.

Gratissimos sibi esse pios Nuntij Conatus, & Moscorum inducias.

TRiduo antequam hæc ad te scriberem litteras tuas accepi Vilnæ ad Sextum Calend. Maij datas, in quibus mihi gratissimum illud accidit, quòd Nuntij Apostolici pios conatus ad instaurandam in ista prouincia Catholicam religionem multorum bonorum studio, atque opera adiuuari, nunciarunt; inter quos certò scio te nomen tuum iam pridem dedisse, atque omnia bona fide præstaturum, quæ mihi sæpe pollicitus es, quod, vt facias, atque in eo magnam tibi comparandæ laudis occasionem positam esse, vt existimes, vehementer te etiam, atque etiam rogo. De inducijs cum Moscorum Rege quod adscribendum curasti, gratum mihi fuit. Audio Septembri mense conuentum Vvarsouiæ futurum; in eo facito, vt obseruantia tua erga Sedem Apostolicam eis documentis appareat, vt strenuum te Christi militem in Catholica religione tuenda omnes planè intelligant. Vale. Romæ Quarto Nonas Augusti 1556.

EPISCO-

EPISCOPO PLOCENSI.

In controuersia Decanatus promittit suam operam, Catholicæque Relgionis defensionem commendat.

QVæ de egregia mea erga te, vniuersumque ordinem tuum voluntate, ac beneuolentia, & multorum sermone, & Gregorij Ticinij litteris allata sunt, ea sic velim tibi certa, persuasaque esse, vt etiam planè confidas me re ipsa libentiùs, quàm vllis verbis, si qua vnquam detur occasio, expectationi omnium satisfacturum. Quare & potes, & debes à me in causa Decanatus Plocensis, quam mihi Nuntius Apostolicus, & Reuerendissimus Archiepiscopus Gnesnensis diligentissimè cōmendarunt, ea pro nepote tuo sperare, quæ ille abs te sui amantissimo honestè consequi posset. De qua re plura ad te non scribo; malo enim ex aliorum litteris, quàm ex mea prædicatione cognoscas quanti te faciam; quamque libenter tua causa omnia velim. Tu faccissim, vt me diligas, atque illud inprimis cures, vt Catholicæ religionis defensionem ita suscipias, susceptãque ita tuearis, vt verum Episcopum decet, qui pro Christi gloria, & ouium sibi commissarum salute sanguinem quoque profundere non vereatur. Vale. Roma Quarto Nonas Augusti 1556.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Promittit suam operam in defensione Decanatus, & in fouendis rationibus Hieronymi Garuaski. Niocali Sobatæ absentiam suppleri curabit. Denique laudat eius pietatem in procuranda Regni salute.

AD quartum decimum Calen. Sextilis ternas litteras tuas accepi, in quorum primis à me illud magnopere contendisti, vt Decani Plocensis negotium defendendum susciperem, de quo item ad me Plocensis Episcopus, & Apostolicus Nuntius diligentissimè conscripsere. Ego vero & tua, & illorum causa libenter omnia faciam, quæ modò ius, æquitasque permittet. Puto autem me, vt ad Nuntium scripsi pluribus, cum Summo Pontifice rationem, viamque inuenisse, quæ facilè multis litibus, quæ ex ista prouincia hùc sunt deductæ improba aliquorum peruersita-

uersitate, per me propediem modus imponatur. Quare quod etiam à me petis alteris litteris, vt causam Hieronymi Garuaski tui sedulo tuear; velim de ea te minus iam laborare; si quid enim videro me illi ex iure prodesse posse, perficiam certè, vt intelligas non minori eam rem mihi, quàm tibi ipsi curæ fuisse. De Nicolao Sobata, vt ais plebano, qui hìc audiendis criminum confessionibus in Pœnitentiaria, vt appellant, Apostolica Polonicæ linguæ locum adipisci studet, curaui ne quid istìc per eius absentiam Catholica religio detrimenti patiatur. Id autem ita fiet, si ex ijs conditionibus, quas ille, vt hoc negotium honestè transigi posset, ad me detulit, tu eas elegeris, quæ æquiores, atque ad ipsam rem commodiores tibi videbuntur. Quidquid enim à te iure statuetur, iam se mihi facturum primo quoque tempore bona fide confirmauit. Eas autem conditiones ad te mitto, vt ei omni malo, quod impendere tibi videbatur, facilè prouideri possit. Sed venio ad tertias litteras tuas, quæ mihi studium tuum, atque sollicitudinem in procuranda regni istius salute mirificè declararunt, quo ego nomine, & te vehementer amo, & tuam istam pietatem maiorem in modum laudo. Nihil enim abs te prætermitti audio, in quo Nuntij Apostolici conatus adiuuare possis; quod, & si tui officij munus esse intelligo: tamen id velim tibi persuadeas hoc tempore tantam esse bonorum virornm raritatem, vt inter eos connumeraris, summum tibi laudis ornamentum, virtutisque testimonium dari existimare debeas. Gratulor itaquè tibi quòd apud Summum Pontificem, vniuersumque Senatum eximiam tuam pietatem illustriorem in dies fieri video. Teque hortor, atque oro, vt eam voluntatem retineas, & si fieri potest, quotidie ad instaurandam in isto regno religionem, meliorem, paratioremque, & fortiorem afferas. Quæ ad Nuntij potestatem ornandam, amplificandamque pertinebant, ea iam pridem à me curata sedulò sunt, atque ad eum missa. Quod reliquum est, contendite pij omnes, vt in conuentu proximè Vvarsouiæ peragendo aliquid statuatur, quo hæreticorum frangantur opes, & bene sentientium animi confirmentur. Ego, si quantum tua causa volo, tantum possem efficere, dispeream, nisi tu me plus in te omnibus beneuolentiæ officijs prosequendo studij, operæque ponere fatereris, quàm si verè mihi germanus frater esses. Vale. Roma Quarto Nonas Sextilis 1556.

IOANNI

Asserit se non valuisse à Pontifice obtinere tertiam prorogationem Monasterij Landensis.

ET si quod magnopere contenderas de tertia prorogatione monasterij Landensis, quid actum sit, puto ad te Gregorij Ticinij litteris esse perscriptum; tamen, vt aliquo etiam litterarum mearum testimonio de ea re certior fieres pro egregia mea erga te voluntate, hæc ad te paucis scribenda esse duxi. Quare velim tibi persuadeas me omni studio laborasse, vt tertia tibi prorogatio, vt in prima,& secunda etiam feceram, concederetur. Verum ea nullo pacto impetrari à Summo Pontifice potuit. Qua autem ratione existimẽ huic rei àbs te commodè prouideri posse, scribet ad te Ticinius, cuius consilium si sequeris, non erit, opinor, cur de ea prorogatione amplius labores. Me certè habebis ita amantem tui, vt nihil sit tam arduum, quod tua causa non curem sedulò, & si possim,non perficiam libenter. Vale, & me ama. Roma Quarto Nonas Sextilis 1556.

EPISCOPO VARMIENSI.

Partem scriptorum eius se perlegisse testatur. Significat pacem inter Christianos Principes à Deo precibus postulandam.

ET si interdum serò ad nos litteræ tuæ perferuntur, quod idẽ nostris quoque accidere arbitror; tamen, vt ex proximis litteris tuis Aprili mense datis facilè collegi, & meæ ad te omnes allatæ adhuc fuerunt, & tuas vicissim omnes accepi. Nam quæ tibi à me de Ioannis Leomanni negotio scriptæ ad xvij. Calen. Maij sunt, eas non prius tibi redditas fuisse, opinor, quàm ad me proximæ tuæ peruenerint, idest xiij. Calen. Sextilis. Sed vt ad tuas paucis respondeam. Illud in primis te minimè ignorare volo, alteram scriptorum tuorum partem, quàm Samson ad me attulit, ea diligentia à me statim perlectam esse, qua in crebris occupationibus grauissimarum rerum amicissimi hominis vtilissimas lucubrationes me legere æquum fuit. Quod autem magnopere cupiebas, postulabasque, vt non modò meam, sed

aliquot

aliquot etiam insignium theologorum sententiam de eo libello tibi adscribendam curarem; id à me partim quòd non vacabat, partim quòd dignissimum eum esse indicaui, qui primo quoque tempore abs te publicaretur, prætermissum est; neque in ea re vlla Samsonis fuit culpa, qui bona fide functus est officio suo, sed incidimus in ea tempora, vt quidvis potius, quàm aliena scripta examinare liceat, & vacet. Quare æquo animo patere quę pro temporum conditione vitari, aut mutari non possunt. Neque si institutum paulò ante cum summa bonorum omnium expectatione Germanorum Collegium iam dilapsum est, idcirco spem omnem abijcere debes instaurandæ religionis, & pietatis. Nam quia Deus optimus, potētissimusq; est, etiam si grauissimis hominū facinoribus vehementer irritatus, non ideo tamen bonitatis, clementiæque suæ obliuisci potest, neque si istic mira bonorum virorum penuria est, non poterit Deus ex ipsis lapidibus excitare pastores, qui gregis sui curationem bona fide suscipiant, susceptamque fortiter tueantur. Tu modo quod potes, tantum præsta, speraque tandem pijs bonorum studijs, atque conatibus propitium Deum affuturum. Pacem interim summis precibus Christianis Principibus à Christo contendamus, qua compositis vtcunque seditionibus, bellorumque tumultibus, per otium ad religionis, pietatisque instaurandæ negotium vno consensu omnes animum, cogitationemque adhibere possimus. Tu (quod hactenus semper cum summa tua laude præstitisti) pro Catholicæ religionis causa tuenda in proximo Conuentu, quem Varsouiæ peractum iri audio, nihil laboris, aut discriminis subterfugies; sed conspiratione cum viris bonis facta, quos plurimos affuturos summa Dei Optimi prouidentia curabit, contra inanes hæreticorum machinas validissimo, acutissimoque gladio audacter victoriæque pulcherrimæ securus vtere. Vale, & me, quod facis, mutuò dilige. Roma Quarto Nona Sextilis 1556.

E I D E M.

Gaudet Regis animum ad reparandam Catholicam religionem esse intentum. Gratias agit pro succino fabrefacto.

IDibus Augusti eodem exemplo, quo proximas dederas, literas tuas accepi, in quibus tamen additum erat te ex Cro-

mero magna cũ animi tui voluptate cognouisse Serenissimi Regis studia ad extirpandas hæreses in isto regno esse conuersa, serióque de vetere religione tuenda cogitare; iamque in eo totum esse. Quæ certè res magnopere me delectauit. Nam, & si de Regis pia, atque egregia voluntate nunquam dubitaui; tamen quòd præsentem medicinam malum in dies magis crescens postulare videbatur, ipseque Rex aliis subinde negotijs impeditus eam curationem differebat; veritus sæpe numero sum, ne eò res deduceretur, vt quum expeditus Rex animum, cogitationẽq; ad religionis negotium adhibere vellet, non satis ad illud tuendum virium afferre posset, posteaquã altissimis radicibus malum totam prouinciam, latissimumque regnum occupasset. Quare gaudeo tecum, Deumque precor, vt Regis voluntatem, piosque Nuntij, ac bonorum omnium conatus in ea re ita iuuet, atque fortunet, vt quantum ex malo iam mœroris cepimus, tantum ex istius regni bono, atque salute propediẽ lætitiæ capiamus. Quod de succino fabrefacto scribis, quo ego tibi nomine iam pridem gratias egi, quamquam nunquam pro rei ipsius dignitate puto tibi me satis in agenda gratia facturum; Cromerus Viennam vsque diligentissimè perferendum curauit, idque Reuerendo Episcopo Pharensi, qui apud Romanorum Regem Sedis Apostolicæ legatione fungitur, commendauit. Is autem, vt singulari quadam erga me semper fuit beneuolentia, primùm Venetias, deinde etiam Romam ad me, vt commodè perferatur sedulò curaturum se mihi pollicitus est. Quare spero integra omnia ad me ventura; nihil enim diligentiæ prætermissum iri in eorum aduectione certò scio. Cromerum autem, cuius ego virtutes iam pridem ex multis audiui, ideoque illum mirificè dilexi, nunc ex ipsius litteris planè, quod dicitur, leonem ex vnguibus cognoui. Eum mihi velim, si quando tecum erit, ita constantem in me diligendo præstes, vt ego cum tuæ, tum illius probitati, atque virtuti plurimum tribuendum esse semper iudicaui. Sed quia ad te bis eodem exemplo litteras paucis ante diebus pluribus verbis dederam, in quibus te ad Catholicæ religionis causam tuẽdam, fortiterque defendendam hortatus eram, plura in præsentia non scribam. Vale, & me, quod facis, ama. Roma xi. Calen. Septembris 1556.

MARTI-

MARTINO CROMERO R. P. SECRETARIO.

Eius amicitiam exoptat, gratiasque agit pro sollicica cura in transmittendo succino.

NOn potuit mihi gratius quicquam accidere, aut iucundius quàm in ornando Stanislai Hosij Varmiensis Episcopi munere, te mihi maius multo, & pretiosius munus, idest beneuolentiam tuam, quam ego iam pridem, vt hominis optimi, atque eruditissimi plurimi meritò feci, vltro, liberaliterque per litteras detulisse. Quod enim magnopere cupiebam, id quando tu prior oblata occasione perfecisti, vt ad me amanter scriberes; tam mihi te gratum fecisse velim existimes, vt eo nomine multum me tibi debere planè profitear, daboque operam; vt huius tuæ erga me voluntatis, atque officij memorem me, atque gratum possis agnoscere. Nam cum præcipua quadam, & egregia animi mei aduersus Polonos omnes propensione semper fui, tum præsertim eis me putaui omnia mea studia, operamque debere, quorum virtus, atque auctoritas pulchro aliquo edito documento, bonorumque testimonio apud omnes comendaretur. Quare cum te iam pridem vnum apud Serenissimum Regem eximiæ virtutes tuæ in summa auctoritate, & gratia collocassent, cupiui certè mihi te aliquo beneuolētiæ officio adiungere, quòd idem mihi cum multis iam pridem in ista prouincia ex animi mei sententia feliciter successit. Tu verò nunc mi Cromere multis de causis, ijsque grauissimis, atque verissimis vehementer amo, speroque amoris mei erga te, si quando vsus venerit, vim, atque magnitudinem ita me tibi, atque omnibus probaturum, vt facilè quiuis intelligat egregias virtutes tuas, summamque eruditionem, & quod ego plurimi facio, singulare tuendæ Catholicæ religionis, & pietatis studium tanti apud me valuisse, vt in amplissimo isto regno, vbi permulti sunt, qui à me vnicè diliguntur, neminem profectò habeam quàm te cariorem. Velim autem hanc inter nos haud quidem recens institutam, sed nuper apertè confirmatam beneuolentiæ coniunctionem ita colas, atque obserues, vt eximias virtutes tuas decet. Equidem nihil prætermittam, quo me tibi amicissimum, teque mihi carissimum esse planè sentias. Sed venio ad litteras tuas, quas mihi Sedis Apostolicę apud Romanorum Regem Nuntius perfe-

rendas diligenter curauit. Ex quibus illud cum summa volup tate cognoui succini fabrefacti rara quædam opera duabus pixidibus inclusa, quæ tibi Varmiensis Episcopus Cracouiam perferenda tradidisset, à te Viennam perlata esse, ipsique Nuntio cõmendata, vt quum primùm commoda hùc ad me mittendi occasio se obtulerit, ea deferenda in Vrbem locet; quod ipse mihi Nuntius facturum se bona fide recepit. Quare magnas tibi gratias ago, quòd præceptoris tui, viri nunquam satis laudati munus primùm vecturæ suscepto onere, deinde diligentia tua apud Nuntium, postremò litteris tuis ita ornasti, vt non minus te preceptorem colere, quàm me dilexisse in eo munere curando præclarè ostenderis. Sed hæc hactenus. Tu velim pro veteri tua pietate, religionis Catholicæ causam cum assiduè apud Regem Serenissimũ, tum hoc tempore in Conuentu Varsouiæ peragendo ita sustineas, ac tuearis, vt operam, atque auctoritatem tuam ad rem ex sententia perficiendam plerique omnes intelligant præcipuum adiumentum attulisse. Vale, & me Serenissimo Regi plurimum commendato. Roma xj. Cal. Septemb. 1556.

IACOBO TYMMERMANNO PRVTENO.

Litterarum exemplum illi mittit commendationis a se factæ Cardinali Burgensi.

POsteaquam tibi certum est longius hinc abesse, vt bellorum tumultus, quando in eos incidimus, securiore animo exaudire possis; scripsi ad Illustrissimum, & Reuerendissimum Cardinalem Burgensem, eique te diligentissimè commendaui, quarum litterarum exemplum cum his ad te misi. Eum autem cum mea commendatione spero facturum, vt tibi, si Senis habitandum duxeris, & tuto, & cum tua dignitate esse liceat; tum etiã si aliò proficisci voles, vt te ceteris Principibus per litteras diligenter commendet, id, quod ego ab eo vehementer contendi. Quare, si modo tibi proficiscendum esse necessariò statuisti, iubeo te bono animo esse, planèque confidere meas litteras, commendationemq; non vulgarem apud hominem mei amantissimũ atque omnibus officij, humanitatisq; ornamentis præditum magnopere tibi vsui, atq; adiumento futuras. Valé, & Deus Optimus Maximus iter tuũ benè fortunet. Roma Tertio Id. Octob. 1556.

IOAN-

IOANNI OCESCIO CANCELLARIO R. POLONIAE. Capitaneo Generali Cracouienſi.

Religionis reparationem ſperat. Conditionem Alberto Duci à Populis latam approbat.

EX ijs litteris, quas à te Cracouia Calen. Septembris datas Idibus Octobris Ticinius mihi reddidit, & te ad me Quintili menſe alteras dediſſe, quæ tamen adhuc perlatæ non ſunt; facilè cognoui & præſcriptum comitijs, aut conuentui diem ob tumultus Liuonicos extractum eſſe; quanquam autem ea paucorum dierum prorogatio, quo minus aliquid veteris religionis ſuſtinendæ, atque inſtaurandæ cauſa perficiatur, ad quam rem bonorum omnium ſtudium, atque inprimis Sereniſſimi Regis, & tuum affuturum planè confido, nihil propemodum impedimenti allatura eſſe videtur; tamen quòd ſummum in diſcrimen religionis negotium multis iam in regni iſtius partibus hæreticorum fraudibus adductum audio; crede mihi, vehementer iſta dierum mora ſum perturbatus, nō quòd Sereniſsimi Regis pietati, aut multorum tui ſimilium ſtudijs, voluntatique diffidam; ſed quod vereor, ne ſemel, atque iterum temporibus excluſi, alijſque occupationibus impediti ſerò ad rem tam neceſſariam curandam animos, cogitationeſque afferatis; ſed ſpero meliora cum Sereniſsimi Regis, Nuntijque prudentia fretus, tum Epiſcoporum, Principumque virorum virtute, quorum permagnum numerum pro Catholica religione ſtare iampridem audio. Quod autem de Alberto Pruſsiæ Duce adſcripſiſti, vt in perditis rebus, fateor mihi gratum fuit; ſed aueo ſcire vtrum conditionem à populis latam acceperit, ad quam tamen ego illum puto deſcenſurum eo conſilio, vt hoſtium iniurias in præſentia perſequi poſsit, non vt quicquam de priſtina animi ſui inductione remiſſum velit. Quamquam quod fortiter à vobis pro veteri religione ſtatuetur, ſpero fore, vt vicini omnes tanquam neceſſarium exemplum libenter amplectantur, ſequanturque. Quamobrem te hortor vehementer, atque oro, vt tanto maiore ſtudio, contentioneque Catholicæ religionis cauſam tuendam ſuſcipias, quanto ampliore cum ſalutis multorum fructu coniunctam eſſe intelligis; id quod te bona fide, & ante hac ſemper, & nunc cum maximè opus eſt, facturum eſſe confido.

Vale.

Vale, & me ama, quia ego te mirificè propter eximias tuas virtutes diligo. Romæ ix. Calen. Nouembris 1556.

ADAMO CONARSKI.

Dolet se non valuisse obtinere aliqua commoda Ioanni eius affini.

Ex proximis litteris tuis, quæ mihi Idibus redditæ sunt, quãtum Ioannis Conarski affinis tui causa labores facilè cognoui, pro cuius dignitate, & commodis tuendis non modò censeo oportere te omni studio, diligentia atque opibus contendere; verum etiam pro ea beneuolentia, qua te iampridem meritò prosequor, quòd ea, quæ à me tantopere postulas impetrari nullo modo possunt, non mediocrem mihi molestiam attulit. Cupiebam enim, si fieri potuisset, vt affinis tuus ijs commodis, atque ornamentis in summo otio frueretur, quæ pulcherrimo vitæ curriculo peracto illius similes iam pridem, vel perscripta lege, vel veteri consuetudine consequi soliti essent. Verum ne ille Collegæ sui imperio, potestatique subijciatur id minimè obtineri hoc tempore potuit; neque illi hoc vni præcipuũ contigisse velim existimes, multi, atque adeo innumeri vbiq; sunt, quorum in meliore, aut saltem probabiliore causa nulla in simili re iampridem ratio habita est. Credo ne quæ malo exemplo dein in Republica Christiana introducta sunt, perniciosa consuetudine retineamus. Quare vides nec studium meum, neque diligentiam tibi defuisse; sed eam esse temporum conditionem, vt multa abrogari oporteat, ne quotidie magis pietatis, religionisque causa ad deteriora labatur. Sed hæc hactenus. Tu velim in ea sententia perseueres, vt Nuntij conatus omnes apud Serenissimum Regem, totiusque Regni proceres quoad eius fieri poterit, assidua diligentia, studio, omni denique officiorum genere iuues. Vale. Romæ ix. Calend. Nouembris. 1556.

IACOBO A RESVRECTIONE RECTORI GENERALI Congregationis S. Ioannis Euangelistæ in Regno Portugalliæ.

Gratias agit se fuisse electum Congregationis Patronum in publicis Comitijs.

ACcepi litteras tuas ad sextum Idus Nouembris, quæ me magnopere delectarunt in eo, quòd me vobis Patronum apud Summum Pontificem, amplissimumque Senatum cum singulari quadam erga me amoris testificatione, honorificaque de me existimatione frequenti Conuentu, atque solemni more delegistis. Quod ego vestrum iudicium, oblatumque protectionis munus tàm libenter suscepi, quàm mihi semper cordi fuit eorum studia, qui se Deo consecrassent, pro mea parte iuuare. Quare sic habeto me sodalitium vestrum, & quæcunque ad vos pertinebunt eadem voluntate, & diligentia defensurum, qua res meas, atque omnes, qui se patrocinio, & fidei meæ commiserunt, tueri hactenus consueui. Tu modo fac, si qua in re opus erit officio meo, vt quam primùm sciam id quod tibi, cæterisque post hac, qui sodalitati vestræ præerunt, facillimè continget; si ad Priorem S. Saluatoris scribetur. Is enim me de omnibus rebus, quæ vestra intererunt, certiorem commodissimè facere, & subinde etiam quum temporis opportunitas aderit, submonere facilè poterit. Valete omnes in Christo, & me patronum vestrum interdum precibus apud illum commendate. Romæ Ibid. Nouemb. 1556.

ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO.

Commendat Leuinum Torrentium Canonicum electum à Pontifice.

NIsi me ea ratio impulisset, quæ bonis benefacere præcipit, neque mihi erat hoc tempore quicquam quod ad te scriberem; virum summa quidem dignitate, atque auctoritate præditum, sed mihi nulla adhuc, vel tenui consuetudine, aut familiaritate coniunctum; neque tu vicissim quanti te facerem, quantoque studio curarem, vt qui in prouincia vestra amplissima ad sacer-

sacerdotia promouentur, eruditione, & moribus excellerent, intelligere potuisses; sed hanc mihi hodie occasionem esse datam vehementer gaudeo, speroque etiam tibi non ingratam fore, si qua humanitate audio te erga alios semper fuisse, eadem oblatā hominis tui amantissimi beneuolentiam complectendam tibi esse duxeris. Leuino Torrentio iure Consulto honestis parentibus Gandaui nato, quem ego hominem ob egregiam doctrinam, morumque probitatem mirificè diligo, delatus est Canonicatus in Ecclesia tua Moguntina. Ei ergo hoc Summi Pontificis beneficium, honoremque additum vix credi potest quantopere cupiam perpetuum esse, atque abs te extra ordinem confirmatum. Quare rogo te, atque obsecro etiam, atque etiam vehementer, vt in hominem honestis natalibus ortum, qui propria virtute, & iuris scientia, nobilissimis etiam viris (vt ego quidem sentio) meritò anteponendus esset, tantùm, vel gratiæ, vel indulgentiæ collatum velis, vt cum Sacerdotij honorem, & commoda in tua Ecclesia consequi illum libenter patiaris, tum etiam propter suauissimos mores, atque eruditionem in tuam fidem hominem tibi addictissimum suscipiendum tibi esse persuadeas. Quod si feceris, atque in Leuino ornando nullam veteris Ecclesiæ tuæ consuetudinis, quæ modo sacris constitutionibus aduersetur, rationem habendam esse duxeris, & me tibi plurimum obligabis, & te in hominem tua liberalitate dignissimum, probum quidem, & eruditum, tui denique studiosissimum beneficium contulisse meritò quandoque gaudebis. Vale Roma xj. Calen. Decembris 1556.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Eius diligentiam in Synodo exhibitam pro Catholica Religione prædicat, quam vt foueat imposterum summopere hortatur.

CVm crebris Nuntij litteris certior factus sum de summo tuo in tuenda Catholica religione studio, egregiaque voluntate; tum proximis eius epistolis ad me, atque ad Summum Pontificem scriptis quantum in Prouinciali Synodo præstiteris cum eximia tua laude, atque incredibili mea voluptate cognoui. Quamquam enim pro perpetua tua pietate, atque constantia nihil abs te, nisi optimum, atque sanctissimum boni omnes expectabant, egoque in primis, cui iam pridem tua excellens

virtus

virtus cognita planè erat, atque perſpecta; tamen velim tibi perſuadeas, operam, ſtudiumque tuum ita omnibus bonis, vniuerſoque Senatui, ac Summo Pontifici gratum fuiſſe, vt ex ea re non mediocrem acceſſionem factam eſſe exiſtimemus ad eam ſpem, quam de te optimam iampridem, atque præclaram tua virtute apud omnes excitaſti. Quare perge mi Nicolaë, atque iſtam eamdem viam ad veram gloriam recta ducentem libenter, ac fortiter inſiſte, ſperaque pios conatus tuos, laboreſque pro Chriſti fide ſuſceptos maximum fructum cum tibi, tum gregi tibi credito prope diem allaturos. De Varſouienſi Conuentu nõdum quicquam erat auditum, omneſque in magna eramus expectatione quid ille iſti regno eſſet pariturus. Faxit Ieſus Chriſtus, cuius cauſa inprimis agitur, vt ex tua, atque bonorum, piorumque virorum ſententia res conficiatur. Quod ſcribis de Nicolao Sabota Plebano, velim de ea re æquiore ſis animo. Ego enim ita totum negotium curabo, vt fatearis, & mihi tua omnia præcipuæ curæ eſſe, & nullius hominis impudentiam, aut improbitatem exiſtimationem tuam lædere poſſe. Vale, ſcitoque tibi Veronæ Epiſcopum pro incredibili tua erga ſe beneuolentia plurimum debere. Romæ xj. Calen. Decembr. 1556.

EPISCOPO PLOCENSI.

Nepotis patrocinium ſe ſuſcepturum promittit, commendatque Orthodoxam Religionem.

NIſi te & multorum ſermone, & illuſtribus, veriſque documentis putarem iampridem habere cognitam, atque perſpectam animi mei erga nationem veſtram propenſiſſimã voluntatem, atque beneuolentiam, exiſtimaſſem mihi tecum pluribus verbis agendum eſſe, quo tibi plenè perſuaderes me tua omnia non minore diligentia curaturum, quàm ſi omnino mea ipſius eſſent. Nunc verò cum illud ſuperuacaneum eſſe iudico, tum tibi illud affirmo, nepotem tuum, quum hùc aduenerit, ita me in fidem meam, patrociniumque ſuſcepturum, vt hìc ſibi alterum auunculum nihilo ſui amantiorem, quàm te ipſum, repeririſſe verè prædicare poſſit. Quare iubeo te bono animo eſſe, ſperareque per me nepotis tui negotium quanto maximo fieri poterit illius commodo confectum iri. Reliquum eſt vt rogem

te etiam, atque etiam vehementer, vt in religionis causa nihil de pristino studio tuo remissum, aut diminutum velis, quin potius quotidie magis acriore contentione ad eam tuendam, ac sustinendam omnes opes tuas, cogitationesque afferas. Quod si, vt spero, feceris pulcherrimam tu tibi quidem gloriam paries; isti vero regno in summo discrimine salutem, incolumitatemq; restitues. Vale xj. Calen. Decembris 1556.

EPISCOPO VARMIENSI.

Succini munera eleganter elaborati laudat. Christi causam in tuenda Religione commendat.

ACcepi nuper beneuolentiæ, ac liberalitatis tuæ erga me splendididissimum munus admirabili certè artificio, subtilissimaque ac penè incredibili industria elaboratum, quod tamet si ex tuis litteris, animique magnitudine iampridem rarum opus fore putaram; vicit tamen adeo expectationem meam, vt eius pristinæ meæ opinionis, quum primùm auidissimis oculis meis rem præsentem cum mirifica voluptate subiecissem, fateor me plurimum puduerit. Nam si crucem cum elegantissimis tot diuorum simulachris considero (ne singula atque ea innumera in tam exiguo, tenuique succini trunco summa admiratione dignissima enumerem) in eam planè cogitationem venio, vt statuam nihil in eo genere perfectius, nihil elegantius, aut ante hac vnquam esse factum, aut fieri omnino potuisse; globulos autem, & coclearia, quanquam fortasse minorem in fabricando artem, diligentiamque postularunt, tamen ex eo succini genere se laborata esse palam ostendunt, quod & inuentu rarius, & pretij maioris apud omnes esse soleat; Quare ne longiùs in prædicanda tui muneris excellentia, admirabilique artificio vager; maiores tibi gratias de integro ago, quàm me tibi eadem de re iampridem egisse memini, polliceorque apud me tam illustre amoris tui documentum ita permansurum, vt in singulas quasque horas, atque etiam momenta iucundissimam tui memoriam, mirificamque beneuolentiam mihi renouare posit. Ea autem omnia scito ad me ita perlata esse integra, atque incorrupta, ac si nunquam ex arca tua ad tam longinquum iter conficiendum prodijssent. Quam rem ideo tibi adscribendam esse

duxi,

duxi, quod magnopere verebaris, ne ad me salua perferrentur. Nunc quod ad proximas litteras tuas attinet, tantum habeto, me vniuersumque Senatum magnam spem habere tua, paucorumque tui similium virtute, & pietate futurum, vt in Conuentu Varsouiensi aliquid statuatur, quo Catholica religio confirmetur, sustenteturque. Ad quam rem cum antehac semper omnia tua studia, cogitationesque libenter te contulisse cognoui, tum præsertim hoc tempore, quum maximè opus est, pro tuenda Christi causa, fortiter dimicaturum te esse confido. Vale, & me ama. Roma xj. Calen. Decembris 1556.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Eius præclara opera apud Pontificem testatus est. Dolet aliquos Nobiles ægrè tulisse hæreticorum carcerationem. Optat certior fieri quid actum fuerit in Conuentu pro Catholica fide. Eius libellum lecturum, ac Pontifici oblaturum promittit.

QVod mihi proximis litteris tuis tam diligenter gratias egeris propterea quòd de te nõ modo benè, atque honorificè sentiam; sed etiam quòd de tua virtute, & pietate apud Summum Pontificem multa prædicarim; fecisti tu quidem amoris tui erga me magis magnitudine incensus, quàm quòd vel id à te amicitia nostra postulare videretur, vel ego is certè sim, qui in vera amicissimi hominis laude celebranda aliquam mihi gratiam aucupari vnquam studuerim. Sed tamen in eo, quin amoris erga me tui mirificam quamdam vim diligerem, facere non potui, animique tui gratitudinem cum libenter agnoui, tum etiam sum amplexatus cupidissimè. Quod vero scribis te in aliquorum offensionem incurrisse ob coniectos in carcerem duos Sacerdotes, qui hæreticorum dogmatibus imbuti plebem corrumperent, quodque item alium curasses obseruari, qui edito pessimo libello populum inficere conaretur, fuit id mihi permolestum non ea de causa, quòd te verear nonullorum metu deterritum officium optimi Episcopi esse deserturum; id enim in fortitudinem tuam, atque constantiam nullo modo cadere posse mihi planè persuadeo; sed quòd ceterorum hominum præsertim nobilium studia minimè vellem cum impiorum consilijs

esse coniuncta; ne (quod Deus auertat) tandem aliquando hæreticorum opes auctæ exitium florentissimo isti regno afferre possint, quod certè timendum magnopere esset, si ad nouarum rerum cupidorum hominum occultos conatus nobilium præsidia, opesque accesserint, quibus religionis species, vt in Germania vidimus, pro summo artificio adhiberi solita est ad ea occultè perpetranda, quæ nunquam aperta ratione conati fuissent. Sed spero Serenissimi Regis auctoritate, proximique Cõuentus Varsouiensis decretis ita huic grassanti malo prouisum iri, vt cum omnes hæreticorum insidiæ, fraudesque irritæ euadant, tum tua, tuique similium virtus in tanto Catholicæ religionis periculo, illustrique loco fortiter declarata meritissima laude, atque mercede ne careat. Eius ego nunc conuentus exitum non sine magna sollicitudine expecto. Quare feceris mihi gratissimum; si quid in eo actum sit, quod ad Catholicæ religionis causam defendendam dumtaxat pertineat, primo quoque tempore ad me scribendum curaueris. Libellum tuum, quum is perlatus erit ad me, dabo operam, vt Ticinio nostro interprete legere possim, id quod tibi polliceor me auidissimè facturum, simulque tuo nomine Summo Pontifici oblaturum, apud quem, vt ante diligentissimè ad te scripsi, non video qua ratione in Dominicanorum negotio tibi satisfacere possim. Id enim est eiusmodi, vt lege agi oporteat, si quid impetratum ab illis velis. De Ioannis Dembuicij maledictis iubeo te esse æquiore animo; nunquam enim patiar dignitatem tuam, existimationẽque lædi præsertim maleuolorum, aut hominum læuissimorum voculis. Quod autem ad causas tuas, procuratoresque attinet, quos mihi diligentissimè commendasti, sic habeto, me ita tua omnia curaturum, vt maiore fide, & beneuolentia erga te curari omnino non possint. Vale, & me tui ornandi apud Summum Pontificem nullam occasionem amissurum esse confidito. Romæ xj. Calen. Decembris 1556.

IOANNI OCESCIO CANCELLARIO R. P.

Deplorat Christianæ Reipublicæ calamitates, quæ Oecumenicum Concilium impediebant.

LItteras tuas Cracouia ad sextum Calen. Sextilis datas serò quidem certè, quandoque tamen idest Sexto Idus Nouẽbris

bris accepi, quibus variè affectus sum, Nam de optima Serenissimi Regis erga Catholicam religionem voluntate (quod equidem semper speraui) ita sum grauisus, vt sanctissimis illius diplomatibus, seuerisque edictis in certam quasi spem venerim Catholicæ religionis apud vos propediem in pristinum statum, dignitatemque prorsus restituendæ, quod tibi semper ante hac sūmæ curæ fuisse cognoui, & nunc, vt quum maximè esse confido. Verùm vnum mihi illud molestissimum accidit, de quo tecum proximis litteris memini me anxiè sollicitum pluribus agere, tam laudabilem, piamque Regis voluntatem in medio quasi cursu impedimentis obiectis detineri, atque aliò traduci; Nunc accedit etiam, quod me plurimum perturbauit, importuna, atq; incommoda istius maximè regni rationibus Oecumenici Concilij instaurandi mentio iniecta hoc præsertim tempore, quum necessarijs quibusdam belli facibus Summus Pontifex implicitus capitis, & fortunarum saluti prouidere cogitur. Quamquam enim Concilij cogitatio sapientissimè suscepta fuerat, atque ad tanti momenti rem commodè peragendam etiam de pace ad Principes legationes decretæ; tamen omnia hactenus parum feliciter acciderunt. Has ego Reipublicæ calamitates, quæ ipsæ per se grauissimæ sunt, & miserrimæ, nolim vobis, & regno isti amplissimo impedimento esse, quò minus ruenti in eo religioni quacunque fieri possit ratione subueniatur. Neque verò, vt tu scribis, æquum esse, aut isti prouinciæ vllo modo expedire arbitror periculoso malo, quod in dies magis augeatur, & serpat, non obstare, atque mederi; sed integram totam eius curandi rationem Concilio permittere. Nam si eius auctoritati tantùm tribuitur, vt nihil ratum esse debeat, nisi quod vniuersæ Reipublicæ cōsensu, & sententia probatum, atque statutum sit; certè erat ea salutaris cautio initio morbi adhibenda, ne quid, antequam per Concilium esset definitum, nouaretur. Nunc verò quum de vetusta Catholicæ religionis possessione, quam ab auis, atauisque retentam, atque summa veneratione conseruatam patres nostri nobis per manus tradiderunt, quæque Summorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate innititur; multi in isto regno partim hæreticorum fraude, partim etiam nonnullorum conniuentia deturbati sunt; nihil minùs æquum esse censeo, quàm in ijs erroribus persistere, in quos hæreticorum dolis inducta ignara plebecula iam pridem fuit. Equidem ita omnino statuo, quidquid sine Con-

ne Concilij auctoritate in causa religionis tentatum, aut perfectum est à nouarum rerum cupidis, in pristinum statum restitui oportere, donec vniuersæ Reipublicæ consensu quid in quaque controuersia tenendum, atque obseruandum sit publicè decernatur. Quare abs te peto etiam, atque etiam vehementer, vt Regem Serenissimum horteris, & roges, vt sine vlla mora tanto malo medeatur, neque in eo curando Concilij auctoritatem expectandam sibi esse putet, cum nulla adhuc ratio habita sit concilij in permittenda passim hæreticis facultate, vt quæcunque vellent, docerent in regno suo, atque statuerent. Hæc ego ad te forte pluribus: sed parce dolori meo, putoque me istius regni salutem nihilominus diligere, quàm me ipsum diligam. Vale. Romæ xj. Calen. Decembris 1556.

ROBERTO DE BERGES
Designato Episcopo Leodiensi.

Amorem suum manifestat, & spem reparandæ Catholicæ Religionis.

CVm ad te Leuinus Torrentius proficisceretur, homo tui obseruantissimus, mihique propter morum suauitatem, atque doctrinam mirificè carus, non putaui mihi committendū, vt conceptum iam pridem erga te amorem singularem quidem, atque egregium diutius cælarem, silentioque meo efficerem, vt qui inter amicos etiam absentes suauissimus consuetudinis fructus esse solet, eo nos omnino careremus. Quare primùm velim tibi persuadeas me tuis virtutibus, incredibilique erga Deū, Catholicamque religionem pietate adductum, non modo dignum te iudicasse, quem ego libenter diligerem; sed etiam omnibus summæ beneuolentiæ officijs complecterer; deinde sperasse per te ad religionis inclinatæ causam sustinendam, atq; vindicandam ea adiumenta allatum iri, vt cum egregiæ pietatis tuæ exemplo, tum optimorum virorum, qui ad Sacerdotia promoueantur lectione facilè ceteros tui ordinis sis propediem prouocaturus, vt in restituenda in pristinum statum religione pro virili omnes contendant, atque opes suas vniuersas conferant. In hanc me pulcherrimam de te spem non temerè, sed ex tuarum virtutum assidua multorum prædicatione iampridem ingres-

ingressum, velim existimes omnia à te summa expectare. Ita enim mihi Leuinus præter vnum te in ista prouincia neminem omnino esse, à quo maiora sperari possint, præsertim in eo munere administrando, atque obeundo; ad quod neque voluntate, neque auctoritate quisquam paratior, aut bonis artibus instructior deligi potuit. Quamobrem scito me tibi ex animo cum istam de te existimationem plurimi omnes meritò fecimus, tum eximias tuas virtutes magnopere gratulari, teque hortari, vt qua cæpisti via ad summam laudem contendas. Postremo peto à te etiam, atque etiam vehementer, vt in ea beneuolentia, quam inter nos Leuinus conciliauit, augenda, atque colenda, eo sis animo, vt neque me vllis vnquam officijs cessaturum dubites, neque gratius mihi quicquam futurum existimes, quàm si me omnia tua causa facturum planè confidas. Vale, & Leuinum tuum mea etiam causa dilige. Roma xij. Calen. Februarii 1557.

MARTINO CROMERO R. P. SECRETARIO.

Eius ingenium, & assiduas lucubrationes prædicat.

HEri accepi litteras tuas vna cum exemplo earum litterarũ, quibus tu pro summa tua erga Deum, Catholicamque religionem pietate Regem, vniuersumque Senatum prudentissimè commonuisti officij sui: quo ego facto ita sum delectatus, vt tibi vniuersæ Reipublicæ Christianæ nomine, atque istius florentissimi regni, cuius salus carissima semper fuit, non mediocres gratias agam. Eo enim studio inflammatus ad scribendum accessisse videris, quo nihil poterat conuenientius, salutariusque ad præsentis mali curationem afferri. Consilium verò in ea re tuũ, si quis fortè reperietur, qui non magnopere probet, laudetque, hunc ego non rationis modò, atque consilij; sed omnino humanitatis omnis expertem planè esse statuo. Nàm quòd ad scribendi facultatem attinet; etiam qui sententiæ tuæ maximè aduersantur, ij tibi latinè, eleganterque, & quod ego plurimi faciendum censeo, prudenter etiam scribendi laudem, vel inuiti tribuant necesse est; quandoquidem satis iam superque quantum in pulcherrima, atque adeo (vt ego sentio) difficillima historiarum tractatione ingenio, eruditione, latinèque scribendi copia,

copia, atque elegantia posses, iam pridem omnibus declarasti. Equidem eorum librorum lectione ita sum affectus erga te, vt eius beneuolentiæ, qua te sum complexus in animo meo excitandæ initium, magnumque momẽtum lucubrationes illas tuas fuisse sentiam. Quare gratulor tibi mi Cromere quòd veræ pietatis studia cum ijs artibus coniunxisti, quibus cum multis publicè, priuatimque in singulas horas prodesse potes, tum (mea quidem sententia) germana, solidaque nobilitas & comparatur facilè,& honestissimè alitur, atque retinetur. Neque enim ego longam fumosarum imaginum seriem nullis virtutibus ornatam magni vnquam feci, aut faciendam censui; sed si quis probitate, eruditione, pietate, ceterisque ingenui animi ornamentis excellat; hunc ego verè nobilem, omniumque beneuolentia dignissimum semper iudicaui. Quare nolim existimes tibi aliquid deesse ad summam amoris inter nos coniunctionem vel conciliandam, vel augendam, si modo ijs artibus, ac facultatibus, quæ nomen tuum iam illustrarunt, ita ad Catholicam religionem tuendam, regnique istius amplissimi salutem procurandam, retinendamque vteris, vt maleuolorum voculas, inuidorumque obtrectationes contemnas, plurisque Dei honorem, animarumque salutem facias, quàm corruptorum hominum gratiam, aut beneuolentiam. Sed hæc ego tecum fortasse pluribus, qui tua sponte satis ad currendum incitaris. Tu si me amas, quod te prolixè facere certò scio,nihil putabis mihi gratius accidere posse, quàm si sæpissimè litteras tuas ad me perferendas curaris. Vale, & me tua causa magnopere omnia velle confide. Roma xj.Calen. Martias 1557.

EIDEM.

Se certiorem esse factum de exitu Varsouiensis Conuentus declarat, Ecclesiæque calamitates deplorat.

EX proximis litteris tuis; quæ mihi heri redditæ sunt vna cum catalogo scriptorum hæreticorum, quis conuentus Varsouiensis exitus fuerit magna ex parte cognoui.In quo quãquam pręter multorum expectationem nonnulla commodè ceciderunt, in primisque egregium illud Tarnouij factum, quod magnopere me delectauit; tamen vereor, ne caput illud quid quisque domi suæ senserit, feceritue, id sine fraude cuiusque, vt

sit;

ſit; omnem curandi morbi rationem non modo perturbet, moreturque; ſed etiam penitus inutilem, vanamque reddat. Fateor equidem ad bonorum confirmandas opes, multorumque debilium erigendas, alleuandaſque vires magnum pondus Tarnouij ſententiam, Epiſcoporumque fortem, atque egregiam operam attuliſſe; modo in eo quod aliqua ex parte cæptũ eſt Sereniſsimi Regis, & Senatus auctoritate inſtaurari, atque reſtitui, nulla ceſſet vnquã bonorũ vigilantia, dum timeri poteſt hoſt is, nihil nõ aſsiduè molientis, atq; tentantis, vel aperta vis, vel fraudulentus dolus. Videor enim mihi videre vndique excitos canes ad prædam ex inſidijs occaſionem expectare, neque Vergerium ſolum, quanquam is inter vigilantiſſimos hæreticorum numeratur; ſed multos eſſe opinor vultures, quos ad paſtum excitauit iamdudum apud vos inclinata Epiſcoporum auctoritas, aliquorumque vel ſecordia, vel nouandarum rerum cupido. Sed hæc meliore conſilio, euentuque faciliore eueniant opto. Certè quod ad Summum Pontificem attinet, ſacroſanctumque Senatum, non dubito quicquam vnquam iri prætermiſſum, quod ad curandam iſtam prouinciam, ſalutemque omnium tuendam facere poſſe videatur; quod ego ſedulò ſemper curabo cum pro ea, quam Deo Optimo Maximo debeo, pietate, tum etiam quæ mea ſemper fuit aduerſus nationem veſtram optima voluntas. Sed quid in tanta temporum perturbatione, bellique incendio præſtari poſſit malo te ex aliorum litteris, tuaque prudentia colligere. Illud tantum adſcribam, niſi Deus Eccleſiæ ſuæ calamitates miſeratus maturè opem laborantibus, penèque ſalutem deſperantibus ſuis afferat, verendum planè eſſe, ne grauioribus in dies procellis iactata, atque afflicta nauicula ſtatui in tuto non poſſit ſine multarum precioſarum rerum iactura. Tu, ſi quid potes opera, & conſilio, ſcriptis quoque & meditatione Rempublicam adiuuare, oro te noli labori vlli parcere, ſtudiũq; tuum, ac voluntatem, quam hactenus egregiam admodum, ſingularemque ad Catholicæ religionis cauſam defendendam attuliſti, ita poſthac omnibus probare perge, vt in te vno maximum vindicandę in priſtinam dignitatem religionis pręſidium poſitum eſſe plerique omnes planè intelligant, & magna cum tua laude prædicent. Vale & mihi litteras tuas iucundiſſimas eſſe omnino tibi perſuade. Romæ Tertio Calen. Martias 1557.

ANDREAE PATRICIO CANONICO CRACOVIENSI.

Laudat eius constantiam in tuenda Catholicorum causa.

GRatissimæ fuerunt mihi litteræ tuæ, ex quibus illud in primis summa cum voluptate cognoui Episcopi tui pietatem in tuenenda religionis causa, ita cum summa fortitudine fuisse coniunctam, vt si eius ordinis reliqui tantumdem præstent, sperandum planè sit, hæreticorum fraudes propediem omnes in irritum casuras. Legi orationem illius, vel si mauis tuam; cur enim non appellem tuam, quam tu sic luculenter ornasti, & illustrasti? vt vtri ea plus debeat prudentissimus quisque meritò ambigere possit. Et ille fortiter, & tu mi Patrici peramanter fecisti, qui patroni tui nomen, & gloriam in Sarmatiæ tantum angulo claram curasti propagandam, neque id vulgari aliqua, sed præcipua quadam, atque, vt ego sentio, vera, solidaque ratione curasti. Sed nolo abire longiùs. Gratulor illi tam fortem, atque his temporibus tam necessariam animi pietatem. Gratulor tibi tam egregiam ornandi patroni tui occasionem esse datam, vt eadem etiam opera, quantum eloquentia posses in tam honesta re, tam illustri documento ostenderis. Quare amo te cum Episcopi tui causa, quem ego vnicè diligo, tum eruditionis tuæ, atque eloquentiæ testimonio adductus, iubeoque te sperare à me eam voluntatem, & beneuolentiam, quæ inter non mediocri necessitudine coniunctos præstari debet. Vale. Roma ix. Calen. Maij 1557.

ADAMO CONARSKI.

Andreæ lucubrationes laudat.

ACcepi abs te ad Quint. Id. Aprilis litteras vna cum libello, & epistola Andreæ Patricij, quibus ego magnopere sum delectatus. Eius generis lucubrationes cum Episcopo Cracouiense dignissimas, atque huic tempori maximè accomodatas iudico, tum etiam cum summa ipsius Patricij laude coniunctas: quin & nationis vestræ vniuersæ gloriam non mediocriter eiusmodi argumentis illustrari, amplificarique existimo. Quare gratulor homini primum pietatem, & studium singulare erga Patronum,

tronum, deinde etiam latinè, eleganterque dicendi vberem, atque egregiam facultatem. Tibi verò ago gratias, qui me tam iucundo munusculo delectaris. Quod verò mihi Iacobum Lipniczki tanto studio, diligentiaque commendasti, vt magnopere te eius causa laborare facilè sentiam, velim existimes me in eo tuendo, & adiuuando re ipsa perfecturum, vt is intelligat tuam commendationem apud me maximum pondus habuisse. Vale. Roma ix. Calen. Maij 1557.

ALBERTO SVVICZIESKI DECANO PLOCENSI.

Gratias agit pro munusculo, promittitque ei suum patrocinium in eius causa.

ATtulit ad me hodie Georgius Ticinius litteras tuas, narrauitque habere abs te munusculi nescio quid, quod ego tibi homini erga me tam liberali peramanter illicò acceptum retuli, iussique illum à me tibi idem expensum ferre, si vellet, vel apud se tantisper seruare, dum tu quid ea de re faciendum iudicares rescriberes. Tu si eo eris animo, quo ego omnes esse, & cupio, & vehementer opto, hanc animi mei gratitudinem, quam mihi à natura datam magnopere excolendam duxi, ita amplecteris, vt beneuolentiæ meæ erga te præcipuum quoddam pignus esse existimes. Quod verò ad causam tuam attinet velim tibi persuadeas cum Episcopi tui Plocensis diligentissima commendatione, tum tuo etiam nomine ita mihi curæ fore, vt nihil à me prætermissum eorum officiorũ intelligas, quibus amantissimi inter se homines certare solẽt. Vale. Roma ix. Cal Maij 1557.

STANISLAO COMITI IN THENEZIN Palatino Cracouiensi.

Mutuam beneuolentiam initãque amicitiã, colit. Causam in Polonia iudicandam suadet. Denique Catholicorum partes commendat.

ACcepi ad Octauum Idus litteras tuas, quæ mihi eo maximè nomine, quod me ad te amandum priores inuitarunt, fuerunt planè iucundissimæ: nam dici, atque adeo credi vix po-

test quantopere gaudeam, mihique iure optimo placeam; quum ex amplissima ista prouincia, erga quam propensissima, optimaque semper fui voluntate, nouæ mihi offeruntur amicitiarum causæ, cum ijs præsertim viris, quos, & nobilitas, maiorumque splendor valdè commendat, & propria ipsorum virtus, ac prudentia in Republica gerenda maximè illustrat, carosque cum bonis omnibus, tum Serenissimo ipsi Regi in primis facit. Quare scito me non in mediocris lucri loco ponere hanc inter nos initam, vt spero, & opto, Deo fauente, beneuolentiam, animorumque coniunctionem, quam ego, vt semper plurimi sum facturus, ita te etiam, atque etiam vehemeuter rogo, vt vicissim colas, mutuisque inter nos officijs certatim confirmemus, augeamusque, in quo certamine spero me tibi probaturum, nihil mihi antiquius vnquam fuisse, quàm vt susceptas semel amicitias omni studio, diligentiaque retinerem, atque ornarem. Sed malo te ex alijs, atque adeo re ipsa cognoscere quàm cupidus, tenaxque amicitiarum sim. Quod autem ad me scripsisti id eiusmodi esse iudico, vt istic faciliùs, minoreque sumptu apud vos confici, atque expediri possit. Itaque (vt de tota re pluribus verbis meo etiam nomine Georgius Ticinius perscribet) consului satius esse tutelæ causam ad vos retrahi ex rescripto Pontificis, atque istic committi aliquibus probis viris, qui cognita rei totius æquitate propediem de ea iustam sententiam ferant. Istic igitur apud vos commodiùs ea causa pertractabitur, de totoque negotio faciliùs inter præsentes, citiùsque transigetur. Quare hortor te, vt quam causam pupillorum defendendam suscepisti, eam ab auarissimorum mente, ac religione corruptorum manibus eripias, atque (quod cum summa tua laude hactenus fecisse audio) pro Catholica religione tuenda strenuum, fortemque ducem præstes. Breui enim futurum spero, vt compositis bellis ad vnam eam rem in pristinam dignitatem restituendam bonorum omnium voluntates, ac studia, in primisque ipsorum Principum cogitationes omnes, atque opes conferantur. Vale, & meo nomine Magnifico Domino Castellano Sandominensi salutem dicito. Romæ pridie Idus Maij 1557.

STA-

STANISLAO MACZYEIOVVSKI CASTELLANO Sandominensi.

Promittit suum auxilium pro Palatino Cracouiensi.

ACcepi ad tertium Idus litteras tuas, quibus mihi præter cetera negotium Illustris Domini Palatini Cracouiensis diligenter commendasti. De quo cum iam octauo Idus ipse ad me longiùs perscripsisset, de totaque re certior factus à Ticinio fuissem, & consilio, & opera, beneuolentia quidem certè quanta potuit fieri maxima rem ipsam ita audiui, vt sperem illi meã erga se voluntatem facilè probatum iri; teque planè intellecturum commendationem tuam magnum apud me pondus habuisse, vt pluribus verbis Ticinius ad te, atque ad illum scribet. De Religione (quia in manu Domini corda Regum sunt) spero propediem compositis bellis, commodè aliquid statui posse. Tu, quod libenter pro summa tua humanitate facis, & me ama, vt cæpisti, & pro Catholica religione fortiter dimica. Vale Idib. Maij 1557.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Causam Palatini Cracouiensis ad ipsos remittendam ex Pontificis rescripto.

AD octauum Idus accepi abs te litteras, quarum alterã pars stomachi plena erat, in altera Illustrem Comitem in Tenezin mihi diligentissimè commendasti. Huic ego parti in præsentia tantum respondebo; nam ad alteram quid tibi ego rescribam, qui longissimè semper ab eiusmodi scribendi genere abfui? Palatini igitur Cracouiensis causa, quò faciliùs, commodiùsque, ac minori etiam sumptu expediretur, consului, curauique, vt istic apud vos ex Pontificis rescripto iure consultis aliquot delegaretur. Eam ego putaui breuiorem, ac commodiorem viam omnibus fore. Quare quòd tua commendatione ad eius viri causam adiuuandam non mediocriter sum inflammatus, existimaui me id ad te scribere oportere, vt scires me libenter tua causa solere honestis viris commodare, & eorum mihi amicitias, quibuscunque possim officiis adiungere mihi gratissi-

gratissimum semper fore. Vale, & cum ad me tabellarius, de quo tua manu in codicillis admonuisti, peruenerit, aliquid ad eam particulam expectato. Romæ Idib. Maij 1557.

ABBATI MONTIS SERRATI.

Ambrosii Procuratoris sedulitatem testatur, seque precibus Monachorum in corporis aduersa valetudine commendat.

TRiduo ante litteras tuas accepi, quas mihi ad quintum Calen. Februarij datas sodalitij vestri procurator Ambrosius reddidit. Ex iis quanti me, studiumque meum in rebus vestris iuuandis cum sodalibus tuis facias, facilè cognoui; nec dubito ad te de optimo meo erga vos, resque vestras animo Ambrosii litteris esse perscriptum. Is enim vt diligentissimè, singularique prudentia rem communem curat, miraque modestia, & probitate summorum virorum gratiam, & beneuolentiam sodalitati colligit, atque conciliat, ita etiam æquum esse statuit de mea erga vos egregia voluntate aliquid scribere. Tu verò quòd mihi gratias prolixè agis, pollicerisque assiduis tuis precibus, me apud Deum commendare, debes existimare mihi vtrumque fuisse gratissimum; sed tamen alterum cum multò gratius, tum etiam planè necessarium. Ita enim imbecilli corpusculi mei vires multorum annorum labores debilitarunt, vt menses sex totos penè decubuerim, nunc podagra, nunc stomachi, renumque doloribus cruciatus. Quare peto à te cum toto sodalitio, vt hominis vestri amantissimi, rerumque vestrarum patroni salutem, ac bonam valetudinem precibus vestris adiuuetis. Erit id mihi cum gratissimum, tum spero etiam magni ponderis ad impetrandam à Deo Optimo Maximo incolumitatem. Vale. Romæ xi. Calen. Iunij 1557.

EPISCOPO VARMIENSI.

Deum in maioribus periculis affuturum Ecclesiæ sperat.

ACcepi octauo Idus Maij litteras tuas, quas ad me xij. Calen. Aprilis dederas; in ijs ego singularem tuam pietatem

cum

cum ſumma prudentia, cumque incredibili ſollicitudine pro ſuſtinenda vera religione coniunctam facilè perſpexi. Sed vt tibi ſtatutum eſt iam pridem ad ſynodum non accedere, in quo ego conſilium tuum magnoperè probo, ita mihi certum eſt nihil tibi ad ea reſcribere, quæ præſentium temporum querelas continent. Tantum dicam, niſi nos pariter, & veſtram prouinciam miſeratus Deus pacem inter Principes conciliarit, non video quid à nobis præſidij hoc tempore ſperare poſſitis. Quanquam in ea ſpe ſemper fui, & nunc cum maximè ſum, propediem affuturam nobis omnibus à Deo opportunam opem; quandoquidem iam humanis auxilijs deſtituti omnino ſumus. Ad hunc autem extremum turbarum, periculorumque actum videtur Dei pietas conſueuiſſe ſemper hominibus adeſſe, quo maiore diſcrimine erepti, & cautiùs poſthac pericula vitemus, & Diuini beneficii memores magis, gratique ſimus. Quare volo te integra adhuc ſpe, bonoque animo eſſe. Exaudiet enim aliquando tandem piorum preces benignus Dominus. Tu quod ſedulò facis ſumma vigilantia cuſtodi gregem tuum, efficeque, vt tuo exemplo cæteri idem ſibi eſſe faciendum planè intelligant. Quid hìc agatur ex Sampſone tuo facilè cognoſces, qui alio procuratore ſuffecto ad te proficiſcitur. Ego vero quod ad res tuas attinet tantùm habeo tibi polliceri, eas mihi non minori curæ ſemper fore, quàm ſi ex eis omnia mea commoda penderent. Vale, & me, quod libenter facis, ama. Roma Quarto Calen. Iunii 1557.

IOANNI BERTRANDO CARDINALI SENONENSI.

Gratulatur ei nouam Cardinalatus dignitatem.

Niſi me diuturna totius valetudinis perturbatio, qua variis modis ſeptem penè integros menſes laboraui, ab eo officio prohibuiſſet, quo ego pro egregia mea erga te voluntate, mirificoque ſtudio libentiſsimè functus eſſem, cum de ampliſsima honoris tui acceſſione in Senatu actum eſt, certè, & quàm tui ſtudioſus ſemper fuerim, quàmque tibi nouum honorem verè, atque ex animo gratularer, non modo in dicenda ſententia, ſed etiam perſcriptis illicò litteris facilè cognouiſſes. Nunc verò, quando ita Deo volente accidit, vt perículoſo, grauiſsimoque morbo aliqua ex parte leuatus ſuauiſsimas litteras tuas acceperim,

rim, quibus mihi gratias humanissimè agis, non putaui committendum (de quo etiam cum Nicotio tuo pluribus verbis coram egi) vt de singulari mea erga te voluntate diutius cælareris. Sic igitur habeto me propter eximias virtutes tuas, summamque eruditionem, atque prudentiam tui esse cupidissimum, eaque omnia libentissimè esse facturum tua causa, quæ ab homine tui amantissimo, cupidissimoque sperari possunt. Tu vero in Collegium nostrum cum summa tua laude cooptatum esse cum tibi plurimum gratulor, tum etiam Christianæ Reipublicæ, cui à virtute, & prudentia tua magnum adiumentum, præsidiumq; his temporibus allatum iri confidimus. Vale Roma pridie Nonas Quintilis 1557.

EPISCOPO VARMIENSI.

Pacem inter Christianos Principes sperat etiam in turbatioribus rebus.

ACcepi quatriduo ante litteras tuas cum exemplo earum litterarum, quæ mihi ad viij. Idus Maij perlatæ fuerant; his quoque adiunctum erat Regii decreti exemplum, quod ego, & si iam pridem legerem, tamen abs te missum gratissimo animo accepi. Curaui autem ad te ego quoque exemplum earum litterarum, quibus ad tuas responderam. Nunc vero nihil est quod ad te scribam præterea, nisi fortè id vnum expectas, vt de pacis spe quid sentiam, faciam te certiorem. Ego quod me proximis litteris scribere ad te memini, in ea sum sententia, vt quò turbatiora sunt omnia, eò pacis ratio propiùs sit, faciliùsque, vt habeatur. Aloisius Lipomanus Veronæ Episcopus est apud nos, quem ego hominem de rebus vestris loquentem, tuasque virtutes mirificè prædicantem auidissimè audio. Cura, vt valeas, & me, quod facis, mutuò diligas. Roma sexto Idus Iulij 1557.

REGI POLONIAE.

Certiorem eum facit de expeditione Archiepiscopatus Gnesnensis, deque pecuniæ solutione ex Collegarum decreto.

QVum me diu nimis aduersa, periculosaque valetudo procul à publicis negotiis partim in lectulo, partim domi necessariò

cessario detinuisset, tandem Dei Optimi benignitate expulso vetere morbo, resumptisque penè pristinis viribus, ac restituta nobis pace; illud in primis curandum mihi esse duxi, vt de Archiepiscopatu Gnesnensi quæ iam pridem à me diligentissimè parata erant, ea primo quoque tempore perficerentur. Quare egi primùm cum Reuerendissimorum Dominorum meorum Collegio, cuius præcipuè intererat, vt vnius Vicecancellarii, aut eius procuratoris obligatione contenti, totius pecuniarum summæ, quæ in litterarum expeditionem expendendæ erunt, solutione in eũ annum dilata, in quo per mortem Archiepiscopi Coadiutoris officium cessaret, hoc quantumcunque temporis intercederet, liberalitate sua condonarent, atque ad hanc rem ea conditione in præsentia expediendam consentirent. Verum id nullis rationibus, aut precibus impetrare potui; quanquam ego & Tuæ Maiestatis causa, & quod Summus etiam Pontifex gratum id sibi fore præseferret eam gratiam Vicecancellario faciendam esse persuadere illis enixè contenderim. Quare ne longum faciam ea demum conditione huic rei assensuros se sunt polliciti, si prius hìc opulenti alicuius argentarij fide caueatur, vt intra annum Archiepiscopi obitus litteræ expediantur, præsensque atque integra summa pecuniæ persoluatur. Eam igitur conditionem, quæ legitima ipsa est, quaque ordinario iure vtimur, si Vicecancellarius accipiendam esse duxerit, curabit illicò de nummis, vt hìc idoneè caueatur. Egoque nulla interposita mora dabo operam, vt re in Senatum relata, breues litteræ decernantur à Summo Pontifice, quarum auctoritate Vicecancellarius in possessionem mitti possit. Hæc igitur ad Maiestatem Tuam propterea scripsi quòd existimabam meæ erga illam obseruantiæ partes esse, vt cum primùm mihi per valetudinem liceret, de omnibus rebus, quæ sua interessent, certiorem ipsam diligentissimè facerem. Valeat Maiestas Tua felicissimè, diuque, ac me sui studiosissimum esse planè sibi persuadeat. Romæ Septimo Idus Octobris 1557.

IOANNI LVDOVICO PVTEO.

Hortatur eum ad ſequenda Maiorum ſuorum exempla in virtutibus acquirendis.

CArum te mihi multis nominibus eſſe non temerè ſperaſti mi Ludouice, ſed ſolidis, veriſsimiſque rationibus collegiſti. Nam vt parentis, patruique tui, virorum illuſtrium erga me beneuolentiam ſingularem, naturæque inter nos coniunctionem, & neceſsitudinem prætercam, nihil in rebus humanis ſtatuo eſſe amabilius virtute, cuius vnius ſtudioſos, & cupidos ſi quis vnquam verè, mirificèque dilexit, huic ego prorſus nihil habeo, quod vel minimum concedam, præſertim in adoleſcente ingenuo, mihique coniunctiſsimo amando. Quare perge, vt cæpiſti, & tua ipſius ſponte, & Maiorum tuorum exemplo, laudeque incitatus ad pulcherrimam tibi propoſitam gloriam contende. Id enim maximè, & te facere decet, & ſplendori familiæ in primis conuenit, cui tu ſi pro virili parte dabis operam, vt reſpondeas, egregiam te ſpero laudem conſecuturum. Me certè ſi in te diligendo, & ornando ea voluntate, pietateque præditum ſperaris, qua erga cariſſimos liberos amantiſſimi parentes eſſe ſolent, non fallet te ſpes tua. Vale, & da operam, vt liberalium artium, diſciplinarumque ſcientiam, quam auidè conſectaris, præcipua morum probitate, ſummo ſtudio, curaque adhibita exornes. Vale iterum, & meo nomine Parenti, Patruo, domeſticiſque omnibus ſalutem dicito. Roma tertio Idus Decembris 1557.

MARTINO CROMERO.

Pro amicis honeſta poſtulanda, & quæ à Pontifice concedi valeant.

DVabus Epiſtolis tuis, quas abs te proximè accepi, paucis reſpondebo; partim quòd eiuſmodi ſunt, vt præter egregiam animi tui erga me, voluntatiſque ſignificationem, ac mirificum veteris religionis retinendæ ſtudium, nihil habeant quod magnopere reſponſum deſiderent; partim verò quòd in quibus opem meam, conſiliumque requiris, in ijs neque conſilio, neque opera mea amico illi tuo prodeſſe me quicquam poſſe planè in-

nè intelligo. Nihil enim audiui, aut legi eius generis vnquam, aut superiores Pontifices fecisse; aut hunc, vt faciat adduci vllo modo posse sperandum video. Quare satius duxi de ea re nihil postulare, ne & ego Pontificij iuris ignarus, & tu pro amico minimè honesta petisse videremur. Quod verò aliquando factum esse scripsisti, id si modò verum est, quod ego prorsus non credo, multò diuersum ab ea specie, quam mihi proposuisti, si rem ipsam penitus examinaris, facilè spero te esse cogniturum. Ego & tua, & amicorum tuorum causa quæcunque honestè fieri poterunt, dabo operam vt intelligas me semper magnopere voluisse. Vale, & si qua ratione potes pro virili tua labentem publicè, priuatimque vt audio, in ista prouincia religionem sustine, atque tuere. Roma tertio Idus Decembris 1557.

IOANNI COMITI IN TARNOVV.

Dolet maximè Episcopum Chelmensem fauere hæreticorum factionibus ex testimonio Epistolarum Reginæ, & Apostolici Legati.

REdeunte ad vos Regis vestri Oratore, multæ me quidem rationes impellebant, vt ad te aliquid litterarum darem, illud tamen vnum à me pro suo quasi iure hoc scribendi munus efflagitare videbatur, quòd tu perscriptis litteris Chelmensis Episcopi translationem mihi magnopere commendasti. Cum enim, & Regis vestri, & tua causa magnopere omnia velim, meũ esse duxi, vt quid actum sit, quidue Chelmensi Episcopo obstiterit, quò minus voti compos fieri potuerit, facerem te certiorem. Quare primùm scire debes quum hìc in Senatu actum est de Chelmensi Ecclesia, ad quam R. Iacobus Vchanski à Serenissimo Rege nominatus fuerat, inter multos Reuerendissimos Cardinales, qui veris rationibus nisi eum hominem palam cum hæreticis sentientem Episcopi munere, ac dignitate indignum omnino reijciebant; neminem fuisse acriorem, ac suæ sententiæ tenaciorem, quàm qui nunc Summus Pontifex Reipublicæ Christianæ præest. Is nunquam in aliorum sententiam, ne me quidem maximè contendente, Iulioque III. eam rem adiuuante, perduci potuit. Quanquam non deerant inter nos, qui mores hominis meliores, studiumque ad Catholicam religionem tuendã,

hæreticoſque profligandos ſummum, atque acerrimum poſtea fore pollicerentur confiſi tum Sereniſſimi Regis, aliorumque teſtimonio, tum Iacobi ipſius magnis pollicitationibus. Poſtquam autem renunciatus eſt Epiſcopus Chelmenſis, expectabamus omnes, vt anteactæ vitæ pœnitentia ductus non modò quod proprium Epiſcopi munus eſt, quodque ſanctiſſimo iureiurando facturum ſe receperat, & ipſe Catholicè ſentiret, & ita populo ſibi commiſſo ſentiendum, viuendumque præciperet; ſed etiam, vt ſumma ope, contentioneque niteretur efficere, necubi omnino hæretici homines, nouorumque dogmatum, ideſt fœdiſſimorum monſtrorum repertores acrius, ſeueriùſque punirentur, quàm in ſua prouincia. Cum ecce multorum litteris affertur Chelmenſem Epiſcopum, ſi vnquam aliàs, eo maximè tempore ab hæreticorum partibus palam ſtare, iiſque penè plus in illius prouincia, quàm in corruptiſſimo quoque Germaniæ angulo publicè licere. Quæ res, & Iulium Summum Pontificem, & me, qui hominem acriter defenderam, vehementer perturbauit. Acceſſit in dies cum bonorum aliquot virorum, tum Sereniſſimæ Reginæ graue teſtimonium, quæ perſcriptis ad nonnullos Cardinales litteris Chelmenſis Epiſcopi alieniſſimum à Catholica religione animū ſeriò deteſtabatur, monebatque prouidendum eſſe, ne quod iam malum in ipſius Eccleſia, diœceſique latè diſſeminatum erat, in alias quoque prouincias eiuſdem opera, atque auctoritate ſerperet; proximèque quum eſt ad nos de morte Cuiauienſis Epiſcopi allatum, eadem Regina iterum perſcriptis litteris ad Reuerendiſſimos pleroſque Cardinales, atque ad Summum Pontificem, maximum inſtare Regno iſti diſcrimen teſtata eſt, ſi (quod ipſa pro comperto habebat) Chelmenſis Epiſcopi ad Cuiauienſem Eccleſiam translatio à Rege poſtularetur, eaque Summi Pōtificis, Sediſque Apoſtolicæ auctoritate probaretur. Huius ſententiæ non modò ipſa Regina, quæ alicuius offenſionis cauſa forte iniquior in Epiſcopum videri poterat; ſed Sedis Apoſtolicæ Legatus, qui in rem præſentem venerat, diligentiſſimèque cū aliorum Principum virorum, tum maximè Epiſcoporum mores, internoſque animorum ſenſus animaduerterat, ſemper fuit. Quāquam (non enim agam tecum aſtutè) omnium ferè litteræ, quibus Chelmenſis Epiſcopus commendatur, palam fatentur illum ſenſiſſe ante cum hæreticis; verùm ſub Apoſtolici Legati profectionem reſipuiſſe, atque ad Catholicæ Religionis cauſam tuendam

dam ſtudium,vireſque ſuas contuliſſe.Hanc autem Epiſcopi propoſiti , ſententiæque mutationem, etiam ſi maximè vera ſit, atq; eius ſalutis , gregiſque commiſſi cauſa magnopere exoptanda , non tamen eam ſatis eſſe ducit Summus Pontifex ad hominem ſemel , atque iterum inſigniter, hæreſeos crimine notatum , in eum ſtatum reuocandum , vt in Eccleſia Catholica honore , aut dignitate aliqua eum ornari vllo modo fas ſit.Quare habes quid nobis impedimento fuerit, quo minus,quæ tua cauſa magnopere volebamus, perficere potuerimus. In hoc autem negotio velim exiſtimes me vehementer,diuque laboraſſe,ſæpeque veritum eſſe ne R.D. Ioannnes Viſſoczki Orator non obſcuram de ſe ſuſpicionem præberet cum hæreticis ſentiendi ; tanto enim ſtudio Epiſcopi Chelmenſis cauſam defendendam apud Summũ Pontificem , Reuerendiſſimoſque Cardinales ſuſcepit , vt neque conſtantiſſimo Pontificis propoſito , voluntateque cognita , neque mea , multorumque admonitione adhibita deterreri à ſuſcepta hominis defendendi , atque ornandi prouincia poſſet. Vt autem acri vir eſt ingenio, ſummaque diligentia præditus cum omnibus, tum maximè Summo Pontifici carus fuit. Singulari enim erga Sereniſsimum Regem fidem, miraque prudentia quæcunq; pertractanda erant,peregit.Itaque cum ſumma ſua laude teſtatiſſimam Regis veſtri pietatem, ergaque Sedem Apoſtolicam obſeruantiam reliquit. In qua ſi (vt ſpero) Rex permanſerit , hominemque non ſuſpectum hæreſeos, ſed virum bonum,proculq; ab ea labe, ſuſpitioneque remotum nominarit ad Eccleſiã Cuiauienſem , non vereor quin illicò Summus Pontifex libentiſſimè cum frequentiſsimo Senatu eam nominationem ſit probaturus. Hæc ego ad te pluribus ſcripſi , vt intelligeres maximum apud me pondus commendationem tuam habuiſſe;reliqua ex Oratore ipſo coram cognoſces , ad quem diligendum , poſteaquam præſens præſentem penitus noui,velim exiſtimes me tantum cumulum amoris,voluntatiſque adieciſſe,vt vix verbis conſequi poſſim . Reliquum eſt , vt te orem, atque obſecrem,quando iam eò peruentum eſt , vt boni omnes florentiſsimi iſtius regni calamitatem , exitiumque deplorent, ne diutius moreris pro tua virili parte ei opem ferre, idque perficere quod memini ſuauiſsimum Filium tuum quum hinc proficiſceretur, ſumma cum mea voluptate mihi polliceri , ſe videlicet curaturum, vt ij, qui ampliſsimum iſtud regnum perturbanda religione Catholica peſſumdare co-

re conarentur, si non alia ratione, certè sua manu confossi caderent, meritasque pœnas se vindice pro Dei gloria aliquando darent. Quod si feceris, ad eamque rem Serenissimum Regem tua auctoritate inflammaueris, non vereor quin tribus, aut saltem paucis nebulonibus, qui miris præstigijs imperitorum, nouisque rebus studentium, auribus cupiditatibusque blandiuntur, sublatis, aut expulsis, pacatissimum regnum, Deo maximè adiuuante sitis habituri. Vale, & quia temporis angustijs, aliorumque negotiorum multitudine impeditus ad Serenissimum Regem paucis verbis scripsi, curabis, si me amas, vt eius Maiestas hæc omnia per te coram, vel per litteras planè cognoscat. Romæ Pridie Idus Februarij 1558.

REGI POLONIAE.

Eius Oratorem Pontifici gratissimum fuisse testatur. Difficultatem pro obtinenda translatione Episcopo Chelmensi manifestat.

ET si iam pridem mihi persuasi non obscuras meæ erga Maiestatem Tuam obseruantiæ significationes, & studia grata ei semper fuisse; tamen cum crebris eius litteris ad aliquid suo nomine agendum, aut opera mea, & diligentia procurandum, vocor, ita in ea persuasione confirmor, vt planè confidam Maiestatem Tuam de mea erga se voluntatem, quin ea egregia, optimaque semper fuerit, futuraque sit nunquam omnino dubitasse. Quæ cogitatio cum mihi quotidie calcar addit benè alioquin mea sponte currenti, tum incredibili quadam voluptate animum meum perfundit, quum amplissimo, potentissimoque Regi grata officia mea esse intelligo, cuius ego præcipui voti mei compos vt aliquando fierem, summo semper studio, fide, diligentiaque curaui. Quare cum eo nomine non mediocriter mihi gaudeo, tum Maiestati Tuæ etiam ingentes gratias ago. Sed venio ad litteras eius, quæ mihi ternæ intra quindecim dierum spatium partim ab ipsius Oratore, partim ab alijs redditæ sunt, ad quas antequam aliquid respondeo, illud Maiestati Tuæ velim esse persuasissimum, & legationis huius decernendæ consilium, & hominis electionem Summo Pontifice gratissimam fuisse, nam cum ad illum bis, terque Oratorem deduxissem, ea vo-

luntatis

luntatis significatione erga Maiestatem Tuam, ea beneuolentia hominem complexus est, vt nihil desiderari possit aut amplius, aut honestius. Sed hæc malo ex Oratoris ipsius verbis coram rem totam suo ordine explicantis vt gesta est Maiestas Tua cognoscat. Quod ad priuata negotia pertinet, quæ mihi diligentissimè eadem commendauit; quæque mihi summæ curæ semper fuerunt; puto iam ad Maiestatem Tuam perlatas esse litteras meas, quibus quid in Vicecancellarij ad Ecclesiam Gnesnensem coadiutoria expedienda facto opus esset, ex Reuerendissimorum Cardinalium Collegij sententia responderam, id nunc negotium ex mutato pro re nata Maiestatis Tuę consilio missum omnino fecimus, quemadmodum etiam Chelmensis Episcopi translationem missam facere necesse fuit. Summus enim Pontifex iam pridem grauissimorũ virorũ testimonio certior factus R. Iacobum Vehanski cum hæreticis palam sentire, nunquã adduci potuit viuente Iulio III. quum de Chelmensi Ecclesia frequentissimo Senatu ageretur, vt in aliorum Cardinalium sententiam descenderet, qui Maiestatis Tuæ litteris, ipsiusque Iacobi pollicitationibus freti Catholicum Episcopum futurum illũ sperabant; Eaque tum spe, tum etiam Maiestatis Tuæ testimonio motus Summus Pontifex, & frequens Senatus Episcopum Chelmensem illum pronunciauit. Quum autem expectabamus omnes, vt anteactæ vitæ pœnitentia ductus Episcopus Chelmẽsis & officio suo, & serijs pollicitationibus, sanctissimoque iuri iurando satisfaceret, tùm maximè apparuit deceptos nos vanis pollicitationibus fuisse, huiusque Pontificis sententiam (qui hominem semel hæresis inuolutum ab ea dignitate procul arcendum esse censebat) meritò omnes collaudauimus. Nam rerum euentu didicimus Episcopum Chelmensem hæreticorum castra nunquam deseruisse, idque multorum testimonio confirmatum est, qui illum sub Apostolici Legati ex isto regno discessum palam hæreticorum partes secutum esse nuntiarunt. Quare cum antequam Episcopus crearetur, atque etiam post in ea dignitate positus non obscurè se cum hæreticis sentire iam sępius declararit; quanquam Maiestatis Tuæ Orator nihil prætermisit, vt hanc Episcopi labem velut confictum à maleuolis crimen dilueret; Summus tamen Pontifex à pristina sententia discedere noluit, affirmans se nunquam Ecclesiastica munera demandaturum hominibus, qui vel leuissima hæresis suscipione quandoq; labora-

laborauerint. Quod si à Maiestate Tua nominatus fuerit vir bonus, atque ab omni hæresis suspicione procul remotus, tunc verò se non modò libenter, sed alacri etiam animo, & cum summa Maiestatis Tuæ collaudatione eidem gratificaturum bona fide pollicetur. Sed hæc coram R. Ioannes Vissocki Orator Maiestatis Tuæ pluribus verbis aget, quem ego virum acri iuditio præditum mirificè diligo, cum quòd ita egregiæ illius animi dotes postulare à me, atque ab omnibus suo iure videtur, tùm quòd in Maiestatis Tuæ negotijs tractandis non modò summam fidem, ac diligentiam; sed incredibilem etiam prudentiam cum honorifica eximiæ pietatis, obseruantiæque Maiestatis Tuæ erga Sedem Apostolicam testificatione declarauit. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Roma Idibus Februarij 1558.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

De eodem scribit negotio.

ET si certò scio te existimare, me pro singulari mea in Polonos omnes beneuolentia, egregiaque voluntate, summa diligentia curasse, vt quibuscunque officiis, rationibusque possem Serenissimi Regis vestri Oratorem cumulatissimè ornarem, idque etiam confido te ex ipso coram planiùs cogniturum; facere tamen non potui, quin meis etiam litteris tibi, qui mihi illum, atque Chelmensem Episcopum diligentissimè commēdasti breuiter aliquid responderem. Sic igitur habeto, nihil à me prætermissum esse, quo Serenissimo Regi, cuius causa omnia magnopere volo, quo tibi, quem plurimi facio, in vtroque viro ornando satisfacerem. Quod quanquam in Oratore facilè consecuti sumus; in Episcopo tamen quantum ad translationem ad Vladislauiensem Ecclesiam pertinet nihil impetrari omnino potuit. Summus enim Pontifex nemini eorum, quos aliquando cum hæreticis consensisse, vel leuissima suspicio fuerit, Ecclesiastica munera, dignitatesque demandari fas esse statuit. Quare nec mea, nec Oratoris opera, contentioneque summa quidem illa, ac singulari perfici quicquam potuit. Reliqua ex ipso Oratore, qui summam in hoc munere obeundo, honestissimèque sustinendo fidem erga Regem suum, animique moderationem, prudentiamque declarauit, pluribus verbis cognosces;

De tua autem erga me egregia voluntate, nepotisque tui obseruantia sæpe mecum honestissimè locutus idem Orator, (qui te plurimum colere, ac venerari mihi visus est) id in primis egit, vt cum religionis, tum etiam priuatorum negotiorum tuorum causam (quam ille mihi singulari fide, ac diligentia frequenter commendauit) defendendam susciperem. Ego verò & quod potui, adhuc in tuorum causa præstiti, & posthæc semper sedulò præstabo. Illud autem à te magnopere peto, vt redeuntem ad vos Oratorem pro tua virili, proque ipsius meritis libenter ornes. Vale. Roma xv. Calen. Martias 1558.

EPISCOPO VARMIENSI.

De eodem scribit negotio.

CHelmensis Episcopi translationem ad Ecclesiam Vladislauiensem, quam mihi diligentissimè commendasti, scito me cum mea sponte, tum commendatione, & testimonio tuo adhibito, ita procurasse, vt fide, ac diligentia maiore non possem. Ad summam autem meam operam singulare Regij Oratoris studium etiam accessit; sed neutrius opes, contentionesque Summi Pontificis animum, sententiamque mouere vllo modo potuerunt. Is enim hominem non modò notatum semel hæresis, sed qui vel in leuissimam suspicionem eius criminis aliquando venerit, nefas esse statuit ad Ecclesiastica munera, dignitatesque prouehere. Quare, & si aliquot in rebus Chelmensis Episcopi industria, vt scribis, Catholicæ religionis causam nuper iuuare visa est; non temere tamen Sedis Apostolicæ auctoritate iterũ probandus videtur, qui iurisiurandi sacrosanctam fidem aliàs violasse, atque in hæreticorum castra post semel condonatam noxam transfugisse compertus est. Hæc, & si te scio ex alijs cogniturum, pro summa mea erga te beneuolentia existimaui à me tibi paucis significanda esse. Reliqua ad te procuratores tui perscribent longiùs, quibus à me omnia tua causa parata, promptaque esse velim tibi planè persuadeas. Vale. Roma xv. Calen. Martias 1558.

De eodem uerba facit, & suspiciones contra ipsum uulgatas significat.

ET si iam pridem ad litteras tuas, in quibus à me petisti, vt ex Serenissimi Regis sententia, qui te ad *Ecclesiam* Vladislauiensem nominauit, curarem, vt ad eam Sedis Apostolicæ auctoritate transferreris, nihil adhuc respondi; nolim tamen existimes id aut negligentia, aut aliqua tui obliuione à me factum esse; sed quod res est, difficultate ipsa impeditum statuisse me prius omnia experiri velle, vt ad te certi aliquid scribere possem. Nunc autem cum planè omnia tentarim, nullamque mihi videam spem superesse, vt voti tui compos fieri possis, quanquam singulare etiam Regij Oratoris studium ad te defendendum semper affuit, beneuolentiæ, fideique meæ erga te partes esse existimaui, vt breuibus quæ tibi impedimento fuerint bona fide, apertèque explicarem. Quare sic habeto, Summum Pontificem nullis rationibus adduci posse, vt te ad Vladislauiensem Ecclesiam transferat. Huius autem constantis propositi sui eam solam causam ait esse, quòd grauissimorum virorum, eorumque summa probitate, doctrina, dignitateque ornatorum testimonio exploratum, compertumque planè habeat, te cum superioribus annis, tum posteaquam Episcopus creatus es hæreticorum partes priuatim, publicèque semper fouisse, neque vllam vnquam Catholici animi tui significationem dedisse, nisi fortasse in ijs rebus, vbi nulla tibi contra bonorum consensum, sententiamque perficiendi facultas relinquebatur. Quod si, vt par erat, anteactæ vitæ tuæ pœnitentia ductus Catholici *Episcopi* munus ita obijsses, vt quemadmodum hùc ad nos constanter nouæ suspitiones de te quotidie afferebantur, ita Catholicorum testimonio verè, atque ex animo resipuisse te certior Summus ipse Pontifex fieri potuisset, verendum profectò non erat quin quæcunque postulasses tibi à Sede Apostolica liberaliter concederentur, præsertim ipso Serenissimo Rege petente, atque rogante. Ego quod potui in tua causa bona fide præstiti, molestèque tuli hanc tui ornardi occasionem mihi ereptam esse eo præsertim nomine quòd cum hæreticis palam, apertèque consenseris, qua ego nota in tui ordinis viro nihil puto posse fœdius reperiri. Quare hortor

te,

te, vt veris argumentis, ideſt re ipſa, ac factis Catholicum te eſſe probes, omneſque priſtinas de te ſuſpiciones commutata morum, ſententiæque tuæ ratione prorſus diluas, atque aboleas. Ita enim futurum ſpero, cum vt faciles omnes ad ampliores tibi honores decernendos, confirmandoſque aliquando inuenias, tum etiam vt viri boni teſtimonio ſuo pietatem tuam laudare, commendareque verè poſſint. Vale Roma xv. Calen. Mart. 1558

IOANNI OCESCIO CANCELLARIO R. POLONIAE.

Oratoris Regij diligentiam, ac dexteritatem in tractandis negotijs laudat.

REdeunte ad vos poſt obitam honeſtiſſimã legationẽ R. Ioãne Viſſoczki, quem tu virum diligentiſſimè commendaueras, exiſtimaui me parum amicè facturum, niſi ad te aliquid litterarum darem. Primùm igitur velim tibi perſuadeas egregiam eius viri operam in legationis munere, vel ornando, vel pro Regis veſtri Sereniſſimi dignitate ſuſtinendo præclarè enituiſſe; quod & ſi te ſemper planè ſperaſſe intelligo; gratiſsimũ me tamen facturum tibi putaui, ſi idem meo etiam teſtimonio confirmaretur. Quare ſcito me cum ſingulari quadam beneuolentia hominem complexum eſſe, tum magnopere à te petere etiam, atque etiam, vt quibuſcunque poſsis officijs apud Regem eum ornes. Ita enim illius cauſa laborauit, vt maiorem diligentiam, fidemque meliorem præſtare certè nemo poſſet; Ita porro religionis, Epiſcoporumque negotium apud Summum Pontificem ſuſtinendum, defendendumque ſuſcepit, vt audeam tibi confirmare Chelmenſem ipſum Epiſcopum, ſi præſens pro ſe cauſam dixiſſet, nunquam tanta contentione fuiſſe acturum. Sed hæc tum pluribus cum ex ipſo coram, tum ex aliorum etiam litteris planè cognoſces. Ego tam Sereniſsimi Regis, regnique quàm tua, & amicorum omnium cauſa quæcunque potero, bona fide, libenterque perficiam. Vale Roma xv. Calen. Maias 1558.

* * *

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Regium Oratorem commendat. Facultatem conferendi Sacerdotia in mensibus reseruatis Papæ non valuit obtinere.

ET si nihil erat quòd ad te scriberem, quum præsertim R. Orator ad vos reuertatur. Ex quo te scio coram quæcunque hìc gesta sunt pluribus cogniturum; tamen quòd tu mihi per litteras diligentissimè eum virum commendasti, quòdque is mirificam tuam erga me voluntatem, beneuolentiamque longissima oratione frequenter declarauit; nolui committere, vt sine meis litteris, testimonioque ad vos proficisceretur. Quare primùm velim existimes te mihi gratissimum esse facturum, si hominem tui amantissimum, maximèque obseruantem mea etiã causa vehementiùs amaris. Deinde si tibi persuaseris negotia tua omnia, tuorumque nepotum, atque clientum, quæ mihi Orator magnopere sæpè commendauit, ita mihi curæ fore, vt si mea ipsius planè essent. Postremo quod attinet ad Oratoris munus, scito illum Summo Pontifici carissimum fuisse; singularique erga Regem fide, summaque prudentia omnia tractasse, ita vt cum maxima Regis dignitate, & sua non mediocri laude legatione functus sit. Hæc ad te scribenda esse paucis duxi, partim vt intelligeres tuam commendationem maximum apud me pondus habuisse, partim etiam vt Oratorem ipsum testimonio meo ornatum ad vos redeuntem pro tua quoque parte apud Regem commendandum, adiuuandumque tua opera libentius susciperes. Facultas conferendi Sacerdotia, quæ vacant in mensibus Papæ, quia omnibus ex æquo à Summo Pontifice negata est; si tibi quoque nunc negatur patienter ferre debes, cum tibi nihil præcipuum contingat. Vale. Roma xv. Calen Martias 1558.

EPISCOPO LEODIENSI.

Melitensium Equitum priuilegia in conferendis beneficijs commendat.

CVm inter Reuerẽdissimos Cardinales, in quorũ fidem Sacer Hierosolymitanorum Militum Ordo locatus est, ego quoque iam pridem sim, eiusque sodalitatis res summo semper studio

ſtudio defenderim , facere non potui , quin tibi nunc Reuerendi D. Petri dela Fontayne Commendatarij, vt dicunt, de Cyantarayne negotium diligentiſſimè commendarem, non ea tantum de cauſa , quòd is ſingulari mihi beneuolentia coniunctus eſt, proque ſua prudentia, egregijſque virtutibus hìc apud Summum Pontificem Magni Magiſtri, totiuſque Ordinis nomine legationem honeſtiſſimè ſuſtinet . Sed ea potiſſimum gratia quòd rem iuſtiſſimam poſtulare videtur . Nam eius Sacerdotij, quod obtinet , cum multa ſint membra, quæ tamen omnia , quoties vacare contigit, ex ipſius Ordinis priuilegijs conferre illi licet cui velit, quoniam libera ſunt , vt eius Ordinis reliqua , neque ſub vllum Epiſcoporum ius cadunt; tamen in tua diœceſi ante paucos annos audio ab Archidiacono, & Quæſtore Eccleſiæ tuæ tētatum contra ius, conſuetudinemque eſſe morem induci , vt ij , in quos eiuſmodi beneficia ab ipſo Commendatario collata eſſent, neſcio quam inſtitutionem à te , vel ab ipſis peterent , eoque etiam nomine non leue vectigal penderent. Quæ res cum totius Ordinis viribus, priuilegijſque tum priuatis Commendatarij, omniumque ab eo benefitijs eiuſmodi ornatorum commodis vehementer officiunt . Quare peto à te maiorem in modum, teque etiam oro, atque obſecro, vt primo quoque tempore tuis, atque Eccleſiæ tuæ miniſtris præcipias, vt ab ea iniuria poſt hac temperent, neque obſtent quo minus, quæ ſacerdotia vbique libera poteſtate eius Ordinis poſita ſunt, ea Commēdatarius liberè conferre omnino in tua dioeceſi poſſit. In hac autem cauſa velim exiſtimes me nihil , niſi quod æquum , iuſtumque eſt abs te poſtulare. Quod cum facillimè puto te pro tua prudentia intelligere , tum etiam ſi Ordinis ſtatuta , & priuilegia , quæ ad hanc tantum rē pertinent, legere non recuſaueris , certò ſcio te illico ſine vllo negotio cogniturum. Vale xv. Calen. Martii 1558.

PETRO MISKOVVSKI SCHOLASTICO CRACOVIENSI;

Hortatur amicè , vt cum Epiſcopo Poſnanienſi diſſidium dirimat.

ET ſi te honoris tui cauſa puto daturum eſſe operam , vt ijs pactis , conuentiſque, quibus iam pridem de tota controuerſia cum Epiſcopo Poſnanienſi volens , prudenſque tranſegiſti optima fide, omnibus probes te ſemper ſtare; tamen quòd eius gene-

generis dissidium inter vos magnopere iamdudum tollendum curo: duxi etiam mihi esse faciendum, vt de ea re perscriptis litteris te diligenter admonerem. Quare hortor te, vt primo quoque tempore id ipsum præstes quod te bona fide facturum recepisti. Scripsi in eamdem sententiam ad Episcopum Posnaniensem, neque vereor, quin tu in re homine honesto, maximèque Christiano dignissima, quicquam Episcopo sis concessurus, vincique te aut humanitate, aut liberalitate vllo modo ab illo passurus. Vale. Romæ xij. Calen. Martias 1558.

EPISCOPO POSNANIENSI.

Difficultatem obtinendi translationem Episcopo Chelmensi, & facultatem conferendi beneficia in mensibus Papæ reseruatis manifestat.

NEque tuo, neque aliorum multorum testimonio Chelmēsis Episcopi causam quantum ad translationis negotium attinebat, quod tu mihi diligentissimè commendasti, sustinere, aut tueri vllo modo potuimus, quanquam singulare etiam Regij Oratoris studium accessit, qui quum Summo Pontifici meritò gratissimus esset, nihil prætermisit, quo eius Episcopi dignitatē defenderet. Itaque tanta contentione de ea re laborauit, vt pene se ipsum in similem suspitionem conijceret. Sed hæc tu coram ex Oratore ipso cognosces, cui volo te existimare cum Chelmēsis Episcopi causam, religionisque ac totius regni negotia, tum præcipuè Regis vestri Serenissimi dignitatem, priuatasque tuas rationes summæ curæ fuisse. Ita enim mecum egit de facultate tibi concedenda, vt Sacerdotia, quæ in mensibus Papæ vacarent, conferre posses, vt singularem eius erga te fidem, atque obseruantiam vehementer admirares, atque amares Ea autem facultas, quia nulli vnquam ab hoc Pontifice tributa adhuc est, si tibi nunc negatur æquo animo ferre debes. Reliquum est, vt te horter, rogemque, vt pro virili tua parte (quod hactenus in Catholica religione tuenda cum summa tua laude præstitisti) tam Regem ipsum Serenissimum, quàm ceteros omnes, qui piè, catholicèque sentiunt, confirmes, atque inflammes, perficiasque, vt paucissimi nebulones, qui florentissimum istud regnum perturbanda maximè religione conantur euertere, aut propere tollantur,

lantur, aut certè ex ista prouincia funditùs extirpantur, atque eijciantur. Vale, & ne iniustum quicquam nimis cupidè velle videaris, da operam, vt quibus pactis, conuentisque stare te iam pridem velle Petro Miskovvski declarasti, ab eis ne latum quidem (quod aiunt) vnguem vllo modo recedas, quam rem, vt ille quoque vicissim pro sua parte curet, sedulò, diligenterque monendum à me esse duxi. Vale iterum, & me ama. Roma xij. Calen. Martias 1558.

NICOLAO TRZEBOCHOVSKI CVBICVLI REGII Præfecto.

Mutuam beneuolentiam fouet, laudatque diligentiam Regij Oratoris eius fratris.

CVm non mediocris mihi cum R. Ioanne fratre tuo iam aliquot ante annos instituta, mutuisque officijs culta beneuolentia intercedat; ex eoque de te coram multa cognouissem, quæ me ad te magnopere diligendum meritò inuitarent, atque impellerent, nolui committere, vt qui in vestræ nationis egregijs viris mihi beneuolentia coniungendis summum semper studium collocare consueui, te vnum à viro, vt ego quidem sentio laudato, meique certè amantissimo mihi multis nominibus collaudatum non inuitarem per litteras ad mutuam inter nos ineundam, atque colendam beneuolentiæ, voluntatisque coniunctionem. Quare scito te à me non modo diligi, sed etiam rogari vehementer, vt huic meo in te amori, vt par est, vicissim respondeas. De Ioanne Fratre tantum habeo tibi confirmare illum Summo Pontifici, amplissimoque Ordini gratissimum fuisse, Regisque vestri Serenissimi, ac religionis negotia ea fide, diligentiaque procurasse, vt in credibili cum mea voluptate ad vos non modo pulcherrimo Principum virorũ testimonio, sed honestissima etiam honoris accessione à Summo ipso Pontifice exornatus reuertatur; quod cum tibi, amicisque omnibus, vt spero, futurum iucundissimum est, tum cupio etiam vehementer, vt te virum tua sponte in Catholica religione retinenda fortem, atque constantem ad eam in isto regno iam ruentem sustinendã, restituendamque in dies magis incitet, atque inflammet. Quæ res, si mihi ex sententia, vt spero, atque opto, euenerit, operamq; etiam

etiam dederis, vt Serenissimus Rex cum in vetere religione reuocanda, tum in retinenda erga Sedem Apostolicam obseruantia Maiorum suorum exempla sequatur, non solùm auctoritate, qua plurimum, vt audio, apud Regem potes; sed gratia etiam apud omnes, atque immortali quoque laude cumulatiorem te in dies futurum spondeo. Vale, & tua omnia summæ mihi curæ semper fore planè confide. xij. Calen. Martias 1558.

MARTINO CROMERO REGIS POLONIAE ORATORI apud Cæsarem Ferdinandum.

Eius compositionem pro Catholica Religione legere summopere exoptat.

QVum abs te litteras pridie Nonas Aprilis accepissem Frãcoforti datas, in quibus præter legationis nouæ munus ad Romanorum Regem susceptum, leuissimumque memoriæ lapsum, quem religiosè nimis excusasti, illud etiam erat adscriptum, exemplum earum litterarum te ad me curaturum, quibus Orechouium superiore anno de sententia deducere sedulò conatus eras; non putaui me tibi in ea legatione, (vt est verisimile) multis negotijs impedito, prius aliquid scribere oportere, quàm ea confecta essent, quorum causa cum Rex ipse, tum totius Germaniæ Principes in eam Vrbem frequentissimi conuenissent. Quare & si maximè cupiebam scripta tua perlegere, quòd eruditione, grauitate, & eloquentia tua mirificè delector, malui tamen aliquandiu illis carere, quàm vt tibi eo nomine, vel leuissimam molestiam exhiberem. Nunc verò confectis, vt opinor, negotijs grauioribus, velim existimes me tibi non satis libenter esse daturum, vt tunc demum ad me eas litteras mittas, quum ab omni prorsus occupatione vacuus, planèque otiosus fueris; præsertim in ea re, in qua aliorum opera amico flagitanti commodè potes satisfacere. Cura igitur, si me amas, vt quàm primùm scripta tua legam. Aueo enim Catholicæ confessioni, idest Stanislai Hosij viri eruditissimi, Episcopique summa pietate, ac prudentia præditi commentarijs aliquid tuarum vigiliarum continuata lectione coniungere. Huius mei desiderij igniculum non mediocriter auxit, perscriptis ad me litteris, Antonius Augustinus Episcopus Allifarum vir iure consultorum

sultorum doctissimus, variaque rerum cognitione nobilis in primis, atque eximia probitate, morumque suauitate præditus, qui Sedis Apostolicæ nomine legatione apud Cæsarem Germanorumque Principum Conuentum honestissimè fungitur. Is enim cum statim te cognitum adamasset, neque fortasse sciret, quæ inter nos iam pridem amoris, voluntatisque coniunctio intercederet, vt est mei amantissimus nihil habuit antiquius, quàm vt de te mihi multa magnificè, summaque cum tua laude prædicaret, veluti gestiens, atque exultans istic in comitatu, & aula Cæsaris nactum se talem virum, cuius consuetudine cum desiderium Vrbis leniret, tum se summum voluptatis fructum capturum esse consideret. Vix enim credi potest quàm tui cupidus, studiosusque illicò euaserit. Quare gratulor vehementer vtrique vestrum mi Cromere, quando cum vtroque benè actum est, vt apud eundem Principem eodem tempore legatione fungeremini, ne quid inter vos ad summam beneuolentiam conciliandam de esse posset, qui animorum, voluntatisque similitudine quadam ita à natura conformati estis, vt ad præclara facinora, & ad summam laudem contenderetis. Vale, & Augustino meo fruere, semperque aliquid meditare, vt patriæ tuæ, id est amplissimo Poloniæ regno opem aliquando feras. Romæ Nonis Maij 1558.

EIDEM.

Eius libellum laudat, diligentiamque Regij Oratoris in procuranda translatione Episcopo Chelmensi testatur.

TRiduo post quam ad te superiores litteras dedi, epistola tua mihi reddita est vna cum libello de cœlibatu, & coniugio Sacerdotum, quem ego auidissimè primis diebus legendum aggressus maiorem eius partem summa cũ voluptate percurri; postea verò necessarijs, publicisque negotijs impeditus adhuc me ad eius lectionem non potui referre, sed spero me propediem non sine honorifica eruditionis tuæ admiratione, dignaque collaudatione reliqua perlecturum: quod quando erit factum, de tota re quid sentiam faciam te per litteras certiorem. Sed heus tu mi Cromere? præter vnum te, neminem putas hominem esse? qui tam religiosè memoriæ lapsum excusas, quã

ceteris idem vſu venire ſæpe non ſoleat, quod tibi homini multis, grauiſſimiſque rebus implicato ſemel accidit. Deſine obſecro ſollicitus eſſe de ea re, quæ tibi cum omnibus hominibus & fuit ſemper, & futura eſt communis; an tibi vni ne contingat quod eſt humanæ conditionis proprium, vt interdum memoria vacillemus, atque labamur, poſtulare fas eſſe cenſes? Non eſt id tuum mi Cromere, qui humanitate, & eruditione multis cũ egregia tua laude præſtas, ea recuſare, quæ velimus, nolimus ex naturæ noſtræ conditione neceſſariò ſubeunda, atque æquo animo ferenda ſunt. Ijs enim commonefimus fragilitatis noſtræ, cuius ego rei ſeria cogitatione, aſſiduaque meditatione ſtatuo nihil eſſe ſalubrius homini, nihil ad animos noſtros ad æterna bona concupiſcenda ſubleuandos accommodatius. Sed hæc tu melius. Nunc velim mecum ingenij, fideique tuæ opes omnes conferas ad ineundam rationem quemadmodum R. D. Ioannis Viſoczski Sereniſſimi Regis veſtri apud Summum Pontificem paulò ante Oratoris, qui nunc Neapoli Regis negotium procurat, diligentiam, induſtriam, fidem, atque prudentiam ſingularem regni veſtri proceribus probemus. Is enim de ea re eo vehementiùs laborat, quod aliquorum litteris certior factus eſt, in nonnullorum ſuſpicionem veniſſe quaſi non diligenter, bonaque fide Chelmenſis Epiſcopi ad Vladiſlauienſem Eccleſiam translationem apud Summum Pontificem, ſacroſanctumq; Senatum procurarit. Ego verò mi Cromere affirmo tibi Oratoris in eo negotio perficiendo diligentiam, aſſiduamque contentionem fuiſſe tantam, vt ſæpe numero vererer, ne qua in culpa Epiſcopum Chelmenſem iam pridem hærere omnes compertiſſimum habebamus, eiuſdem vehementis ſaltem ſuſpicionis affinem ſe Orator oſtenderet, cum pro Epiſcopi dignitate, atque exiſtimatione tuenda nimis amanter ille quidem, ſed tamen acriter, conſtanterque pugnaret, neque ab incæpto deſtitiſſet vnquam, niſi à me, alijſque compluribus Cardinalibus, qui quò tandem euaſura eſſet ea contentio præuidebamus, periculi ſui magnitudinem commonitus demum ſe omnem operam, atque oleum perditurum cognouiſſet. Reliqua verò Sereniſsimi Regis negotia ea fide, ac diligentia geſſit, vt maiore certè non poſſet. Quare cum meo honorifico teſtimonio hominem apud Regem, alioſque complures iam pridem commendarim, vt Oratoris ſingulare ſtudium, atque fides, quò ad eius fieri poteſt, declaretur

magis,

magis, illustreturque peto à te, vt pro tua humanitate des operam, vt huius egregij mei testimonij quamplurimi, ad quos ego nihil scripsi, te locupletissimum testem sint habituri. Quod si feceris, & hominis causam tuam esse putaueris, crede mihi nihil hoc tempore gratiùs, nihil abs te iucundiùs mihi accidere poterit. Vale. Roma pridie Nonas Iunii 1558.

IOANNI VISOCZSKI.

Mittit exemplum Epistolæ in eius causa scriptæ, commendatque ei rationes suæ Ecclesiæ.

MItto ad te exemplum earum litterarum, quas tua causa ad Martinum Cromerum Regis vestri Serenissimi apud Cæsarem Legatum scripsi. Primùm vt videres quanti apud me sit ponderis postulatio tua, vbi de dignitate tua seriò agitur; deinde etiam vt Ecclesiæ meæ rationes tibi vicissim commendarem, cuius decus, atque existimationem cupio tibi ita curæ esse, vt multum fidei tuæ, ac beneuolentiæ erga me debere se quandoque fateri possit. Quod & Regis Serenissimi, & tuo etiam commodo vt fiat volo, atque opto. Vale. Roma Tertio Idus Iunij 1558.

REGI POLONIAE.

Episcopum Satrianensem Pontificis Nuntium commendat.

BInas Maiestatis Tuæ litteras pridie Nonas Iunij accepi, ad quas nunc breuiter respondebo. Cum enim grauissimorũ negotiorum causa Summus Pontifex ad Maiestatem Tuam, totiusque regni Episcopos hunc Nuntium mittat; nihil mihi de ijs rebus scribendum putaui, de quibus cum Maiestate Tua Summi Pontificis nomine Nuntius ipse coram multis acturus proficiscitur. Itaque quod ad Canonicatum attinet; quem Stiborius Iosepho Archidiacono Vilnensi resignauit, cum iam omnia felicissimè cesserint, vt Gregorius Ticinius mihi retulit, habet Maiestas Tua quod maximè cupiebat. Reliqua ea ipsa sunt, quorum causa R. Episcopus Satrianensis Nuntius proficiscitur, quem virum summa, atque antiqua probitate, parique pruden-

tia, & eruditione prædirum ita Maiestati Tuæ commendatum esse cupio, vt egregiæ illius virtutes, studiumque Summi Pontificis adiuuandæ, instaurandæque in regno isto florentissimo Catholicæ religionis postulare meritò videntur. Ex ipso Nuntio Maiestas Tua cognoscet omnia, atque vti spero, & opto, prudentissimè de ijs rebus statuet, quæ ad tranquillitatem regni sui tuendam magnopere pertinent. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Roma pridie Idus Augusti 1558.

MARTINO CROMERO.

Eius argumenta in Orechouium edita in lucem prædicat, commendatque ei Nuntium.

NOn ante commentationem tuam absolui, quàm & binæ tuæ litteræ mihi sunt redditæ, & R. Episcopus Varmiensis Vrbem ingressus est. Ea autem omnia in ipsum Calendarum Septembris diem inciderunt. Sed de Hosio nostro aliàs pluribus; nunc autem quod attinet ad comentatiunculam tuam, quod me facturum receperam, bona fide præstabo. Perlegi diligentissimè omnia, teque in eo argumento pertractando cum verborum elegantia, tum rerum, sententiarumque grauitate ita versatum esse vidi, vt (nisi quis impudentissimus esse planè velit) neminem putem inueniri tam improbum, qui post tot, tamque valida argumenta, tam veras, solidasque rationes, tot doctissimorum, sanctissimorumque virorum testimonia, tot consilia, decreta, sanctionesque Summorum Pontificum, quibus Orechouij causam confutasti, rursus contendere in re tam clara licere sibi putet. Fecisti autem prudentissimè, vt tota re altiùs repetita quæ recentis Ecclesiæ consuetudo, quæ priscorum Patrum sententia tum apud nos, tum verò etiam apud Orientales fuerit, verè, distinctèque declarares, qua in parte & eruditionem ego tuam, & ordinis, eloquentiæque facultatem vehementer admiratus sum. Nihil dico de tua erga hominem penè perditum, & desperatæ planè salutis beneuolentiæ significatione, qua ita te inflammatum fuisse ostendis, vt si fieri posset, hominem in tuam sententiam adducturum fuisse te facilè mihi persuadeam. Sed extabit ad posteros quoque amoris tui erga illum immortale testimonium cum summa tum pietatis, tum eruditio-

nis tuæ collaudatione. Habes igitur quid de libello tuo sentiam, habet Orechouius, si sanus esse velit, qua ratione vitio suo medeatur. Habeo verò ipse quoque cur te in dies magis, magisque diligam, plurisque meritò faciam. Sed hæc hactenus. Canisium, qui in comitatu Nuntij Apostolici ad vos profectus est, propediem, vt spero, videbis, atque ab ipso Nuntio, cui ad te litteras perferendas iam dederam, quemque tibi magnopere commendaram, omnia cognosces. Vale. Roma quarto Idus Septembris 1558.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Nuntij apud Pontificem diligentiam laudat. Admonet eum de profectione Cardinalis Pisani Legati ad Poloniæ Comitia, & de Pontificis aduersa valetudine.

REdeunte ad vos R. Francisco Crassinio, æquum esse duxi, vt aliquid ad te litterarum darem, cuius præcipuo studio is ad Summum Pontificem Nuntius missus fuerat. Quare primùm sic habeto, Crassinium summa diligentia, incredibilique cura adhibita ita suæ legationis munus obijsse, vt persuaserit Summo Pontifici ad regni vestri salutem procurandam aliquo ex Reuerendissimorum Cardinaliũ Collegio Legato opus esse, Isque vt maturè designaretur plurimum referre. Perfecit igitur assiduo studio vt Reuerendissimus Cardinalis Pisanus ad vos legaretur, atque vt ex ea legatione regno vestro maius pararetur commodum, curauit etiam prudentissimè, vt (quoniam ad proxima comitia præsto fortasse Legatus esse nõ posset, propterea quòd multa ei sunt præstanda cum Cæsare) misso ad Regem certo tabellario, petierit per litteras Summus Pontifex, vt in aduentum Legati differrentur comitia, quò eo præsente religionis negotia curari meliùs possent. Quamquam autem Legato designato, tabellarioque cum litteris ad Regem de ea re misso, veluti confecto negotio profectionem Crassinius adornat; tamen iussus à Summo Pontifice, vt Legato suo comes iret, vsque in hanc diem detentus est. Nunc vero posteaquam ad vos Nuntius profectus est Episcopus Satrianus, Summusque Pontifex aduersa valetudine tentari cæpit, neque vlla spes sit quidquam perfici posse morbo durante, qui diuturnior fortasse erit, quòd non

non ſolent in ſenibus ſtatim cum ſanitate redire vires, auctor Craſſinio fui, vt poſt longam moram in Vrbe ad vos reuerteretur, daretque operam, vt aduenienti Legato in ipſo limine regni obuiam procederet, ipſique aſſiduus comes fieret; propterea, quòd ita Summus Pontifex mandauit. Habes itaque paucis, quid Craſſinij diligentia perfectum ſit, quæque ei cauſa fuerit tandiu apud nos deſidendi. Quæ omnia idcirco ad te ſcripſi, primùm vt Craſſinij virtutem, atque prudentiam honeſtiſſimo teſtimonio proſequerer; deinde etiam, vt me de ea re, vt ex ſententia tua perficeretur, magnopere laboraſſe cognoſceres. Vale, & omnia tua negotia mihi ſummæ curæ fore confidito. Romæ Idib. Septembris 1558.

REGI POLONIAE.

Certiorem eum reddit de confecto negotio in Coadiutoria Archiepiſcopatus Gneſnenſis.

QVum nuper Dei benignitate, vt ego quidem ſentio, de Gneſnenſi Coadiutoria negotium ex ſententia Maieſtatis Tuæ confecerimus, exiſtimaui mei officij munus eſſe, vt de ea re per meas litteras certior Maieſtas Tua fieret. Perfectum igitur negotium ita eſt, vt multum Maieſtatis Tuæ voluntati, & teſtimonio à Summo Pontifice tributum ſit; magnique ponderis teſtimonium quoque Varmienſis Epiſcopi, quod commodiſſimè, & cum ſumma Vicecancellarij laude acceſſit, apud omnes meritò fuerit. Quare & litteræ breuis formæ, quas vocant, impetratæ ſunt, & vti ſpero, cum his meis ad Maieſtatem Tuam perferentur, in quarum expeditione cum aſſiduo meo labore, & ſtudio, tum diligentia, curaque Stanislai Sedinij perfectum eſt, vt quæcunque à Maieſtate Tua, ipſoque Vicecancellario poſtulata ſunt, aliquando impetraremus. Quæ quoniam pluribus verbis à multis perſcribentur, nolui committere, vt in ijs enarrandis, vel moleſtiam prolixa mea oratione Maieſtati Tuæ exhiberem, vel aliquibus ſuſpicionem darem, voluiſſe me ea prædicatione operam meam, atque officium laudare, cum nihil mihi gratius accidere poſſit, quàm vt occaſio detur Maieſtatis Tuæ deſiderio ſummis quibuſque obſequijs ſatisfaciendi. Valeat Maieſtas Tua feliciſſimè, ſibique perſuadeat omnia ſua negotia

diligen-

diligentissimè à me curari. Romæ Sexto Calendas Decembris 1558.

IOANNI VICECANCELLARIO R. P.

Obtentam Coadiutoriam Archiepiscopatus Gnesuensis manifestat.

ET si puto te ante has meas litteras audiuisse Coadiutorem te Archiepiscopi Gnesnensis factum, tamen quòd in eo negotio perficiendo Varmiensis Episcopi testimonium plurimum valuit, nolui committere, vt singulare eruditissimi, grauissimique viri erga te studium mihi vni maximè cognitum, ac perfectum aliorum potius, quàm meis litteris cognosceres. Cum enim semper magnopere laborassem, vt de coadiutoria quæcunque postularas, aliquando consequereris, quod non mediocre præsidium in tua virtute, & auctoritate Catholicæ religioni collocatum esse intelligebam, Episcopi Varmiensis aduentu mirificè sum recreatus: eius enim opera speraui propediem fore, vt ex sententia omnia consuerentur, quæ spes non modò me nihil fefellit, verùm etiam cumulatissimè cum meo, tum omnium desiderio respondit. Nam & hominis eruditissimi, & de Catholica religione optimè meriti graue, perhonorificumque testimonium ita ad illustrandam probitatem, atque prudentiam tuam accessit, vt nihil tibi pulcherius, nihil vt opinor honestius accidere posset. Quare habes quæ optasti ita Dei Prouidentia perfecta, vt maiore cum tua laude aliter perfici non potuisse iudicem. Quæ mea fuerit opera, quod assiduum in eo conficiendo studium, atque contentio, malo te ex Polonorum litteris, qui multi hìc sunt, quàm ex me cognoscere. Quanquam ex Fratre tuo coram multa discere poteris, quæ hinc ad te fortasse non perscribentur. Illud autem ex me scias velim Stanislai Sedinij hominis tui studiosissimi diligentiam nulla vnquam in re cessasse, quod mihi certè gratissimum fuit. Quare commendo tibi hominem tui maximè cupidum, & studiosum, quique tua causa libenter omnia & vult, & facit. Reliquum est, vt Varmiensis Episcopi erga te studium grata aliqua animi tui significatione plurimi à te fieri declares. Id enim humanitatis, officijque tui permagni interesse, vt facias, pro tua prudentia puto te facilè considerare. Quod attinet ad litterarum breui forma expeditionem,

nem, itemque ad cetera multa, quæ necessaria erant, hæc ad te longius Stanislaus perscribet. Tu quam hactenus causam veteris, Catholicæque religionis retinendæ pro tua pietate spontè sustinuisti, eam nunc pro necessario officij tui munere, vt summa diligentia, cunctis opibus, atque optima fide tuearis, ac vindices, te etiam, atque etiam rogo. Vale, & meo nomine Serenissimo Regi cum plurimam salutem, tum fausta omnia, ac felicissima optato. Roma Sexto Calen. Decemb. 1558.

REGI PORTVGALLIAE.

Habitum Crucis Christi Bernardino Nauio conferendum postulat.

QVamquam summo semper studio, diligentiaque curaui, vt potentissimis, pijssimisque regibus, in primis Maiestati Tuæ quacunque possem ratione seruire; tamen vereor ne nondum satis illustria meæ erga Maiestatem Tuam obseruātiæ officia extiterint; cum nulla adhuc, vel rerum, vel temporum opportunitate adiutus egregiam potius animi mei voluntatem, quàm aliquod præclarum facinus Maiestatis Tuæ causa præstare potuerim; quæ res, & si me timidiorem ad scribendum facit; incredibilis tamen Maiestatis Tuæ benignitas, humanitasque magnam mihi spem afferunt precibus meis apud eamdem ita locum fore, vt quod à singulari eius liberalitate postulauero, id facilè impetrem. *Est in meis intimis cubicularijs Bernardinus Nauius Mediolanensis* cum honestissimo, nobilique genere natus, tum fortunæ bonis, opibusque præditus, atque instructus. Is & ad familiæ suæ decus, atque ornamentum, & ad dignitatem suam, pietatemque illustrandam permagni interesse arbitratur, si me intercessore habitum Crucis Christi obtinere possit. Quare à me iam pridem magnopere contendit, vt, si mihi grata fuerunt ipsius multorum annorum seruitia (quæ certè mihi gratissima exstiterunt ob egregiam hominis probitatem, ac fidem) enitar, atq; laborem, vt eius voti tandem aliquando compos fiat. Quare, & si nihil petere à Maiestate Tua cupio, nisi quod illius commodo, libentique voluntate fieri potest: cogor tamen summis precibus orare, obsecrareque Maiestatem Tuam, vt existimet me hoc beneficium non modo mea causa petere; sed etiam eo nomine tātùm Maiestati Tuæ debiturum, vt ad summum obligationis cumulum

mulum nihil poſſit accedere. Ego verò cum mea ſponte, tum hoc tanto benefitio inuitatus omnem operam, diligentiamque meã ita ad Maieſtatis Tuæ res curandas afferam, vt omnes intelligãt, & obſeruantiæ meæ vim, & meritorum Maieſtatis Tuæ in me magnitudinem ſingularem eſſe. Valeat Maieſtas Tua feliciſſimè Roma pridie Idus Decembris 1558.

ANDREAE PATRITIO.

Teſtatur commendationem pro ipſo exhibitam Epiſcopo Cracouienſi.

CVm à me magnopere poſtulaſſes, vt Cracouienſi Epiſcopo te diligenter commendarem; nolui committere, vt in re tam honeſta deſiderares humanitatem meam, eamque voluntatem, qua libentiſſimè ſemper Polonos omnes complexus, proſecutuſque ſum. Quare ſcripſi ad illum te mihi eſſe cariſſimum, rogauique hominem, vt non pateretur eum, qui in mea commendatione magnum ſibi adiumentum collocatum eſſe ſperaſſet, fruſtra ſe ad meam beneuolentiam, fidemque contuliſſe. Quamobrem ſpero commendationem meam non mediocri tibi vſui futuram. Tu verò da operam, vt Epiſcopo tuo pietatem, & probitatem tuam, atque omne ſtudium ita probes, vt te ille propediẽ meritò diligat, atque amplectatur. Quod ſi feceris ad meam in te voluntatem magnus accedet cumulus amoris erga te mei. Vale Roma ſexto Idus Aprilis 1559.

EPISCOPO CRACOVIENSI.

Andream Patritium commendat.

ANdreas Patricius, qui nuper Patauij iuris ſcientiam adeptus ad te reuertitur, magno vſui ſperauit ſibi fore, ſi beneuolentiam ſe meam litteris conſignatam tibi probare poſſet. Quare cum ex multorum ſermone, teſtimonioque accepiſsẽ illum ſua omnia ſtudia ad virtutem, parandaſque eas diſciplinas, quibus humana ſocietas maximè continetur, iam pridem cum ſumma laude contuliſſe; pro egregia mea in probos, atque eruditos viros, præſertim verò Polonos voluntate, facere non potui quin

tibi hominem tui cupidum, meique studiosum commendarem. Feceris igitur mihi gratissimum, si Patricium ita in tuam fidem, clientelamque receperis, vt is intelligat meam commendationē non vulgarem fuisse, atque apud te pro nostra beneuolentia magnum pondus habuisse. Vale Roma Sexto Idus Aprilis 1559.

REGI POLONIAE.

Seriò eum admonet de suspicionibus allatis contra ipsum in tuendis hæreticorum partibus, quod multis rationibus comprobat. Gratulatur illi pro pace inter Reges inita.

SI fuit tempus vllum, si quæ causa, quæ me de salute, de dignitate, de commodis denique Maiestatis Tuæ sollicitum ad scribendum impulit; ea nunc certè est, quum crebris in dies magis rumoribus Maiestatem Tuam in eam suspicionem venisse video Summo Pontifici, Amplissimoque Senatui, quasi ea vel cum hæreticis apertè sentiat, vel certè ficto quodam Catholicæ pietatis studio illorum partes occultè tueri, atque defendere nitatur. Quæ ego crimina maximè aliena, & ante hac semper à Maiestate Tua fuisse existimaui, & nunc quoque esse existimo, optoque plurimum ea, me animi mei opinio ne qua ex parte fallat. Quid enim mihi tristius accidere posset, quàm in quo Rege colendo, obseruando, suspiciendo, omnem operam, studium, diligentiam, omnes denique cogitationes meas positas esse tot annos volui; ei nunc meritò id crimen obijci, in quo si hæreat, nulla cum eo mihi liceat animi necessitudine, nullis officijs, nullis obsequijs omnino iungi. Sed sperare mihi libet de Maiestate Tua meliora; quandoquidem eximia eius lenitas, & clementia, qua adhuc abusi hæretici homines in omnem audaciam, nefasq; prorupere, in eius criminis suspicionem Maiestatem Tuam vocare videtur. Primùm enim (ne quid dissimulem) Vilnensis Palatini intima cum eadem consuetudo, summa auctoritas, & gratia faciunt, vt cum illo idem sentire Maiestas Tua videatur. Eius autem viri ingenium, mores, & studia qualia iam diu fuerint, & nunc maximè sint cum multorum litteris, tum Apostolici Legati, qui superioribus annis corruptissimi hominis contumelias, iniuriasque pertulit, testimonio plerique omnes didicimus. Chelmensis

mensis deinde Episcopi in occupanda palam Ecclesiæ Vladislauiensis possessione insignis, ne dicam furiosa temeritas ingentem suspicionum cumulum addidit, dum omnes meritò credunt nihil illum tale vnquam ausum, nisi Maiestatis Tuæ voluntate, præsidijsque fretum, qui etiam vt Maiestatem Tuam in certiorem culpæ suæ societatem adduceret, pronunciari per præconem publicè iussit solemni more in quatuor fori angulis se Vladislauiensem Episcopum auctoritate Maiestatis Tuæ factum, eiusque decreto, & iussu in illius Ecclesiæ possessionem ingressum. Postremo Traiani cuiusdam Itali hominis ab eadem insigni liberalitate, multisque benefitijs ornati audax in omne nefarium scelus, intolerandaque impietas effecit, vt Snmmus ipse Pontifex, qui antehac de Maiestatis Tuæ voluntate, pietate, ac religione non malè senserat, nunc tot vndique suspicionibus allatis, tantaque rei indignitate commotus Legatum suum reuocare statueret, quod profectò iam perfecisset, nisi me maximè deprecante Maiestatisque Tuæ, ac totius Regni causa intercedente sententiam mutasset, *idest in illud tempus distulisset, quum nihil ad huius mali curationem profuissent* suprema illa humanitatis, ac *paternæ caritatis officia*, quibus ille Maiestatem Tuam hoc tempore & monitam de via veritatis, & ab omni errore reuocatam esse cupit, eaque de causa diligentissimè nunc ad eamdem scripsit. Quanquam autem existimo fieri posse, vt lenitate, ac nimia facilitate Maiestatis Tuæ hæreticorum licentia in ista prouincia quotidie magis crescat: non tamen adduci possum, vt credam eamdem hæreseos turpissima labe imbutam cum hæreticis palam, vel occultè sentire; tamet si negare non possum tantam Maiestatis Tuæ in re impia vindicanda lentitudinem non mediocriter accusari ab ijs, qui id in primis curare Regem oportere statuunt, vt religio, Deique cultus integer, purusque seruetur, neue liceat impunè cuiquam ab Ecclesiæ Catholicæ ritibus ab ipsis Apostolis per maiorum, patrũque nostrorum manus nobis traditis vel latum (quod aiunt) vnguem discedere. A Maiestate autem Tua id vnum præcipuè desiderare bonos omnes audio, ne tam lenis, patiens, lentaque sit in Christi Domini nostri causa ab impiorum audacia vindicanda, neue eos sibi aliqua familiaritate, aut beneuolentia coniunctos velit, qui nouarum rerum studiosi nihil non audent, vt scelestissimorum hominum, atque ad omne facinus, seditionem-

 que

que paratissimorum clientelas sibi concilient, quæ res etiam regno isti florentissimo exitium aliquando afferre potest. Neque verò si non facilè possit animaduerti in paucos Regni istius proceres; idcirco tamen conniuendum circa omnes esse concedunt, committendumque vt non modò infimæ populi fæci, verùm etiam eiectis quibusque & exteris liceat impunè in isto regno Catholicam religionem euertere, Ecclesias bonis, fortunis, diuorumq; simulachris spoliare, Sacerdotes Dei ministros expellere, Summi Pontificis, atque huius Sacrosanctæ, Catholicæque Sedis auctoritatem palam, contumeliosèque contemnere. Quid enim tandem aiunt reliquum erit quod non audeat impunitalicētia, si cōniuente Rege, vilissimo turpissimoq; cuique licet impunè hæc omnia facere? Profectò de Maiestatis Tuæ nimia licentia iure queratur necesse est, qui tantorum malorum causam non videt quonam aliò referre possit. Ea enim si quis erga bonos, innocentesque vtatur, laudanda meritò, clementiaque appellanda est; Contra verò si facinorosorum hominum studijs, cupiditatibusque obsequatur, plurimum vituperanda, & detestanda, cum eius culpa fiat, vt bona omnia in omnibus regnis, atque imperijs scelestorum vitijs, improbitatibusque labefactentur, in eorumque locum mala omnia sustituantur, quorum aucta deinceps licentia maxima imperia miserè perdat. Quare ne longius his malis enumerandis progrediar, Maiestatem Tuam etiam, atque etiam vehementer rogo, vt det operam, ne in tanta virorum benè de Catholica religione sentientium copia, qui doctrina, pietate, & morum honestate præditi in isto regno sunt, ij maximè ad Ecclesiasticas dignitates promouendi, vel transferendi ab ipsa nominentur, qui aliqua hæreseos suspicione laborant; ne in salute, dignitate, ac commodis suis tuendis licentior, patientiorque esse velit, quàm & religionis causa, atque omne fas æquumque postulat, præsertim vbi Summi Pontificis appareat auctoritas vel monentis, vel hortantis, vt huius Sanctæ Sedis decreta Maiestatis Tuæ iussu summa cum religione obseruentur, Legatique studia, ac conatus adiuuentur, defendanturque contra eos, qui intoleranda freti audacia tamquam fures aliena inuadentes non intrant per ostiū in ouile ouium, quique, quod peius est, ea se facere Maiestate Tua mandante, atque adiuuante publicè pronunciant, palamq; profitentur. Ego quòd Maiestatis Tuæ causa magnopere semper

omnia volui, quòdque istius regni negotia me hìc patrono, & curantur, & perficiuntur, nihil minus cupio quàm delatas suspiciones veras esse, cum præsertim intelligam eas in Barensi negotio Maiestati Tuæ plurimum obfuturas. Nam, vt eam optimè nosse arbitror, Neapolitani Regni iura omnia accepta ferũt Reges Apostolicæ Sedi eamque dominam meritò agnoscunt. Quare videat etiam, atque etiam Maiestas Tua, ne dum sua lenitate patitur Christi causam, Catholicam religionem, Ecclesias, earumque ministros omni contumelia, iniuriaque affici, in propriæ salutis, dignitatis, commodorumque suorum discrimen veniat. Ego quod potui rogando præstiti. Deus ipse, in cuius manu corda Regum posita sunt, quique nuper Potentissimos Reges sanctissimo pacis fœdere, arctissimæque affinitatis, ac beneuolentiæ deuinxit, quod felix, faustumq; Maiestati Tuæ, regnoque isti florentissimo, atque Ecclesiæ suæ Catholicæ sit; pro sua incredibili bonitate faxit. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Romæ Idib. Maij 1559.

ARCHIEPISCOPO ELECTO GNESNENSI.

Certiorem eum facit de litteris Apostolicis iam expeditis, & pallio. Officij Pastoralis partes demonstrat. Hortatur vt Regis lenitatem reprehendat; qui in Vilnensem Palatinum non animaduertit. Denique gratias agit pro vinarijs vasculis.

Nisi me summus meus erga te, vniuersamque nationem Polonicam amor sollicitum vehementer haberet, quam nam in partem studia vestra, idest Serenissimi Regis, totiusque Senatorij ordinis inclinarent, nihil erat quamobrem quicquam hoc tempore scribi à me tibi oportere existimarem. Nam de negotijs tuis ex sententia confectis, de litteris Apostolicis expeditis, pallioque de more misso certò scio te ex R. Luca Podoski, qui omnia diligentissimè curauit, ita esse omnia cogniturum, vt nullius in ea re diligentiam desiderare iure posis. De Summi verò Pontificis erga te voluntate, deque egregia expectatione virtutis, & pietatis tuæ spero audies multa, quæ te magnopere moneãt officij tui; quamquam quid abs te munus tibi creditum postulet, non dubito quin multo ante diligenti cogitatione à te

proui-

prouisum sit, atque ea animi firmitudine susceptum, vt statueres omnino tibi necesse esse in eo bona fide obeundo corruptissimorum hominum studia, conatusque perfringere, atque ea via cum multorum salute egregiam tibi laudem parare. Ea enim in tempora muneris tui curatio incurrit, vt (quemadmodum puto te pro tua prudentia facilè existimare) nisi potentissimorum Regũ exempla secutus, qui abiectis armis, depositisque vetustis inimicitiis, odiisque, pacis conditiones amplexi sunt, vt Catholicã religionem ab hæreticorum oppugnatione vindicarent, omnia humana fortiter contempseris, vt fidem tuam, atque virtutem vni potentissimo Deo probes; non videam quemadmodum pulcherrimæ de te hominum expectationi, necessarioque officio muneris tui satis à te fieri possit. Quare pro summa mea erga te beneuolentia hortandum te duxi, vt quoniam inter regni proceres primùm post Serenissimum Regẽ locum in Senatu obtines, permagnique interest, in quam, te quasi præeunte, sententiam ceteri Senatores adducantur, omni studio, curaque contendas, vt primum aliorum Regum, atque adeo ipsius Cæsaris exemplo Regis animum, procerumque omnium ad Catholicæ religionis causam suscipiendam graui oratione traducas; deinde hæreticorum insanias, ineptiasque eò iam redactas esse ostendas, vt nisi in priuatorum commodorum rationes, idest auarissimorum, rapacissimorumque hominum, nouarumque rerum studiosissimorum factiones obsisterent; iam pridem ab ipsis penè auctoribus, certè à maiore factorum parte, palam reijcerentur, desiderenturque. Nihil enim magis ad coarguendas, cõuincendasque illorum vanitates, atque mendacia pro Catholica veritate facit, quàm eorum semper nutantes, fluctuantesque sententias penè in horas singulas non tam mutatas, quàm confusas, & perturbatas videre, vt qui heri idem sentire, interque se conuenire maximè videbantur, hodie & aduersa omnino ipsi sentiant, & secum maximè pugnẽt; sed hæc tibi notiora esse certò scio, quàm, vt à me pluribus commemoranda sint. Illud autem in primis mihi postulandum à te est, vt quando Serenissimi Regis lenitate, ne dicam lentitudine aliqui abutantur, inter quos Vilnensis Palatinus Princeps est, nulli labori, aut operæ parcas, quin quacunque occasione oblata Regem moneas, ne se, regnumque totum velit vnius hominis nimium familiari consuetudine retenta perditũ ire. Quin potius Cæsaris soceri sui excẽplum imitatus (quando Pa-

latini infanda, atque execranda impietatis scelera manifesta omnibus planè sunt) si quod primum viri fortis, Regisque Catholici officium est præstare veretur in homine seuerissimè puniendo, secundo certè consilio vtatur, vt ipsum Palatinum non modò secum aliqua consuetudine coniunctum esse non patiatur; sed etiam regni totius finibus pellat vna cum ijs, quos ille impietatis suæ quasi ministros, satellitesque ad omnia publicè, cótra Catholicam religionem audenda prouexit. Id vnum exemplum si Serenissimus Rex reliquis aliqua ex parte corruptis statuet, non dubito, quin propediem summa bonorum conspiratione facta, te auctore, in pristinum statum religionis dignitas reuocetur. Sed animaduertendum maximè, curandumque magnopere tibi erit, vt sacrilegus ille sacerdos, quo magistro ad corrumpendum populum Vilnensis Palatinus adhuc vsus esse dicitur, Serenissimi Regis auctoritate, atque edicto in Vilnensis Episcopi potestatem veniat, vt aliquando tandem impietatis suæ nefandissimæ pœnas ferat. Quod si te rogante, ac suadente Serenissimus Rex fecerit, sperare poterit quæcunque hìc suo nomine postulabit Orator, facilè se à Summo Pontifice impetraturum: sin minus, nihil erit quod miretur, si difficilem Pontificem experiatur, cui à se ea negari intelligit, quæ nullo postulante, Catholici cuiusque Regis officium, munusque pro suo iure postulat. Sed hæc fortasse pluribus præsertim ad te, quem tua sponte hæc ipsa quotidie meditantem, id vnum curare confido, vt Catholicæ religionis dignitas, huiusque Sacrosanctæ Sedis auctoritas ab omni hæreticorum iniuria, ludibrioque vindicetur. De vinarijs vasculis, quæ mihi tuo nomine R. Lucas donauit, ago tibi eas gratias, quas muneris tui magnitudo, pretiumque à me iure optimo flagitant, polliceorque me, quum eorum erit vsus, ex illis cum gratissima amoris erga me tui memoria sauissimè bibiturum. Vale, & quantum potes labantem in regno isto religionem sustineto. Romæ pridie Calen. Augusti 1559.

MARTINO CROMERO.

Compositis iam inter Christianos Principes dissidijs, sperat Religionis Catholicæ meliorem causam.

NOn dubitaui vnquam, mi Cromere, quin quemadmodum me vehementer delectarunt semper suauissimæ litteræ tuæ,

tuæ, ita tibi vicissim epistolæ meæ, quas tamen non adeo crebras mitto, gratissimæ forent; atque ea interdum de causa, si quid de te mihi affertur à Ticinio, exerit se illico desiderium scribendi, quod tamen succedentium curarum, negotiorumque mole non modò se remittit, & frangitur; verùm etiam obruitur multitudine, ita vt inuitus sæpe taceam, præsertim vbi nihil habeo scriptione dignum ad te hominē semper grauioribus rebus, studijsque occupatum. Quare excusationem tuam libenter accipio, vt te vicissim meam accipere par est. Quæ ad Episcopum Varmiensem scribis, ea scito omnia per ipsum ad me deferri, quod certè mihi gratissimum semper fuit, futurumque est. Religionis Catholicæ causam spero in dies meliorem apud Christianos Principes fore; qui tandem aliquando compositis seditionibus in vnam eam rem, vti spero, sedulò incumbent. Nam de Cæsaris optima voluntate, eximiaque pietate tantum mihi sum pollicitus, vt penè videre iam nunc videar eius præsidijs, opibusque contritam hæreticorum vim, ipsosque supplices manus tendere, orareque, vt se intra ouium Christi septa Pijssimus Pastor in fidei, salutisque communionem admittat. Ad eam autem rem adiuuandam vehementer gaudeo abs te quaslibet occasiones prudenter arripi, quò acrioribus stimulis Serenissimi Regis tui animum incites. Quod ego studium, & pietate tua dignissimum, & saluti regni vestri maximè necessarium ita probo, laudoque, vt propterea te in dies magis diligam, & tua causa libentiùs omnia velim. Quare perge fortiter, vt cæpisti, & quum est otium, vel ad me, vel ad Varmiensem ea scribito, quæ nos scire Christianæ Reipublicæ interesse aliqua ex parte existimare poteris. Vale, & te mihi carissimum esse tibi persuade. Roma Idibus Sextilis 1559.

REGI POLONIAE.

Pauli IV. aduersa valetudo retardauit Regij Oratoris aditum, eiusque secutam mortem significat.

ET si non dubito quin rei ipsius exitus Maiestati Tuæ planè persuaserit nihil fuisse vnquam de Pauli Quarti Pontificis morbo tam grauiter, periculosèque auditum, quin idem esset multò grauius, & periculosius; putaui tamen me humanè, amanterque

terque facturum, si de ipsa re Maiestatem Tuam per litteras meas facerem certiorem. Cum enim hìc diutius Orator eius expectauit, quàm & superiorum Pontificum in admittendis Regum, Principumque Legatis consuetudo penè præscriberet, & Maiestatis Tuæ causa, desideriumque postularet, veritus sum vehementer, ne eam tarditatem Oratori suo eadem adscriberet, putaretque illius culpa, aut negligentia fieri, quod sola Pontificis aduersa valetudine, qua vehementer ille, miserèque iam diù conficiebatur, factum omnino est. Quare sciat Maiestas Tua nihil ab Oratore diligentiæ, nihil operæ, nihil laboris prætermissum, quod esse alicui adiumento ipsi posset ad Pontificem adeundum, vt ei mandata Maiestatis Tuæ, petitionesque exponeret. Verùm id vnum impedimento fuit, quod reliquos quoque Principum Legatos, atque ipsum Varmiensem Episcopum à Pontificis aditu prohibuit morbus scilicet grauis ille, & exitiosus, quo tandem confectus perijt. Ego quod potui in ea causa adiuuanda pro summa mea erga Maiestatem Tuam obseruantia sedulò præstiti. Nunc reliquum est, vt futurum Pontificem expectemus, Deũq; interim supplices assiduè precemur omnes, vt pro summa ipsius bonitate Pastorem Ecclesiæ suæ eum præficiat, quem horum tẽporum rationes, Christianæque Reipublicæ status maximè postulant. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Roma Quarto Nonas Septembris 1559.

ABBATI REFORMATORI, ET CAPITVLO Cisterciensis Congregationis Obseruantiæ Hispaniarum.

Iacobi Procuratoris in Curia dexteritatem, ac diligentiam laudat.

CVm ad vos R. Iacobus Leonis, qui hìc iam multos annos Congregationis vestræ negotia procurauit in præsentia proficisceretur, nolui committere, vt sine meis litteris rediret, non ea tantum de causa, quia mihi summa beneuolentiæ, consuetudinisque necessitudine coniunctus est propter egregiam ipsius probitatem, atque modestiam; sed etiam quia mihi visus est singularem fidem, ac diligentiam in sodalitatis vestræ commodis curandis, dignitateque tuenda libenter, atque assiduè cum summa erga vos obseruantiæ significatione præstare. Quare nõ putaui me humani, amicique hominis officio functurum, nisi te-

ſtimonio meo Iacobi virtutem per litteras vobis commẽdarem. Cum enim ille me tanquam Congregationis veſtræ patronum, ac defenſorem ita ſemper coluerit, atque obſeruauerit, vt nihil omnino ſine meo conſilio aggrederetur, nihil ſine mea opera, præſidioque perficeret; nemo erat præter vnum me, cui hominis virtus, & diligentia æquè cognita, & ſpectata eſſet. Quam ob rem ſic habetote neque prudentiùs, neque maiore cum dexteritate negotia veſtra procurari potuiſſe, quàm à Iacobo curata, atque perfecta ſunt. Si quid autem reliquum eſt, quod ex veſtra ſententia non confecerit, in eo velim vos mihi credere, nullam hominis diligentiam, ſtudium, laboremque defuiſſe; ſed rem ipſam plurimis, iiſque non leuibus; ſed grauiſſimis difficultatibus impeditam obſtitiſſe. Præſtitit ille autem bona fide, aſſiduoque labore quod potuit, cuius vos voluntatis, atque induſtriæ eam rationem habere debetis, vt in ornando vno Iacobo, qui veſtræ dignitatis, & commodorum augendorum cauſa omnia voluit, & fecit honeſtiſſimè, ſodalitatis veſtræ poſteris pulcherrimum exemplum ſtatuatis, qua ratione quiſque niti debeat, quaque via conſequi facilè poſſit, vt inter vos honore, aut auctoritate aliqua dignus meritò cenſeatur. Cætera ex ipſo Iacobo pluribus verbis cognoſcetis. Reliquum eſt, vt me veſtris precibus Deo frequenter commendetis, atque in omnibus rebus me veſtri amantiſſimum, optimum etiam vobis, ordinique veſtro patronum fore confidatis. Valete. Romæ Quarto Calen. Februarij 1560.

MARTINO CROMERO.

Eius librum pro Catholica Religione compoſitum laudat.

NIſi me litteræ tuæ cum libris de falſa, & vera religione grauiter podagra laborantem offendiſſent, iam pridem ad te aliquid ſcripſiſſem. Verùm cum à me quid de libris ſentiam poſtules, ne te celem ſic habeto, me inter doloris remiſſiones aliquam eorum partem auidè perlegiſſe, mirificèque delectatum conſilio tuo, eaque potiſſimum ratione ſcribendi; nam præter quam quòd admirabilis ingenij, atque erudirionis tuæ præclariſſima in eis documenta dediſti, ita omnia curaſti, ornaſti, ac mirifica quadam orationis dulcedine, & lepore condiuiſti,

ſti, vt facilè quiduis perſuadeas, minimoque negotio refellas hæreticorum inſanias, eoſque ita omnibus integumentis euolutos, nudatoſque conſpiciēdos præbeas, vt quiuis ſtatim agnoſcat eorum turpitudinem, atque auerſetur. Quare perge mi Cromere, atque alteros fratres, quos etiam num parturis, maturè vt parias etiam atque etiam diligenter curato. Magno enim me munere auctum iure putabo, cum reliquos libros legero, nam ſpero fore eos patris, fratrumque perſimillimos, atq; ideo ſummum adiumentum Reipublicæ Chriſtianæ allaturos. Ego te cùm multis nominibus mirificè ſemper dilexi, tum quòd omnia tua ſtudia ad Catholicæ religionis cauſam tuendam, ſubleuandam, editiſque libris in priſtinum ſtatum reuocandam, atque reſtituendam contuliſti; ita hoc tempore amandum, complectendumque mihi eſſe duco, vt quem diligere magis debeā, quàm te, vel neminem, vel pauciſſimos certè me habere profitear. Vale, & me ſcito æquo animo quæcunque accidant, ferre. Roma xiij. Calen. Martij 1560.

EIDEM.

Ex Stanislai Oſii ad Cæſarem Legatione maximum Eccleſiæ fructum ſperat.

AD proximas litteras tuas, quæ mihi Calendis redditæ ſunt, ideo ſeriùs reſpondi, quàm forte cuperes, quòd Stanislaus Oſius tuus, idemque noſter ita iam ſe ad iter parat, vt in ſingulas penè horas ſuſpicari poſſem illum profecturum, qui tamen ante hunc diem profectionis conſilium explicare non potuit. Ego verò poſt rem tamdiu dilatam per eum tandem meas litteras tibi reddi magnopere cupiebam, quem tu ſummo deſiderio expectabas. Quare gratulor nunc tibi mi Cromere, gratulor Oſio, quorum vtrique contigit in legatione honeſtiſsima ſimul eſſe, vna in Cæſaris aula verſari, deque grauiſſimis rebus tum Reipublicæ totius Chriſtianæ, tum Regni ampliſſimi, atque non ita pridem de Catholica religione optimè ſentientis cum Cæſare tractare. Spero autem fore, vt quas res vterque curarit, eæ ad exitum feliciſsimum propediem cum ſumma veſtra laude, & cum non mediocri Reipublicæ commodo perducantur; nam ad eam ſpem egregiam illam quidem & firmam, in quam ſingulari

vestra tum pietate, & fide, tum etiam prudentia, & sedulitate adducimur, magnum momentum accedit Dei optimi erga nos summus semper amor, atque benignitas, ipsiusque Summi Pontificis egregia voluntas, & studium, quibus rebus freti legationem hanc Osij nostri maximum Ecclesiæ Christi fructum allaturam planè confidimus. Optamus quidem certè vehementer, deque ea re omnes religiosè vota nuncupamus, & facimus. Quod autem vereris, ne absentis Osij existimatio aliquorum obtrectationibus, atque inuidia lædatur; iubeo te de ea re bono esse animo. Ita enim Summo Pontifici, vniuersoque Cardinalium Collegio admirabilis Osij virtus, & probitas cum summa eruditione, & pietate coniuncta nota iam pridem, & spectata est, vt nullis vnquam hominum improborum studijs fieri posse arbitrer, vt de illius egregia apud nos existimatione quidquam detrahatur. Curabo ego tamen diligentissimè semper (quod à me suo iure optimi, ac doctissimi, mihique coniunctissimi viri incredibilis humanitas, pietasque postulat) vt tua quoque causa, qui mihi hominem amicissimum plurimum commendasti, omnes intelligant, neque meliore fide me, neque maiore voluntate, atque intentione vnquam in mea ipsius dignitate aut tuenda, aut augenda laborasse, quàm in vnius Osij defendenda, atque ornanda laboraui antehac semper, atque in posterum sim laboraturus. Sed de mea in illum voluntate, studio, atque officijs, deque toto rerum nostrarum statu malo te ex eo coram cognoscere. Dabis verò operam mi Cromere pro tua pietate, vt duobus tibi adiunctis Episcopis viris optimis, Christique administris fidissimis apud Imperatorem pijssimum ea cures, ea coneris, & moliaris, quæ cum priuatim regno vestro, tum publicè vniuersæ Christi Ecclesiæ sint profutura. Vale.

Roma xiij. Calendas Aprilis 1560.

***

EPISCO-

EPISCOPO VARMIENSI. apud Cæſarem Sedis Apoſtolicæ Legato.

Suam, & Latinij operam promittit in promouendis eius negocijs apud Pontificem, & Datarium.

Nono Calendas Aprilis litteras tuas accepi; ad quas ego tibi citiùs reſcripſiſſem, ſi vbi te in itinere inuenturæ illæ eſſent, aliqua coniectura; aut ſaltem leui ſuſpicione conſequi potuiſſem; ſed quando hoc incertum omnino fuit, illud mihi faciendum eſſe duxi, vt cum Pontificis litteris has meas tibi reddendas curarem. Speraui enim fore, vt illæ ad te ita mitterentur, vt fieri non poſſet, quin tutò in manus tuas peruenirent. Quare, & ſi ſeriùs fortaſſe aliquanto quàm volebas, tamen certiùs accipis litteras meas. Ego ſi meam erga te voluntatem, atq; beneuolentiam non putarem tibi eſſe planè perſpectam, & cognitam, pluribus verbis tecum vterer, vt tibi planius perſuaderem me tua, tuorumque familiarium cauſa libenter, atque optima fide omnia facturum. Sed nolo actum agere. Quæ confici poterunt, diligenter curabuntur, habebiſque ad eam rem non modò Latinij hominis tui ſtudioſiſſimi, qui te plurimũ colit, atque obſeruat, operam tibi ſemper promptam, atque paratam, verùm etiam omnium, qui te, tuaſque virtutes norunt, qui certè plurimi ſunt, à quibus te cum mirificè diligi, tum tantum egregiæ pietati tuæ, atque eruditioni tribui certè ſcio, vt omnia ſua ſtudia ad tua, tuorumque domeſticorum, atque clientum commoda procuranda libentiſſimi ſint collaturi. Ego certè ad propenſam in te Summi Pontificis, plurimorumque Cardinalium voluntatem dabo operam, vt quotidie tantus cumulus accedat, vt ij te magno tuo merito inter omnes tui ordinis viros, quẽ ornandum cenſeant præcipuum habere fateantur. Datarius & rem tuam ſedulò adiuuat, & miniſtris Sereniſſimi Regis conſtantiſſimè pernegat quæcunque facultatem tuam contractura, & in anguſtum deductura videntur Quare iubeo te bono eſſe animo, ſperareque in Valentino tuo, cæteriſque familiaribus ornandis nunquam tibi operam, & diligentiam noſtram defuturam. Litteras tuas auidè expecto, quæ me certiorem faciant de ſalute tua, deque totius itineris ratione, quam tibi commodiſſimam fuiſſe vehementer opto. Cromerum meo nomine ſalutabis, ſi prius eodem officii ge-

cre

nere cum Gnesnensi Archiepiscopo meis verbis vsus fueris. Vale. Roma Quarto Nonas Aprilis 1560.

EIDEM.

De multis negocijs expeditis eum certiorem facit. Optima consilia tradit in tractanda Legatione.

ACcepi heri sub noctem litteras tuas, quæ primæ ad me post tuam profectionem sunt allatæ. Ex eis cognoui te Oeniponte fuisse Palmarum die, sperasseque Paschæ festum Batauæ Vindilicorum celebraturum, cum Viennæ non posses, quò tamen peruenisse te facilè pauculos post dies confido. Scribis te in itinere quotidie anxium expectasse à nobis litteras cum mandatis, facultate, & indulgentia. Ea omnia certè diligenter curata sunt; sed, vt hìc tardè expediuntur omnia, aliquanto seriùs, quàm cupiebam, sunt confecta. De facultatibus loquor, & de supplicatione contra Sculterum, quas Leonardus accepit expeditas, putoque iam ad te missas vna cum indulgentia, fortasse etiam mandata, cum Viennam peruenisti reddita sunt; nam ea, nisi fallit Ptolomæus Secretarius, ante aliquot dies missa erant; ita mihi Tymmermannus tuus affirmauit. Quæ tibi incommoda in itinere acciderunt, fuerunt mihi certè molestissima, sed tibi homini non nunc primùm Legationes longinquas obeunti, quid venit in mentem quum hìnc profectus es sine nummis? aut si tibi necessaria prouidisti, cur ad liberalitatis exercendæ studium in itinere, quàm ad tua, tuorumque commoda respicere maluisti? Quod quereris rei priuatæ, quàm publicæ prius, diligentiùsque prospici, fuit ea perpetua in rebus humanis conditio, atque in omni hominum memoria vetus expostulatio, quam certè non video cur hoc tempore magnopere exagerare debeamus; multa enim nos, vt meliore sint loco, assiduis precibus à Deo contendere decet, ad nonnulla conniuendum est; quamplurima verò ita sunt procuranda, vt si spes nulla sit perficiendi, satiùs esse existimem aut intentata prorsus, aut infecta relinquere, quàm aliorum contra nos impudentiam irritare, aut inter nos assiduis querelis agere, quò hostium Ecclesiæ Catholicæ cõuicijs in dies magis impetamur. Sed hæc scio tibi notiora esse, quàm mihi. Legi litteras Cromerij tui, eiusque diligentiam in apparanda tibi do-

mo magnopere probaui. Leonardus ad te plura perscribet. Ego enim ea tantum attigi, quæ necessaria existimaui. Si quid erit agendum tua causa, in eo me semper omni studio polliceor amori erga te meo satisfacturum, spero autem etiam tibi, & desiderio tuo. Nam de Valentini negotio, quod ad te primis litteris scripsi, idem nunc quoque confirmo, superesse scilicet illi facultatem adipiscendi sacerdotij quodcunque deinceps vacabit, donec tandem nanciscatur quod liberè, plenoque iure retinere liceat. Quod addidisti de Reginis, & Regentibus, fuit id mihi certè gratissimum cum priuatim illarum salutis, tum publici etiam commodi causa. Deus det illis constantem mentem in bono, faciatque, vt ipsarum exemplo multi in veritatis, salutisque via permaneant. Tu quod semper omni studio curasti hoc maximè tēpore in Legatione honestissima curabis, vt Respublica magnū per te adiumentum sibi allatum esse fateatur. Vale, & mea obsequia Cæsari, operamque, & studium Archiepiscopo, Cromeroq; prolixè pollicetor. Romæ xj. Calend. Maij 1560.

EIDEM.

Promitit suam diligentiam in procuranda pecunia, & mandatis à Pontifice. Gratulatur Maximilianum Regem secutum morem Catholicorum in Communione sub vnica tantùm specie. Duo summa capita proponit cum Cæsare tractanda, quorum præcipuum est de conuocando Concilio Oecumenico.

Ex proximis tuis litteris, quæ mihi septimo Idus redditæ sunt, cognoui te incolumem firmumque Viennam peruenisse, non tamen æquo esse animo, propterea quòd nulla adhuc à Pontifice mandata missa essent, quæ tibi necessaria existimabas fore ad probandum profectionis tuæ consilium, testandamq; Pontificis voluntatem. Ego certè tua causa, eoque nomine tuli eam rem molestissimè; cupiebam enim te in prima cum Cæsare congressione ijs instructum esse, quæ & tibi ornamento forent, & ipsius Cæsaris animum ad religionis tuendæ studium accendere possent. Sed ea tamen spero te pro tua prudentia attulisse quæ necessaria, & opportuna erant. Tibi enim causam suam agēti suppeditauit Deus omnem & rerum, & verborum copiam, ac facultatem. Quanquam autem ad me nihil scripsisti de Maximiliani

liani Regis egregio facinore Catholicorum morem in communione sub vna tantum specie cum tota familia secuti, cum tamen ex tuis litteris, me præsente, ac res tuas procurante, Reuerendissimus Cardinalis Augustanus eam rem Pontifici recitaret, non minore gaudio sum affectus, quàm quo ipse Summus Pontifex affectum se esse summa cum voluptate declarauit, in qua re cum magnas Deo gratias egit, tum Cæsaris pietati plurimum tribuit. Quare gaudeo primùm Reipublicæ causa meliorem aliquando spem nobis dari instaurandæ Catholicæ religionis, deinde gratulor tibi, sub cuius aduentum hæc ipsa prosperè acciderunt. Sed, vt ad res tuas redeam, actum est à nobis cum Summo Pontifice de mandatis, nummisque tibi curandis. Is vtriusque rei perficiendæ munus Reuerendiss. Morono delegauit. Quare curabit apud eum Augustanus, vt posthac tibi suppeditentur mēstruæ pensiones, & mandata mittantur, quæ tamen Pontifex non valdè necessaria putabat esse; quum nihil in ijs futurum sit præter duo illa summa capita, quorum id est primum, vt Cæsarem horteris, vt pro sua pietate in summo Religionis periculo præbeat se talem, qualem anteacta ipsius vita postulat, atque imminens Christianæ Reipublicæ discrimen, Alterum verò, vt ipsius Pontificis, totiusque Senatus amplissimi eam sciat esse sententiam, & votum, vt primo quoque tempore ea præcipua sit Principum omnium cura, & cogitatio, vt vndique ex orbe Christiano Episcopi ad Oecumenicum Concilium conueniant, quo tandē aliquando Deo adiuuante componantur dissidia, tollantur schismata, & omnes vnum sentiant. Ad eam autem rem perficiendam maximum esse in Cæsaris voluntate, & studio momentum, atq; adiumentum positum facilè omnes intelligimus. Hæc ipsa per te curari, & perfici omnia prudentissimè posse existimauit Summus Pontifex, eaque de causa de mandatis mittendis nihil fuit sollicitus. Nunc curabuntur omnia diligenter ab Augustano, atque in ea re polliceor tibi me quoque omnem operam positurum. Vale, & Cromerum meo nomine salutabis. Romæ Quinto Idus Maij 1560.

EIDEM

EIDEM.

Admonet eum de transmissis mandatis, & pecunia per Olgeatos Mercatores.

ACcepi ante biduum litteras tuas, quas mihi perferendas Cromerus curauit; ex quibus cognoui te etiam num sollicitum de mandatis,ac nummis expectare quid futurum sit. Ego heri cum Reuerendiss. Morono multis verbis egi, vt causam tuã tueretur, atque ille mihi iam omnia curata esse confirmauit, nec mandata tantum esse missa; sed etiam de pecunia menstrua numeranda transactum hìc cum Olgiatis mercatoribus, quorum opera tibi sine mora istic repræsentabitur. Reddidi pridie litteras tuas Pontifici, nec mihi ille quicquam communicare potuit. Erat enim alijs negotijs impeditus, quum erit plus otij dabo operam, vt de scribendis tua, aut scribæ tui manu litteris quid maximè velit sciamus. De Valentini tui re satis arbitror scriptum; prosequatur ius suum quoad adipiscatur Sacerdotium. Quod addidisti dè Vergerio, monuistique, vt à quibusdam cauerem; fuit mihi quidem permolestum; nam ab altero nihil omitti, quò dignitatem, existimationemque tuam lędat, non libenter audiui; alterum autem non in eadem esse sententia, qua nos, bonique omnes sumus, antehac nunquam mihi venit in mentem suspicari; sed hæc aliàs. Habes omnia quæ postulabas; reliquum est, vt facultatibus tibi concessis ita vtaris, vt non aliorum exempla: sed sanctissimam sententiam tuam sequaris, in eaque spe, quam optimã de te omnes concepimus, ita nos confirmes, vt nihil tua virtute, & probitate illustrius, nihil perfectius fieri posse fateamur. Vale Roma xv. Calen. Iunij 1560.

EIDEM.

Aliqua obscurè, & leuiter attingenda, quia litteræ intercidere possunt. Testatur se iam recepisse, ac legisse actiones Secretarij.

EX proximis litteris tuis Vienna ad xvj Calen. Iunij datis, quæ mihi viij Idus redditæ sunt cum actionibus Secretarij, cognoui mearum litterarum partem iam peruenisse, speroq;

reliquas etiam ad te deinceps perlatas esse, quod facilè colliges ex tuarum litterarum numero: rescripsi enim ad te, vt puto, quoties tuas accepi; sed venio ad proximas. Ego quòd te soleo amicè monere; nolim existimes eo consilio à me fieri, vt te à libera scribendi ratione deterream, præsertim ad amicos; quorum tibi magnum vbique numerum illustris tua dignitas, suauissimi mores, inprimisque singularis pietas, atque eruditio facilè compararunt; sed vt cautiùs, rectiùsque ad me ipsum scribas. Multa enim accidere possunt, vt litteræ intercidant, atque ea de causa quædam leuiter per litteras attingenda esse censeo. Quorum cũ certi tabellarij, vel hominis amici, ac spectatę etiã fidei datur occasio, quæ obscuriora putabimus esse, declarare sine vllo periculo possumus. Sed hæc hactenus; noui prudentiam tuam, qua te non vereor quæcunque acciderint, sapientissimè curaturum. Facultates, quas petis, omnes mittuntur. Tua enim causa ea res curata diligentissimè fuit. Cætera ex Leonardi litteris cognosces, Ego iam (quadriennium puto) legeram actiones Secretarii, ideq; de auctore libelli iudicium meum fuit; quanquam fieri potest, vt hominis perditissimi commentum alij tribuẽdum verius sit. Quæ curanda à me hìc erunt, dabo operam, vt intelligas te in scribẽdo non frustra laborasse. Vale, & me plurimum Cæsari commendato. Archiepiscopo verò Gnesnensi, atque Cromero meo nomine multam salutem dicito. Roma vi. Idus Iunii 1560.

ABBATI REFORMATORI CISTERCIENSIS Congregationis Regnorum Castellæ, & Legionis.

Suum patrocinium in tuenda Congregatione promittit, laudatque virtutes Iacobi Procuratoris in Curia.

EA fuit erga sodalitatem vestram vniuersam, priuatimque erga te animi, voluntatisque propensio, ea beneuolentia per aliquot ante annos opera, studioque Iacobi procuratoris vestri instituta, vt etiam si Protectoris nomen alius sustineret: ego tamen nunquam prætermiserim, quin quibuscunque possem officiis, sodalitatis vestræ commoda procurarem. Quare & constantiæ meæ memor, & vestris etiam studiis, postulationibusque prouocatus Protectoris munus, atque officium eo animo suscepi, vt maiore certè voluntate nullius adhuc sodalitatis, aut ordinis

dinis

dinis patrocinium susceperim. Videorque mihi non sine Dei numine iam pridem aliquam operam in ea re collocasse, ad quam aliquando totam sustinendam, atque tuendam omnes meas cogitationes, atque conatus eodem Deo volente, vobisque cupidè postulantibus essem collaturus. Cum mea igitur sponte adductus, tum vestra honesta petitione inuitatus, tuisque in primis tũ ingenii, quàm animi dotibus, virtutibusque motus in eo patrocinio, quod à me summa cum modestia poscitis, polliceor me bona fide ita versaturum, vt omnes intelligant, me in sodalitatis vestræ rebus curandis, atque augendis nihilominus laborasse, quàm in mea ipsius salute, ac dignitate tuenda laborare soleam ac debeam. Quòd vero Iacobum cum plurimis eius in sodalitatem meritis, tum etiam mea causa honestissimè ornastis, fuit id mihi certè gratissimum, qui hominem hic aliquot annos cõmodorum vestrorum causa labores multos perpessum libentissimè semper complexus sum, atque in amicorum meorum numero præcipuum habui. Eum spero semper negotiis vestris tractãdis vbique commodissimum futurum. Valet enim dexteritate, & quod facilè hominum animos conciliat, sanctissima quadam modestia consilii sui prudentiam ornat veriùs, quàm tegit. Itaque hominem mihi amicissimum tibi, vniuersæque sodalitati valdè commendo. Ex eo autem cognosces quid actum sit de confirmatione priuilegiorum. Vale cum toto sodalitio, & me Patronum vestrum communibus precibus adiuuate. Roma xiii. Calen. Iulii 1560.

EPISCOPO VARMIENSI.

Hortatur, vt negotia cum Pontifice tractanda exponat Carolo Cardinali Borromeo.

QVoties eris publicis negotijs impeditus non modò peto à te, vt nihil ad me scribas, verùm etiam postulo à te seriò, teque obtestor, ne vnquam in eam cogitationem venias, vt mihi quicquam scribendum putes, quum erit quod agas. Ea enim de causa istuc missus es, vt rem publicam geras, mihi satis, superque erit, si ea ex sententia bonorum omnium, vtque præsens temporum conditio postulat, administretur. Quòd autem in ea meam sententiam exquiris, an etiam ad Summum

Pontificem ſcribendum ſit, quum planè abs te de rebus omnibus certior factus fuerit Carolus Borromeus Cardinalis. Ego verò ita ſentio, ſic ad Pontificem à te ſcribi oportere, vt tantum ſignifices, te longioribus verbis omnia ad Borromeum ſcripſiſſe, ita enim & bis eadem ſcribendi moleſtia carebis, & vtrique cumulatè ſatisfeciſſe videberis. Litteras tuas ad Borromeum Cardinalem, quum primùm mihi ſunt redditæ, ideſt ad quintum Calendas Iulias, curaui per Latinum perferendas. Quare ſi quid erit ab eo ſtatim reſpondendum fortaſſe ante has meas accipies, quas tibi per Georgium mittendas curaui vna cum epiſtola ad Cromerum. Valete omnes, & me diligite. Romæ tertio Calendas Iulias 1560.

MARTINO CROMERO.

Amicitiam litteris fouet.

ET ſi nihil erat hoc tempore quod ſcriberem, quum tamen biduo ante litteras tuas, atque Oſij noſtri accepiſſem, nolui committere, vt quum ad alterum ſcriberem, tui hominis mihi in intimis medullis ſuauiſſimè hærentis oblitus viderer. Quod reliquum eſt valete omnes benè, atque in rebus publicis tractandis, quod ante hac maxima cum veſtra laude ſemper feciſtis, ſummam diligentiam cum ſumma veſtra prudentia, & fide coniungite. Confido enim aliquando fore, vt propitio, fauenteque Chriſto opera veſtra magnum Catholicæ Eccleſiæ adiumentum afferat. Vale iterum. Roma tertio Calendas Iulias 1560.

EPISCOPO VARMIENSI.

Promittit ſuam operam in procuranda confirmatione pro nominatis à Cæſare ad Eccleſiarum adminiſtrationem.

QVàm diligenter cures quæ Dei ſunt cum ſalute hominum præſertim, cumque Sanctæ Sedis Apoſtolicæ dignitate, atque auctoritate coniuncta, iam pridem exploratiſſimum habeo. Noui enim pietatem, noui ſtudia tua ad eam vnam rem ſemper libentiſſimè abs te collata, vt quamplurimos opera tua iuuares,

res, ad bonam ſpem, frugemque erigeres, & reuocares: quibuſque nihil opus eſſet vel conſilio, vel adhortationibus eis commendatione tua, & teſtimonio tamen prodeſſes. Id quod nuper ijs contigit, quos tu mihi diligentiſſimè egregio teſtimonio tuo commendaſti. Qui & ſi propterea quod à Cæſare, ideſt à Principe optimo, atque pijſſimo ad Eccleſiarum adminiſtrationem vocati erant, idonei ad id oneris cum ſua dignitate, multorumque ſalute ſuſtinendam à me planè habebantur; tamen ſcito tuo teſtimonio grauiſſimo quidem illo, atque honeſtiſſimo tantam acceſſionem eſſe factam priſtinæ meæ de illis benè ſentiendi propenſioni, ac voluntati, vt non modò libenter; ſed etiam ſtudioſè, cupidèque ſim eorum confirmationem curaturus, atque adiuturus; daboque diligenter operam, vt & ipſi, quos mihi tantopere commendaſti, & omnes intelligant, me in primis tuo teſtimonio, & commendatione adductum ad eorum cauſam ſuſcipiendam, atque tuendam omnem operam, ſtudium, cogitationeſque meas contuliſſe. Tibi enim, tuoque teſtimonio tantum tribuo, quantum vni profecto nemini. Quare iubeo te bono eſſe animo, ſperareque me quibuſcunque poſſim officijs nominatorum confirmationem, & commoda omnia ſumma diligentia, atque optima fide curatutum. Vale, & meo nomine felicitatem Cæſari, amiciſque omnibus plurimam ſalutem precator. Roma. Pridie Nonas Iulij 1560.

E I D E M.

Principes non poſſe ad altiora aſcendere niſi Catholicorum ſuffragijs. Aliqua negotia ſignificat. Hortatur, vt maledicorum dicta contemnat, & Pontifici, ac Cardinali Borromeo aperiat incommoda, quæ ſuſtinet in Legatione.

ACcepi ad ſextum Idus binas litteras tuas, alteras Idibus Iunij longiores, alteras breues x. Calendas Iulij Vienna datas; parumque abfuit quin ſtatim perlectis prioribus litteris exclamarem, Malè pereat qui malè tibi mentitus eſt, ſed malo viuat, ac reſipiſcat, tibique auctor ſum, vt quando nunc certi lucri ſpes nulla eſt, aliquam rationem ineas quemadmodum hominem tibi concilies, vt familiariùs adire, atque alloqui poſſis; ſpero enim fauente Deo aſſiduis adhortationibus tuis, quæ tamen

tamen cautè, dextrèque arrepta opportunitate adhibendæ sunt, perfectum iri aliquid, cuius te minimè pœniteat. Quid enim apud generosi, altique animi iuuenem non sperem vel gloriæ, vel dominatus cupiditatem aliquando tantum posse, vt eorum adipiscendorum gratia suauissima etiam voluptate abstineat, in qua diutius consueuit? Cur ego desperem, quod per se turpissimum semper est habitum, ita illi quoque visum iri quandoque? Proponatur modo illi ante oculos ad altiora scandendi tempus, atque occasio, quæ tum erit hominis mens? Nonne cogitabit Catholicorum virorum suffragijs ab eo se gradu excludi, ad quem iure optimo nemini, nisi qui cum orthodoxis omnino consentiat, aditus patet? An non putabit turpe esse in eam familiam, ex qua tot clarissimi viri exstiterunt, atque adhuc supersunt, eam infamiæ notam intulisse, qua nihil potest neque apud Deum, neque apud homines excogitari aut grauius, aut execrabilius? Sed hæc te scio prudentissimè explicaturum quum tempus erit. De Valentino gratulor meliore rem loco esse, atque ad *Ecclesiam* Premisliensem esse vocatum eum virum, cui tu neminem præferendum censeas, vehementer gaudeo. Scripsi ad Ioannem Petrum in eam sententiam, quam te cupere declarasti; spero fore, vt meæ apud illum litteræ aliquod pondus sint habituræ. Vergerij studium quale semper fuerit omnes scimus; ab eo quod semel cæpit nunquam cessabit, donec supersit illi furijs agitatus animus. Quare non miror si in Catalogum scripsit suo more, legationemque tuam non putauit impudentiæ suæ esse, vt intactam relinqueret. In Brentium, aut leuissimos eiusmodi homines nihil censeo rescribas, indignosque velim eos putes, quorum rationem vllam habeas. Quæ Cardinali Borromeo misisti, si fieri commodè poterit, curabo, vt Natalis noster legat. Hominis pij concionem non dum planè perlectam misi ad Augustanum, qui mihi visus est eius legendæ cupidissimus, eam cum remittet absoluam. De Fausero malim redeat cito, sed ad cor. Hæc ad te quarto Idus scripseram, cum ecce recentiores abs te litteræ afferuntur, quæ me certè vehementer perturbarunt; quid enim facerem in tanta tibi nuper ex improuiso suborta rei domesticæ tuendæ difficultate? Auxit autem dolorem meum quòd & tibi certus modus familiæ præscriptus est, & te scio pro tua fortuna ad dandum magis, quàm ad seruandum procliuem esse. Quare (vt tibi quid sentiam breuibus

bus verbis indicem) non modò de ea re ad Cardinalem Borromeum, verùm etiam ad Summum Pontificem primo quoque tempore ſcribendum eſſe cenſeo, eiſque declaranda omnia incommoda, quibus iamdiu premeris, vt huius Sanctæ Sedis imperata facias. Ego verò, & Auguſtanus (ad quos item de ea re, vt cum Pontifice agamus ſcribas neceſſe eſt) curabimus rem tuam diligenter, atque vt ſpero aliquid perficiemus. Tu interim forti animo fac ſis, liberalitatiſque exercendæ conſuetudinem intermitte; dum quod familiæ tuæ ſuſtinendæ ſatis ſit, non habes. Cupio te non tantum verbis,& conſilio,ſed re ipſa iuuare,ſi poſſim; ſed noſti tenuiſſimum cenſum meum. Vale,& meo nomine primùm apud Cæſarem, deinde apud amicos eo officio fungere, quo me, ſi præſens eſſem, deceret maximè fungi. Romæ tertio Idus Iulij 1560.

MARTINO CROMERO.

Sperat Poloniæ Regem Catholicis fauturum. Hæreticis numquam placet Concilium.

DVabus tuis epiſtolis reſpondebo alteris xiij. alteris pridie Calendas Iulij datis, quæ mihi biduo ante ſunt redditæ. Ego quòd te iam pridem certò ſcio habere planè cognitum,omni ſtudio ſemper curaui res Sereniſſimi Regis tui, ab eoque propoſito nulla vnquam rerum, aut voluntatum commutatio efficere poteſt, vt declinem, niſi ſi Catholicæ religionis defenſionem deſertam ab eo audirem; quod ego quidem illum nulla vnquam ratione, aut caſu facturum puto,præſertim aſſiduis bonorum virorum conſilijs, atque adhortationibus confirmatum. Quod te ſedulò ſemper curaſſe ſcio. Nunc autem ſpero alios quoque ad eam rem aliquid adiumenti laturos. Audio enim ad Eccleſiam Cracouienſem poſtulatum eſſe à Sereniſſimo Rege Epiſcopum Premislienſem, atque in eius locum virum optimũ, atque in primis pium, & eruditum vocatum. Horum præſidijs confido fore, vt Religionis cauſa meliore ſit loco in veſtra prouincia, & aduerſariorum conatibus, fraudibuſque faciliùs obſiſtatur. Nam quod ſcribis de profectione Archiepiſcopi, fuit mihi certè gratiſſimum. Verebar enim(quod ipſe quoque prudentiſſimè videras)ne,ſi abſente Archiepiſcopo comitia haberentur, Religionis cauſa penè deſerta iaceret. Nunc video nihil eſſe veren-

rendum eo patrono præsente. Regem nollem, si fieri posset, bellorum nouis consilijs impediri, aut destineri longius: nam in ea tam arduæ rei cogitatione, atque explicatione occupatus in restituenda, & tuenda religione, vel nullam, vel certè minimam operam adhibere poterit; atque interim arrepta occasione hæreticis plus etiam licebit grassari, quàm libeat, nisi in eam curam pastorum oculi semper inuigilent, atque piorum procerum præsidijs adiuuentur. Concilium nunquam putaui, vt hæreticis placeret; quare quantum in illis est positum, diligentissimè curabũt, vt ad disturbandam omnem Catholicorum in ea re consensionẽ vndique omnes opes suas, viresque conferant. Pontificis Nuntium ad Regem tuum missum oro te consilijs tuis adiuua: potes autem plurimum illi, idest Regno, & Prouinciæ toti prodesse. Cætera ex Georgio cognosces. Vale. Roma tertio Idus Iuli 1560.

PHILIPPO PADMEVSKI EPISCOPO PREMISLIENSI Vicecancellario R. P.

Gratulatur ei honestissimam translationem ad Ecclesiam Cracouiensem.

ET mea erga nationem vestram perpetua voluntas, & tua in grauissimo, atque honestissimo munere pro Christi Ecclesia obeundo iam pridem spectata virtus, ac fortitudo fecit, vt ante aliquot annos ita te amarem, vt tua quoque causa omnia libentissimè vellem. Quare oblata nunc tua honestissima ad Ecclesiam Cracouiensem translatione, non modò lætitia singulari affectus sum; sed etiam perfeci ea omnia, quæ in Senatu, & cum Summo Pontifice res ipsa pro tua dignitate ornanda ab homine amicissimo, vt curarentur, postulabat. Quare gratulor tibi hanc honoris, ac dignitatis accessionem factam, præsertim eo nomine, quòd à Serenissimo Rege vnus inter multos magni meriti, & illustris virtutis viros ad eam delectus es: quod ego quanti æstimãdum sit planè video. Reliquum est, vt quando in eum locum ascendisti, in quem ferè omnium oculi intenti sunt, ita te pares, vt in tuenda Christi Ecclesia tibi commissa, Catholicaque Religione defendenda, atque restituenda, nihil operæ, nihil laboris, aut periculi etiam adeundi recuses; sed fortiter omnia, summaque vigilãtia cures. Id tibi cũ ad immortalem apud homines gloriam,

tum

tum ad æternæ etiam vitæ proemium consequendum expeditissimum, atque honestissimum aditum dabit. Vale Roma xiii. Calend. Sextilis 1560.

EPISCOPO VARMIENSI.

Promittit se curaturum indultum Archiepiscopo Gnesnensi. Hortatur, vt liberalitatem temperet in expensis.

EX proximis litteris tuis, quas ad me sexto Nonas properanter scripsisti, cognoui quanto studio Reuerendissimi Archiepiscopi Gnesnensis negotium cures, de indulto loquor, quod ille magnopere cupit. Ego verò, & si idem cupio vehementer, tibique in eo nihil concedo; tamen de ea re ad Illustriss. Protectorem scribendum omnino esse iudico. Eius enim hoc propriũ munus est, neque verò in quo Archiepiscopo non prodessem, æquum est me eorum mihi, vel partes, vel officium vindicare, quos ego summa obseruantia semper colui. Quare ad Protectorem scribat necesse est: Idque cum erit factum dabo sedulò operam, vt quàm maximè fieri potest Archiepiscopus voti sui compos fiat. Quod attinet ad nummos egi cum Reuerendiss. Morono, isque se de ea re valde sollicitum tua causa esse ostendit, quãquam Summum Pontificem bona fide confirmasse sibi retulit de trecentorum numeratione Olgiatorum errore factum, seque neque tibi, neque alij vlli eam pensionis mẽstruæ summam statuisse numerari; sed ducentorum tantùm. Quod ego verum esse facilè credo; nam non modò memini mihi id ipsum affirmatum à Summo Pontifice; sed etiam vetusto more ita præscriptum planè esse & scio, & ex multis audiui. Quare ineunda ratio est, vt ducentos coronatos sumptus non superet; non enim video (si mercatorum errore factum est, vt Summus Pontifex ipse confirmat) quid tibi ad illum, atque ad Borromeum Cardinalem perscriptæ diligenter litteræ prodesse possint. Sed tamen animo tuo obsequere, atque pristinæ tuæ liberalitatis, si sapis, ad tempus obliuiscere. Vale, & me ama. Roma xiij. Calend. Sext. 1560.

PAVLO PVTEO.

Ad studia, & ad virtutes comparandas iuuenem sibi coniunctissimum prouocat exemplo suorum Maiorum.

ACcepi à te binas litteras, quarum priores septimo Idus Aprilis, alteræ posteriores heri mihi sunt redditæ. Ex quibus cognoui te magna cum diligentia litterarum studijs operam dare; quod mihi certè fuit cum honoris tui causa, tum totius gẽtis nostræ gratissimum. Non enim potes faciliore via ad opes, atque ad gloriam peruenire, quàm si proprijs tuis virtutibus, idest morum probitate, & eruditione ita præstes, vt summorum virorum, & Principum facilè tibi gratiam, atque beneuolentiam concilies. Ego quod potero in te ornando facere, tam libenter faciam, quàm si mihi filius vnicus esses; ita enim & tua, & parentum tuorum perpetua erga me obseruantia, atque inter nos coniunctissima naturæ necessitudo postulat. Quare perge mi Paule, quod attinet primùm ad morum probitatem, ita te comparare, vt Deo, & hominibus placeas, omnemque non modò vitij turpitudinem, verùm etiam leuissimam eius vmbram semper auerseris, & fugias; deinde verò in litterarum studia ita incumbas, vt nemo sit æqualium tuorum, quem tibi in eruditionis adipiscendæ contentione superiorem esse patiaris; ita enim fiet, vt mihi, atque omnibus quotidie magis carus euadas, & tibi summam laudem cum mea summa voluptate, tuorumque omnium incredibili lætitia propediem facillimè compares. Vale, & parentibus, totique familiæ meo nomine salutem dicito. Romæ xj. Calend. Augusti 1560.

MARTINO CROMERO.

Suam operam, ac mutuam beneuolentiam pollicetur.

EA est litterarum tuarum suauitas, mi Cromere, vt, & si tibi sæpe numero puto non admodum gratas occasiones scribendi dari, malim tamen, ne litterarum tuarum voluptate careã, quasuis tibi occasiones dari; vt frequenter ad me scribas, quàm, vt raro. Nam si bonas tantum, gratasque occasiones expectes, præsertim his temporibus, futurum vides, vt rarissimas tuas litteras

teras accipiam. Nunc verò si quaslibet, vt amanter facis, persequeris, non dubito quin crebrò ad me sis litteras daturus. Cognoui igitur ex Osij nostri litteris, quæ ad me priores allatæ sũt, rem omni ordine, nec quidquam in ea sum admiratus, præter præposteram quamdam hominum diligentiam; sed nolo hìc tibi plura dicere. Ego, si quis hìc de ea re sermo increbescet, tam studiosè, fortiterque causam tuam defendam, vt meam esse facilè omnes intelligant. Cætera ex alijs malo cognoscas, quos tibi quæ hìc quotidie aguntur diligentissimè omnia perscribere arbitror. Archiepiscopo, si is non dum profectus est, meo nomine salutem dices, sin autem adscribes. Vale, & cum Osio nostro ea da operam, vt perficias, quæ ad afflictæ religionis causam tuendam, atque in pristinum statum reuocandam adiumento esse possunt. Roma Sexto Calen, Augusti 1560

EPISCOPO VARMIENSI.

Consolatur eum conturbatum ex inopinato Cassanensis Episcopi accessu ad Cæsaris aulam.

QVis exitus inopinati aduentus Cassanensis Episcopi in istam Vrbem fuerit ex tuis proximis litteris cognoui, simulque intellexi, te non nihil veritum esse, ne quod à te modestissimè actum est, in eo leuissimorum hominum sermonibus reprehendereris. Quod ego (& si futurum planè non credo; satis enim, superque viris bonis spectata est incredibilis modestia tua) tamen eo studio, contentioneque defendam causam tuam, vt confidam me facilè perfecturum non modò, vt qui tibi cupiunt detrahere sileant; verùm etiam, vt bonorum iudicio summa laude dignus propterea censearis, quòd Sedis Apostolicæ Nuncius Episcopum Pontificis cognatum cum Nuntiũ esse prorsus nescires, superioris tamen, & in itinere, & in confessu loci honore præferendum tibi ipse curares. Quod autem cum Bitontino communicaris consilia, quæque cum Cæsare abs te de Concilio tractata erant, idque propterea fecisti, quòd ita Pontificem mandasse, vt fieret, ab illo tibi est confirmatum, laudo factum tuum vehementer, modò aliquid perficiatur boni. Scio te pro summa tua modestia ista omnia nihili æstimaturum, atque etiam æquissimo animo passurum, vt quæ à te incohata sunt negotia, eorum

quiuis alius confectorum honorem, atque etiam triumphum auferat. De Canisio, socijsque gaudeo. Vergerium nihil moror. Rationis pecuniariæ error vnde ortus sit iam pridem nosti. Quare forti animo sis, nec quidquam mihi putes tua dignitate aut carius, aut antiquius. Curaui, quæ ad me scripsisti, ea Augustanus vt videret; pollicetur ille pro sua erga te summa beneuolentia nulla in re tibi defuturum. Id ego, vt ambo præstemus, quũ erit vsus, bona fide perficiam. Vale Roma sexto Calen. Augusti 1560.

EIDEM.

Staphyli opus laudat sibi gratissimum, suamque operam promittit in tuenda causa Canonici Posnaniensis.

DVabus tuis epistolis breuiter respondebo. Accepi à Leonardo confessionis librum Viennæ nuper impressum, qui mihi gratissimus fuit; nec minus etiam gratus accidit index, siue ordo, & series tota cum successionis hæreticorum nostri temporis, tum etiam diuisionum inter se; quod ego opus Staphyli hominis diligentissimi, atque eius rei peritissimi plurimi æstimo, curaboque, vt Collegæ mei eam ingeniosam Staphyli diligentiã perlegant. De Pragensi negotio idem sentio. Quare cum primùm in Senatu de eo referetur, dabo operam, vt maturè conficiatur. Quod autem commendasti mihi Canonici Posnaniensis causam, ea qualis sit nescio, neque enim Ticinius quidquam adhuc mihi indicauit. Sed tamen cum sciam, perficiam, vt omnes intelligant tuam commendationem apud me plurimum ponderis habuisse. De ratione nummaria pro tua prudentia quod æquum, atque ex vsu tuo fuerit, statues, neque enim hìc ego, aut quisquam alius possumus de ea re tibi amplius aliquid polliceri. Tu si quid honestè, ac sine prouincialium offensione putabis ex tuis facultatibus confici posse, vnde commodè familiæ sumptus suppeditetur, poteris tuo iure vti. Vale, & meo nomine omnibus salutem dicito, atque adscribito. Roma tertio Nonas Augusti 1560.

EIDEM.

In curandis hæreticorum morbis, & præcipuè Maximiliani Regi non esse desperandum.

DE Episcoporum causa quid sit actum puto te iam audisse, in qua plurimum, & temporibus,& diligenti commendationi tuæ ab omnibus tributum est. Quod vrges Cæsarem de vniuersitatis istius repurgatione,cupio tibi eam rem felicissimè succedere: erit enim aliquis aditus ad alia curanda patefactus, neque, vt reor, quin omnem diligentiam, atque etiam contentionem, si opus fuerit, ad eam rem perficiendam sis collaturus. De Maximiliano Rege, quamquam exigua,vel nulla spes sit hoc tempore, erit fortasse breui, si Deus volet. Scio te virum prudentem non nunc primùm intelligere difficillimam vetustorum morborum curationem semper fuisse: eorum verò animi vitiorum, quæ penitus longo tempore insederunt multo etiam esse difficiliorem;nihil autem esse difficilius quàm religionis persuasiones ex animo tollere,cum multa veterum exempla,tum satis, superque diuturnum nostrorum temporum in Ecclesia malum, testatissimum facit. Quare primùm oro te,ne quid desperes,deinde etiam, ne quid antiquius habeas multorum salute, atque Ecclesiæ Dei, idest Catholicæ defensione; pro ea libenter, atque æquo animo quæcunque accident, fortiterque,vt feras te etiam, atque etiam rogo. In te enim vno magnum est illi præsidium, adiumentumque positum, quem si vel hæretici,vel improbi homines aliqua offensione senserint alienari posse,aut saltem inhiberi, & retardari; certo certius fore video, vt omnes artes machinasque suas ad te permouendum conferant vndique, atque adhibeant. Te verò decet ea omnia meditatum sapienter, fortiterque humana quæque contemnere, vt ante hac semper cum summa tua laude fecisti, nihilque pati apud te tanti esse,vt propterea à suscepta Catholicæ fidei,& religionis defensione discedas. Quæ attinent ad Concilij causam, ea ex Illustriss. Borromeo cognoscam. De nummis spero tibi à Summo Pontifice aliquid accessurum, vnde sumptus aliqua ex parte suppeditetur. In qua re tibi ab omnibus amicis amicissimè, studiosissimèque opera nauatur. Vale xvj. Calen. Septembris 1560.

EIDEM.

Voluntatem, ac studium erga Valentinum ab eo commendatum manifestat.

NIsi libenter amarem; tuererque diligenter, & summo studio eos viros, quos tibi homini antiquissimæ fidei, & probitatis, addo etiam prudentiæ singularis, & iudicij maximè probatos esse intelligerem: non viderer mihi in te diligendo ea ab initio spectasse, quæ viros graues ad aliquem summo amore complectendum promouere meritò debent. Sed quando ea lege te mihi amicum adiunxi, vt non minus testimonio tuo, quàm mihi ipse & sententiæ meæ tribuerem, non debes dubitare quin in Valentino Herburthio, quem mihi diligentissimè commendasti, ornando, atque amando, eadem futura sit voluntas, & studium meum, quæ tua planè foret voluntas, & studium, si quem locum ego teneo, tu quoque teneres Quare cum primùm res in Senatum venire, de eoque ad Pontificem referri à me poterit, perficiam, vt in amico tuo ornando multi dubitent vter nostrum maiorem voluntatem, operam, diligentiamque attulerit. In quo tamen nolim tibi putes iniuriam à me fieri, si per te mihi tantopere laudatos viros ea sum ab initio beneuolentia complexus, vt tibi in eis diligendis nihil, vel minimum cedere velim. Cætera ex Georgio cognosces, à quo expecto, vt quæ in Senatu agenda sunt, mihi perscripta tradantur. Vale Roma ix. Calen. Septemb. 1560.

MARTINO CROMERO.

Promittit suam beneuolentiam prædicto Valentino.

NVmquam mihi abs te quicquam molesti accidere poterit, mi Cromere, dum præsertim eos viros mihi commendas, ad quorum ego beneuolentiam mihi conciliandam mea sponte ita sum propensus, vt tum me ingenti auctum lucro verè existimem, quum summa probitate atque integritate virum aliquem honesto officio mihi adiunxi. Quare perge mihi homines Valentini tui Herburthij similes, idest nobiles, eruditos, pios, prudentes, omni denique virtutum genere egregiè ornatos

tos quotidie commendare. Cupio enim cum tua causa magnopere, tum talium etiam virorum omnia facere quæ peti ab amicis honestè possunt. Cum igitur Ticinius ea perfecerit quæ à me in Senatu ad Pontificem sunt referenda, dabo operam in Valentino tuo diligendo, vt omnes intelligant me neque Osio nostro, neque tibi ne minimum quidem cedere. Vale. Romæ ix. Calend. Septemb. 1560.

EIDEM.

Hortatur, vt Osium confirmet ad ferenda viriliter omnia incommoda pro Catholicæ Religionis causa, & præcipuè rei pecuniariæ angustiam.

NVmquam putaui fore, mi Cromere, vt sine summa difficultate perficerentur ea, quæ ad reparandam religionem pertinent; quamquam ad eam rem iuuandam Principum plurimorum præsidia, piorumque virorum egregij conatus, & studia minimè deessent. Fuit enim ea præcipua semper aduersarij nostri circa nos oppugnandos, atque opprimendos ratio, vt quorũ consilijs, opibusque præclarè res confici posset, ijs, vel auctoritatem omnem detrahat, vel obiecto alio impedimento eorum progressum ita remoretur, vt ommissa opportunitate rei benè gerendæ optati exitus spem omnem abijciant. Hæc summa est cõsiliorum eius, hoc, vt perficiat nihil intactum, nihil intentatum, relinquit; omnem lapidem mouet, nec semel exclusus, aut repulsus despondet animum; sed contraria quadam ratione nos adoritur, quosque aperto marte non potuit, dolosæ pacis obiecta specie conatur euertere. Sed quorsum hæc inquies? Nosti Osij nosti egregiam pietatem, nosti probitatem eximiam, animique simplicitatem illam Christiano homine, atque in primis Episcopo dignam, cum summa prudentia, atque eruditione coniunctam. Eum ego virum vnum hoc tempore ad ferendam Ecclesiæ Catholicæ opem maximè omnium idoneum non dubito quin quibuscunque potest artibus magnopere oppugnet aduersarius, vt piorum conatus irriti prorsus euadant. Quare peto à te viro singulari prudentia, & præstanti dicendi facultate prædito, vt hominem confirmes, animesque ad ferenda omnia fortiter. Scio non mediocrem illi difficultatem ad sumptus faciendos, alẽdamque

damque familiam ex rei pecuniariæ angustia adhuc fuisse,eaque præcipuè de causa, vt sibi ab isto tam necessario, tamque honesto Legationis munere discedere liceat,videtur nunc postulare; quod ego, si fieret, non modo rei totius publicæ rationibus plurimum,sed priuatis etiam eius commodis,atque dignitati maiorem in modum obfuturum intelligo. Cum præsertim à Summo Pontifice nuper illi sit quingentorum scutorum summa extra ordinem ad leuandam eam difficultatem decreta, quam, (vt ex Episcopo Phariensi audiui, qui ad vos proficiscitur) propediem accipiet. Neque verò Nuntiorum numero fiet, vt minus, aut illustris,aut cara omnibus Osij virtus,& dignitas existimetur;quin potius (vt ego quidem sentio) summa eius modestia cognita, atque ab omni prorsus ambitione, gloriæque cupiditate alienus animus multò commendatiorem, omniumque confessione, ac prædicatione glorosiorem hominem faciet. Sed nolo longiùs vagari. Gaudeo inter nouatores dissidia intercedere, eaque velim in dies magis crescere: ita enim statuo, nullas magnas vires faciliore via labefactari, aut superari posse, quàm si inter se pugnent, aut distrahantur. De Concilio non malè coniectas. De Nuntio nostro in Polonia, quod potes, oro te noli committere, quin amanter cogites, libenterque facias. Vale Roma pridie Calen. Septemb. 1560.

EPISCOPO VARMIENSI.

Ad ferendas molestias spe futuræ dignitatis animat amicum.

QVamquam ego perinde tuis, atque meis incommodis permoueri, & angi soleo pro ea, quæ inter nos intercedit animorum, voluntatisque coniunctione; tamen cum ad totius Ecclesiæ Dei commoda respicio, æquo (vt par est) animo patior multa incommoda, vt aliqua ex parte Reipublicæ prosim. Quod tibi consilium propositumque ita placuit, vt proprio grege relicto,neque longissimi itineris incommoda, neque grauissimos sumptus veritus sis, vt publicæ vtilitati consuleres. Quamquam autem ex eo tempore non mediocrem rei familiaris iacturam feceris, atque aliquanto etiam nunc peiore conditione istic sis, quàm Romæ esses propter eorum frequentiam; qui tua liberalitate sustentantur; tamen nihilominus video cum digni-

tati, tum commodis tuis prodesse, quàm si istinc hoc tempore abeundi potestatem tibi fieri postules ; ea præsertim adductus causa, quòd angustè tibi pecunia ad necessarios sumptus faciendos præbetur. Nam, vt superioribus litteris memini me ad te scribere, iam tibi ad eam rem extra ordinem à Summo Pontifice quingenta decreta erant, quæ quum has accipies, vel numerata erunt, vel vt statim numerari possint, argentarij alicuius syngrapha curatum erit; ita enim biduo ante, idest quo die mihi redditæ sunt litteræ tuæ, ex Phariensi Episcopo audiui, qui quum ad Cæsarem proficiscatur ita in te colendo, atque obseruando studium, operamque omnem positurum se mihi pollicitus est, vt speret te facilè, vltroque ad se in tuam fidem, beneuolentiamque complectendum adductum iri. His itaque de causis permotus nolui committere, vt quæ à te epistola ad Pontificem scripta est, cuius ad me exemplum misisti, redderetur. Non enim arbitror alieniore tempore hoc abs te postulari potuisse. Magna enim expectatione sumus fore vt intra paucissimos dies aliquid in Senatu agatur; in eo autem spes etiam est absentis tui rationem honestissimè habitum iri. Quare nihil minus faciendum mihi visum est, quàm vt hoc tempore eiusmodi litteræ Pontifici redderentur. Sustinebis igitur paucos dies, considerabisq; operam tuam in Concilio maximè necessariam Catholicæ Ecclesiæ futuram, neque animi tui tantum causa tot, tantasque tibi facultates cum eruditionis, tum eloquentiæ à Deo tributas esse, sed ad Ecclesiæ suæ in primis vtilitatem, & decus. Hæc ego ad te pluribus scripsi, quod vehementer de tua dignitate eram sollicitus; quæ tamen abs te ita celari postulo, vt nemo sentiat, te mea admonitione, aut auctoritate adductum mutasse sententiam; sed quod nummariæ rei difficultate sublata libenter in eo munere obeundo reliquos labores suscipere statuisses. Hoc ego honoris, constantiæque tuæ plurimum interesse arbitror. Quare si me amas noli committere, vt tibi, Ecclesiæque Dei hoc tempore deesse voluisse videri vllo modo possis. Vale. Roma pridie Calend. Septembris 1560.

EIDEM.

Confirmat idem argumentum exemplo cunctationis Fabij.

ACcepi intra biduum quaternas litteras tuas, quarum quæ quarto, & tertio Nonas Augusti scriptæ fuerunt vltimo loco heri mihi sunt redditæ, atque eodem die postremæ quoque tuæ peruenerunt; quæ verò Idibus eas ad me Iacobus Pellæus Episcopi Bitontini familiaris vna cum Vergerij censura pridie detulit; is mihi de tua erga me beneuolentia (quæ tamen mihi iam pridem cognita, atque perspecta erat) multa narrauit. Ex quibus animaduertere facilè potui neminem esse, qui non in amicorum laudibus prædicandis libenter etiam supra modum versetur, quamquam sibi parcus videatur, & modicus. Quod ego amoris magnitudini cum tribuo, teque ab omni prorsus culpa vindico; sentio tamen atque agnosco nihil in me, nisi mediocre esse præter voluntatem eximiam quidem illam, atque egregiam cum vehementi cupiditate subleuandæ, atque amplificandæ Christianæ reipublicæ coniunctam; cuius me causa semper impulit ad eos mirificè diligendos, plurimique æstimandos, qui in restituenda, tuendaque Catholica religione, vnde omnium salus pendet, operam suam cum summa Ecclesiæ vtilitate Deo nauare & possent, & vellent. In te verò magnum esse præsidium Catholicæ religioni impositum iam pridem intelligo: ideoque, & de tuis commodis, & dignitate vehementer laboro, & nihil prętermitto (quod quidem sciam, aut possim) eorum, quæ vel molestiam tibi leuare possunt, vel ornare dignitatem. Sed, vt ad ea respondeam quæ à me petis, suadeo tibi, ne in ea sententia velis esse, vt tibi facultatem abeundi dari postules. Ita enim sentio nihil hoc tempore abs te esse tentandum; sed omnia æquo animo ferenda; quando sumptibus tuis necessarijs benignè à Summo Pontifice prouisum est. Delphinus præterea Episcopus Phariensis, qui nuper ad vos est profectus, cuius opera tibi quingenti aurei nummi extra ordinem vt numerentur, curabitur, ea erga te obseruantia pollicitus est esse futurum, vt sperem à quo minimè putaras aliquod adiumentum accessurum. Neque hìc tu mihi Imperatorum multitudinem Cariæ, medicorũ ægris obfuisse obijcias; quin te considerare volo veris, solidisque rationibus, atque exemplis, virtutem tuam illustriorem multo fieri posse,

posse, si plures tibi in isto munere exæquentur, quam si vnus omnia ex sententia tua facias. Meministi credo Fabij cunctationem penè ab omnibus accusatam, atque reprehensam, ea nisi Minutij exæquata potestate temeritas quanti facienda erat, occassionem, vt agnosceretur, dedisset; nunquam legissemus. Vnus homo nobis cunctando restituit rem. Caue autem existimes virtutem, atque eruditionem tuam, addo etiam excellentiam dicendi, atque scribendi facultatem eo loco apud nos esse, vt tecum quemquam eorum, qui istuc missi sunt conferendos esse arbitremur. Quare, vt ad te proximè superioribus litteris scripsi, epistolam à te Summo Pontifici scriptam nullo modo reddendam existimaui, atque, vt in meam hanc sententiam venires ad Cromerum scripseram, vt quibuscunque posset rationibus tecum ageret, eas litteras cupio à te legi priusquam ad Cromerum perferendas cures, idque meo iussu factum esse illi significes, causamque indices. Quòd quereris de publicis rebus nihil ad te rescribi; id certè iure abs te fieri video; mihi tamen (& si omnia audio, & scio; me enim præsente leguntur litteræ, atque etiam quid agendum censeam postulor) nihil vltra licet aut scribere, aut eloqui, mirorque de ea re ita tecum agi, neque possum mihi persuadere aliud in culpa esse, quàm supinam hominum negligentiam, qui modo vacui omnino à laboribus sunt, nihil præterea magnopere curant. De hominis deplorata salute, quod scribis, non placet, auferat ei Dominus mentem peruersam, inspiretque meliorem, & sanam. Quod petis, vt, si ita mihi videatur, dem operam vt à Summo Pontifice prorogetur Serenissimo Ferdinando, eiusque toti familiæ tempus ad eas condonationes promerendas, quarum iam pridem dies præterijt, tibiq; ea facultas detur. Ego verò libenter omnia faciam, atque etiam, vt nobilibus ijs, quorum catalogum mihi adscripsisti, ad Sacerdotia vacatura ius detur, sedulò cum Pontifice agam, primumque illud perficiam, vt per te Pijssimi Principis desiderio satisfieri possit. Vale, atque æquo animo omnia perfer, vt Ecclesiæ Dei prosis. Romæ Septimo Idus Septembris 1560.

EIDEM.

Admonet de obtenta prorogatione Ferdinando Archiduci, promittitque suam operam ad obtinenda Sacerdotia Germinis Nobilibus.

QVod à me superioribus litteris tuis postulasti, vt curarem Serenissimo Ferdinando Archiduci prorogari tẽpus ad eas condonationes, indulgentiasque ritè promerendas, quæ à te in tuo aduentu istic publicatæ sunt; scito me à Summo Pontifice impetrasse, vt eius Principis, totiusque familiæ gratia instaurentur litteræ eiusdem facultatis, sed Cæsaris secretarij morbus impedimento fuit, quò minus hodie ad te mitti possent; breui tamen mittentur omnino. Quod verò attinet ad Nobiles Germanos sacerdotijs ornandos, data à me, atque ab Augustano opera sedulò est, vt Summus Pontifex eorum dignitati, & commodis benignè consuleret. Quare censeo faciendum, vt iterum de eã re ad Augustanum scribas, eorumque nomina, & cognomina eleganter descripta, tuoque testimonio etiam honorificè ornata mittas; vt faciliùs omnia expedire possimus, qua in re certè, & Nobilium istorum causa, & tua commendatione adducti summã diligentiam sumus adhibituri; modò hìc sit procurator aliquis, qui eorum nomine rem à nobis impetratam curet, atq; ad exitũ perducat. Quare mone homines, vt ad hanc rem procurandam adlegent ad nos aliquem. Tu verò forti animo fac sis, atque libenter, vel saltem æquo animo feras quæcunque accident. Spero enim fore, vt tua virtute non mediocre adiumentum Ecclesiæ Dei propediem comparetur. Vale Roma xviii. Calend. Octobris 1560.

EIDEM.

Querimonijs satisfacit, & de quamplurimis negocijs verba facit.

TErnis litteris tuis, quæ mihi omnes post diem quartum Iduum Octobris sunt seorsum redditæ, respondebo. Primùm autem illud silentio me præterire oportere statui, quòd de publicis rebus quereris te ab ijs, à quibus maximè oportebat, certio-

certiorem minimè fieri, quorum enim id culpa accidat & te puto facilè intelligere, & malo ex alijs quàm ex meis litteris cognoſcas. De Rege Bohemiæ gratulor tibi meliorem iniectam ſpem eſſe, quotidieque augeri, teque hortor vt hominem mirifica tua humanitate ad bonam frugem traducas. Confido enim tibi in ea re diuinam opem non defuturam. Delphinum iam tandem ad vos perueniſſe arbitror, magnaque ſum in expectatione, qualis nam tibi is primo ſtatim congreſſu viſus fuerit; nam de nummis non dubito, quin tibi conſultum benignè fatearis. Camertium Epiſcopum adhuc Cracouiæ deſidere audio; quid autem conſilij capiat neſcio; illud mihi moleſtiſſimè accidit, quorum ille conſilijs plurimum iuuari poſſet, eorum illum rationem nullam habere, neque ad tuas litteras quicquam reſcribere. Quamquam rogo te etiam, atque etiam vehementer, vt ne propterea intermittas ad illum ſcribere, eaque proponere, atque ſubmonere, quæ ad Regni illius ſalutem, & commoda pertinere arbitraberis; quæque putabis ex dignitate cum huius Sanctiſſimæ Sedis, tum ipſius Nuntij eſſe, vt curentur. Valentini tui cauſam, quàm mihi diligentiſſimè commendaſti, perficiam, vt mihi ſummæ curæ fuiſſe intelligas: quibus autem iuris, æquitatiſque fundamentis ea cauſa nitatur, ex codicillis ad Latinium ſcriptis didici, Ticiniumque ſtatim accerſiui, ab eoque quid actum in ea cauſa, quid inſtitutum, aut cogitatum ſit audiui; Quid autem mihi aut nunc in ea cauſa faciendum, aut poſthac videbitur, curabo vt Ticinius ſciat. Tu verò tibi perſuade in Valentino tuo ornando, quem merito ſuo tantopere te diligere certò ſcio, omnia me libenter facturum quæcunque tua cauſa & velle, & præſtare me ſingularis meus erga te amor cogit. Ioſephum Copecianum à te mihi magnopere commendatum ita ſuſcepi, vt omni diligentia, & opera mea ſim bona fide iuuaturus. Vale. Romæ xiv. Calen. Nouemb. 1560.

EIDEM.

Chriſtianiſſimi Regis Orator iniuſtè queſtus eſt, ſe fuiſſe delatum hæreſeos in Curia Romana ab Oſio.

QVam prouinciam moleſtiarum, & periculorum plenam, mi Oſi, me hortante pro Chriſti cauſa defendenda libenter ſuſcepiſti, eius te ne quando pœnitere poſſet ita ſemper curaui, & cu-

& curabo, vt confidam me simul & fidem, & beneuolentiam meam nullo tibi vel tempore, vel occasione defuisse omnibus facilè probaturum. Quare quod ad me proximis litteris tuis scripsisti, te valde esse sollicitum quòd Christianissimi Regis Orator tecum questus sit nomen suum ad nos hæreseos crimine delatum, in eo velim æquissimo animo sis, tibique persuadeas multo ante tempore, quàm tu huius legationis onus subires, Oratorem regis (qualis is iam pridem sit) cognitum, perspectũque non paucis esse; neque propterea tamen eum hæreseos delatum esse apud nos neque tua, neque cuiusquã opera; sed quod iam palam ante aliquot annos ipse de se alijs persuasit, in vtram partem spectet id cum ipse secum considerabit, tum ijs etiam examinandum relinquet, quibus Ecclesiam suam gubernandam Christus commisit. Ego quod ad te amplius de eo scribam non habeo. Illud verò scire magnopere aueo, ex Delphino nummos acceperis statim, an nondum etiam? Vale, & bono animo, vt sis facito. Habes hìc qui tua causa omnia, & libenter vult, & optima fide præstat. Roma vij Calendas Nouembris 1560.

MARTINO CROMERO.

Osii virtutes prædicat, innuitque eius futuram exaltationem ad purpuram.

QVorum pater vnus est, mi Cromere, velim tibi persuadeas, eos inter se coniunctissima necessitudine esse coniunctos, etiam si quod ad terrenos parentes attinet maximo sint inter se cognationis, aut affinitatis interuallo dissiti. Habet hìc Osius noster patronos, habet fratres sui amantissimos, & cupidissimos, quorum opera, & diligentia, quantum fieri poterit, ipsius ratio honestissimè semper habebitur. Postulant hoc singulares viri dotes, summa probitas, excellensque doctrina, quibus omnibus si ad Ecclesiam suam vniuersam instaurandam Deus hominem ornauit, atque ad hunc miserrimum temporum statum reseruauit, quo eiusmodi viri maximè indigemus. Iniquè certè (ne dicam etiam stultè) faciunt qui Deo in Ecclesiæ suæ gubernatione præscribere audent, eique partis alicuius tuendæ, quàm vniuersæ restituendæ curam potiorem esse volunt. Osius quòd libenter pro Christi causa euocatus paruit, quòd prouinciam periculosã, & in

& molestam suscepit, non id secutus videtur, vt animo suo morem gereret, obsequereturque; sed vt operam suam omnem Deo, atque Ecclesię illius vniuersæ Pastori nauaret pro virili. Neque hæc hactenus temerè, aut frustra facta esse existimare debemus, sed summo Dei Optimi Maximi consilio, atque prouidentia, cuius exitum breui, vt spero, læti intuebimur. Quare tuum est hominem confirmare, ominarique meliora. Phariensem Episcopum (nisi me hominis promissa fallunt) puto non mediocri adiumento, commodoque Osio nostro futurum; quod ego vehementer cupio, atque opto. Erit autem mihi gratissimum, si pro tua humanitate cùrabis, vt de eius erga Osium voluntate, atque officiis certior fiam. Vale Roma Septimo Calen. Nouemb. 1560.

E I D E M.

Admonet vt Osium ad constantiam, ac concordiam cum Collega suo hortetur. Ostendit Tridentini Concilij auctoritatem non minui ex infrequentia Episcoporum.

QVæ tu prudenter consideras ea maximi momenti esse intelligo; quid autem in grauissimo negotio agendum sit quamquam te in eadem sententia esse, qua ego sum, planè confido; tamen Summus ipse Pontifex de Fratrum cõsilio maturè statuet. Ego quantũ possum, ac debeo te rogo, atque obsecro, vt quibuscunque rationibus potes, Osium nostrum confirmes, ne leui aliqua offensione Collegæ commotus rem seriam, quæ ipsius opes maximè indiget, desertam velit, neue sibi persuadeat, vt Collegæ suo obsequatur, quicquam de veteris Ecclesiæ disciplinæ vigore, aut sententia sua remittendum. Non enim nouo more aliquid agetur, sed vt à Patribus nostris accepimus vetustissimos Ecclesiæ Catholicæ ritus, maiorumque exempla sequemur. Quod attigisti de Episcoporum in Tridentina Synodo non satis magna frequentia, quasi id ad infirmandam rerum in ea gestarum auctoritatem, aut pondus aliquid valeat. Velim te existimare, quod verum, æquumque est, nihilominus Ecclesiæ Catholicæ corpus vniuersum repræsentari per eos tantu[m qu]i euocati affuerunt, quàm si omnes ad vnum conuenisse[n]t, postea-

quam

quam indicta ad synodum singulis die; nonnulli contempserunt, aut non potuerunt adesse. Optandum quidem certè & tunc fuit, & nunc quoque maximè est, vt ad rem publicam componendã frequentes Episcopi conueniant. Sed iniquum est postulare id ratum non esse quod singuli quique Episcopi suo suffragio (ad quod tamen ferendum vocati venire noluerunt) non approbarunt; sed nolo hæc pluribus prosequi quæ tibi notissima, certissimaque esse scio. Vale, & quod crebro à te postulare soleo, Nuntium Apostolicum in tua prouincia litteris tuis interdum excita, hortareque ad ea, ex quibus florentissimi regni salutem pendere intelligis. Roma Quarto Nonas Nouembris 1560.

EPISCOPO VARMIENSI.

Tridentinum Concilium non esse indicendum; sed continuandum, beneuolentiamque cum Collega retinendam.

ACcepi vno tempore binas litteras tuas cum ternis, aut quaternis codicillis, ex quibus te in grauissimi negotij tractatione summa cum sollicitudine versari cognoui, potiusq; Collegæ aduentu aliquid plus tibi curarum, & molestiæ accessisse, quàm leuatum, aut demptum esse: quæ res certè non mediocriter me perturbauit; non quia verear te ad ferenda omnia satis fortem, aut constantem non esse; sed quòd nolim te vllo modo tantum cuiquam tribuere, vt quæ sanctissimè, prudentissimèque sentias, atque aliàs etiam scripseris, ea vel prorsus reticenda, vel de scriptis tuis delenda, vel negligentiùs tractanda censeas. Fateor enim ingenuè, cum litteræ tuæ ad Summum Pontificem datæ in aliquot Cardinalium euocatorum corona, præsente Pontifice, legerentur, erubui tua causa, miratusq; maximè sum te in Collegæ tui sententiam contra sententiam animi tui adductum non modò ea verba, quæ in litteris ad me missis adscribenda curasti, prorsus deleuisse; sed etiam declarasse te id sentire, vt indicendum potius, quàm continuandũ Concilium sit. Qua de re & si ad me aliter, idest rectissimè, atque sanctissimè scripseras; nolui cuiquam, ne Augustano quidem aliquid indicare, ne leuitatis arguereris; omnibus enim Cardinalibus notus, & carus es; tuæ autem eruditionis, & virtutis apud

tis apud plerosque opinio, atque existimatio per magna est, & honestissima. Quare nolui quicquam tibi decedere; atque ideo à te peto etiam, atque etiam vehementer, vt te vnum in consilium adhibeas, eaque forti animo scribenda esse statuas, quæ rectissimè sentis, tibique persuadeas in eadem te esse causa, in qua cum futuri essent Apostoli moniti sunt à Christo, ne quid præmeditarentur, sed simpliciter responderent quod Spiritus Sanctus admoneret. Sed hæc nolo pluribus. Collegæ tui voluntatem, atque beneuolentiam oro te quibuscunque rationibus potes cura primum, vt retineas; deinde si id ægrè potes, illud certè præstare debes, vt nulla tua culpa alienatum à te esse homines sentiant. Hoc, vt puto facilè assequeris, si quæ offendere eius animum possunt (idest quæ ad perstringendam aliquo modo hominis vel in latinè scribendo ruditatem, vel in loquendo tarditatem spectant) ne leuissimè quid attigeris. Litteras in gratiam Ferdinandi tibi instauratas,& si serò fortasse,tamen aliquando expediendas, mittendasque curaui. Tu quod postulas de Nobilibus Aquisgranensibus,curabis, Augustano vt perscribatur, atque vt nomina,& cognomina omnium ita depicta mittantur, vt facilè legi possint. Ego verò vna cum illo sedulò curabo, vt & illis satisfactum honestè sentias,& fatearis permultũ interesse, quorum hominum opera vtaris. Quod reliquum est æquo animo perfer omnia, vt Ecclesiæ Dei prodesse possis;nunc enim propior est multorum salus cum tua magna laude coniuncta, quàm quum in curatione tantum tuarum ouium maiore cũ animi tui voluptate versabaris. Vale. Roma Quarto Nonas Nouembris 1560.

E I D E M.

Laudat eius diligentiam in conciliandis animis, & in defendenda continuatione Concilij Tridentini.

CVm mihi in multis rebus antehac probata magnopere est diligentia tua,atq; studium in re publica subleuanda, tum proximè multo magis laudaui consilium tuum de eorum conciliandis animis,exquirendisque,quorum auctoritas in nobilissima, potentissimaque Germanorum gente plurimum potest. Quare scito me exemplo litterarum tuarum, quas ad Numburgensem

 Episcò-

Episcopum scripsisti vehementer esse delectatum. In ea enim re (vt plerisque alijs sæpe, quam tu te non tibi, sed vniuersæ fidelium Ecclesiæ vtilitatibus, commodisque natum existimes, atq; etiam profitearis, facilè declarasti. De Bohemiæ Rege quæ postea sunt consecuta, ea ex sententia tua, atque omnium nostrum, vt sint, maiorem in modum opto, cupioque. Quæ de Concilij indictione, deque decretis in Tridentina Synodo nullo modo infirmandis adscripsisti, ea verè tua esse cognoui, idest hominis prudentis, & pij. In ea autem sententia, & si te mansurum spero, atque confido; tamen velim tibi persuadeas perpetuò manendũ esse. Si qui verò aliter sentiunt, dabis operam cum veris rationibus, tum priscorum etiam Patrum exemplo, Catholicæque Ecclesiæ auctoritate, & consensu, vt idem sibi sentiendum esse fateantur. Quod reliquum est opto tibi prosperè omnia succedere, ita, vt in reipublicæ difficillimo negotio laboris, molestiæque te nullius pigeat. Vale. Roma xvj. Calen. Decemb. 1560.

EIDEM.

Modum impetrandi Sacerdotia in Dataria declarat, clariùsque vicinam dignitatem Cardinalitiam indicat.

AD postremas binas tuas litteras, cum quibus Philippi iudicium de Cœna Domini, & Galli ad Camertium Episcopum epistolam, & schedulam tua manu scriptam accepi, breuiter respondeo. Primumque illud tibi denuncio, nihil hìc agi posse, quod Ioannem à Via cupere scribis; nam inter alia, quæ nominatim sunt exprimenda quum beneficium impetratur, census est, aut redditus, & nomen eius, qui proximè mortuus possidere desijt, quod est vtrumque prætermissum. Deinde velim te existimare in vacatione Sacerdotiorum multorum oculos inuigilare, quos credere decet iam ante duos menses vacans beneficium impetrasse. Postremo fac tibi in mentem veniat neminem esse, qui sumptum hìc in expediendis impetrationis litteris cum incertæ rei, tum ignoti hominis causa libenter faciat. Quare alia ineunda necessariò ratio est, si hominem adiutum cupis. De te autem nolim quicquam temere statuas; pluris enim apud nos multo certè es, quàm putas. Propediem verò intelliges quid de tua eruditione, & virtute sentiamus. Nolo tibi

certi

certi quicquam polliceri, vt sunt humana omnia incerta; sed tamen sperare te bene cupio, atque eo animo omnia sustinere, quem te ad vniuersæ Reipublicæ salutem procurandam in isto legationis munere obeundo attulisse oportuit. Nos hìc quæ indigna patiamur pro tua prudentia considerare potes; ad Iuniores de grauissimis rebus deferimus, neque propterea ita offendimur, vt ab officio discedamus. Arbitramur enim nos adiuuandæ reipublicæ causa huc vocatos nullius priuatæ rei ratione̅ nos habere oportere, modò id consequamur, vt reipublicæ prosimus. Eam te cogitationem suscipere ad aliquos saltem menses cupio. Nam de Concilio si quid agendum erit non potest longius protrahi, iam promulgatis litteris reuocationis, & continuationis. Expectamus autem Legatorum designationem, quæ etiam breui fiat necesse est; ante autem id tempus nihil suadeo de te tibi esse statuendum. Deuora mi frater pro Christi Ecclesia subleuanda eas molestias, quibus carere mortales nullo modo possumus, tibique persuade nihil mihi esse tua salute, ac dignitate carius. Cætera, quæ per me cupis curari, diligenter curabuntur. Vale, & Cromero meo salutem dicito, simulque me excusato, quòd tabellarij festinatione coactus nihil illi respondi. Roma tertio Nonas Decemb. 1560.

E I D E M.

Constantiam eius, ac modestiam laudat, sperat que Regis Bohemiæ conuersionem. Denique Archiepiscopi Salisburgensis electionem approbat.

DEcimo nono Calend. binas litteras tuas accepi, quæ tame̅ mihi simul redditæ non sunt. Nam quas breuiores vna cum iudicio tuo de indicendo, vel continuando Concilio ad me post alteras longiores scripsisti, eæ ad me prius allatæ sunt, quas credo te Venetias, atque inde huc per publicum tabellarium curasse perferendas. Alteræ longissimæ cum codicillis tua manu scriptis, itemque exemplo schedulæ Italicè, tuæque ac Delphini communis sententiæ latinè scriptæ, cumque epistola Cromeri, ac prolixo sermone per te cum Rege habito ab Illustriss. Cardinali Mantuano ad me missæ sunt, quibus nunc breuiter respõdebo; multa enim prętεribo quę ex Commenduno coram audies.

Quæ verò ad constantiam tuam pertinent, ea mihi visa sunt à te & prudentissimè considerata, & scripta nuper tam explicatè, vt verè te semper Christianæ reipublicæ salutem spectare oportere, sed non semper eadem sentienda, ac dicenda esse censuisse declararis. Quare nihil est quod de ea re sis sollicitus, cum præsertim quæ fuerit Summi Pontificis in ea deliberatione sententia, atque consilium iam omnibus appareat. Modestiam tuam laudo vehementer, cupioque te æquo animo ferre quæcunque accidunt. Rogo verò etiam, atque obtestor, vt multa dissimulãda tibi esse in animum inducas; modò id agatur, vt Catholicæ religionis causam honestè tuearis. Video te magnam in spem de Rege ingressum, adiuuante Christo, magnum aliquod operæ pretium esse facturum: quod ego semper speraui fore, modò te ille audiret. Nunc autem spem habeo multò meliorem, (quando ille se tibi quasi erudiendum facilè præberet) futurum breui, vt diuino præsidio adiutus hominem ad saniora traducas. Quod si aliqua ex parte à te factum erit, nonne fatearis necesse est, præclarum, atque in primis Deo gratum facinus abs te perfectum esse? sed ego maiora etiam spero. Tu fac animo forti, vt sis, confidasque & tua virtute, & amicorum tuorum opera, te maximas progressiones ad summum existimationis gradum facere. Scriberem ad te plura, nisi me alia multa impedirent. Vale. Romæ xii. Calen. Ianuarij 1560. Cum hæc ad te scripsissem, fasciculum litterarum tuarum accepi, in quo ad Oratorem Lusitanum vnę inscriptæ erant, binæ verò ad Ticinium, vtrisque curaui statim, vt redderentur suæ. Quas autem ad me litteras post sextum, & vigesimum Nouembris diem scripsisse te nuncias, eæ nondum mihi redditæ sunt, neque enim Vittus Gaiel quisquam visus hic est, neque apud Venetos tabellarios, quorum sarcinas, perasq; omnes diligenter peruestigandas, atque excutiẽdas curaui, nulla tua epistola inuenta est, quæ tamen mihi inscripta esset. Quod scribis de Salisburgensi Archiepiscopo iam electo viro pio; erit mihi non minori curæ illius dignitas, quàm gratum certè fuerit pij, ac studiosi hominis electione factum esse, vt publicę vtilitati, ac saluti consuleretur. Iterum vale

Ecce autem antequam hasce litteras complicarem ex Pontificijs ædibus tertius litterarum tuarum fasciculus affertur mihi inscriptus, aperui, reperi post eas, quæ ad me datæ tertio Calen. Decembris erant, alteras ad Augustanum Cardinalem, alteras

ad

ad Ticinium, quas illico misi. Ego verò vehementer delectatus sum (cuiuscunque tandem opera id factum, aut curatum est) Cæsaris pietate, atque consilio in ea re ordinanda, ac reparanda, quæ verè ad officium vestrum pertinet. Quare pergite ambo in eiusmodi rebus, quas multas esse puto, quæ vestræ opis indigeant, omnem operam, diligentiamque adhibere, quoties vel leuissima se offert occasio, vt per eam vobis aditum ad curandum aliquid patefieri posse speretis. Vale iterum, & tertiò plurimum mi Osi, & me ama. Eadem die.

MARTINO CROMERO.

Suspicionem conceptam diluit, declaratque verba præteritæ Epistolæ.

TAm mihi gratæ sunt litteræ tuæ, mi Cromere, cum præsertim locus aliquis incidit, vbi & iudicij tui vim proferre, & suauissimam dicendi copiam explicare possis, vt mirificè delectatus sim proximis litteris tuis. Et si enim ego tibi nullam occasionem dederam omnino, vt in eam sententiam ad me tam sollicitè, diligenterque scriberes; amaui tamen mirificè sedulitatem tuam in ea suspicione diluenda, in quam apud alios quosuis fortasse venire aliquando potueris; certè apud me nunquam fieri poterit, vt venias, adeoque te ab ea suspicione longè semper esse putaui, vt non modò tacitus ita sentirē; verùm etiam disertissimis verbis in ea ipsa epistola, quam ad te quarto Nonas Nouembris scripsi, semel, iterumque declararem; primo quidem sub ipsum litterarum initium, postremo verò paulò ante calcem. Quare noli obsecro existimare, me de te tale aliquid suspicatum esse. Nam quæ ego tibi ad infrequentiæ caput, quod attigisti, respondi, ea velim tibi persuadeas scripta fuisse à me non tua causa, sed eorum, qui sibi putant id vnum ad rescindēda, vel infirmanda decreta Tridentinæ Synodi satis esse. De ijs autem, quæ vulgò ab illis iactantur, me abs te certiorem fieri cum sæpissimè aliàs, tum in ea ipsa epistola planè mihi persuaseram, atque ea causa fuit, cur aliquid in eam sententiam, quam mihi tecum communem esse professus sum, scribendum ducerem. Nunc, mi Cromere, sic habeto, nihil mihi iucundius litteris tuis quam creberrimis, quamquam longissimis accidere posse. Quæ futura sint de Concilio, ea apud me incerta omnino

sunt,

ſunt, vereorque ne qui maximè ab illo abhorrent, omnia tentent, atque experiantur, vt à ſe in quoſuis alios id crimen transferant. Sed Deus Eccleſiæ ſuæ tamen aliqua ratione conſulet, ſi eorum conſilia impedientur, qui bona fide, atque omni diligentia officio ſuo funguntur. Vale, & ſcito me exemplo litterarum Epiſcopi Numburgenſis magnopere delectatum. Roma xij. Calen. Ianuarias 1560.

EPISCOPO PREMISLIENSI.

Mutuis officijs amicitiam colendam proponit institutam testimonio Osij, & Cromeri.

ACcepi litteras tuas humanitatis, egregiæque erga me beneuolentiæ, atque etiam obſeruantiæ plenas, quibus mirificè ſum delectatus. Nam cum ego te honeſtiſſimo duorum grauiſſimorum virorum teſtimonio adductus in beneuolentiam, fidemque meam ita vt alterum fratrem receperim, pergratum mihi fuit, cum te de mea voluntate certiorem fieri, tum mihi abs te in ea re perbenignè, liberaliterque reſponderi, qua vna maximè Chriſtiani, & cenſemur, & verè ſumus. Quare velim tibi perſuadeas ea inter nos amicitiæ fundamenta iacta eſſe, quæ non modò firmiſſima ſemper futura ſint, quum hinc ſolida virtute, inde vero magnorum virorum auctoritate nitantur; verùm etiam ad ſummum facilè ſint peruentura, ſi inſtitutam nuper inter nos beneuolentiam mutuis officijs colendam nobis eſſe omnino ſtatuerimus; quod ego me tibi quauis oblata occaſione cupidiſſimè facturum bona fide recipio. Tu fac, vt quod Oſio, & Cromero noſtri amantiſſimis debere te profiteris, id Deo Optimo Maximo in primis acceptum referas, eiuſque gregem fidei, & prudentiæ tuæ commiſſum ita cures, vt pro tua virili integrum præſtes, illiuſque ſalutem proprijs tuis commodis, atque etiam vita ipſa chariorem, potioremque tibi eſſe facilè omnibus probes, quod ego te pro tua pietate facturum eſſe planè confido. Vale frater in Chriſto cariſſime, & me omnia tua cauſa velle ſperato. Roma pridie Nonas Ianuarij 1561.

EPIS-

Agnoscit eius gratum animum, & curam in promouenda Nuncij Apostolici auctoritate.

DElectauerunt me magnopere litteræ tuæ non ea tantum de causa, quòd mihi de egregia mea erga te voluntate humanissimè gratias agis, in quo tamen grati animi tui expressam imaginem & agnoui libenter, & mirificè adamaui; sed etiã propterea quòd Camertium Episcopi Apostolici Nuntij dignitatem, & commoda meo quoque nomine curæ tibi fore polliceris, in quo diligendo, eiusque consilijs, conatibusque tua auctoritate adiuuandis, si studium tuum, diligentiamque posueris tam mihi gratum erit hoc officium, quàm & Prouinciæ vestræ salutare, & perhonorificum tibi futurum esse intelligo. Quare perge mi Frater in ea re operam tuam Christo, & Ecclesiæ eius nauare, in qua Dei prouidentia apud Serenissimum Regem, regniq; proceres auctoritatem tuam plurimum valere iam pridem vides. Vale. Romæ pridie Nonas Ianuarij 1561.

MARTINO CROMERO.

Gratissimam sibi fuisse Presmiliensis Episcopi commendationem ab ipso, & ab Osio factam. Deque continuatione Concilij Tridentini insistit.

AMicè fecisti, mi Cromere, quum qui tibi sunt coniunctissimi, eos mihi quoque diligendos proposuisti; ita velim sæpe facias. Id enim mihi & semper ante hac fuit, & in posterum futurum est gratissimum. Neque in eo genere quicquam est quod labores amici tui causa dilectum à me quantum diligi par est hominem grauissimo tuo, atque Osij nostri testimonio magnopere laudatum, atque probatum, quod ego illi per litteras prolixè sum pollicitus, bonaque fide præstabo, quum vsus venerit. Me autem præfuturum Concilio, quemadmodum scribis, verè rumor ad vos pertulit; nihil enim adhuc certum est, quod ego sciam. De Nuntio fuit mihi gratissimum quod scribis honorificè, ac perhumanè à Serenissimo Rege exceptum. Vtinã quæ ad prouinciæ vestræ salutem pertinent, ea Dei optimi benigni-

nignitate ita curentur, vt boni omnes, pijque optant. Nam de indicendo, vel continuando Concilio non vereor, quin & Serenissimo Regi vestro, & ceteris etiam principibus, quantum res ipsa patitur, satisfactum sit. Vale, & quod tibi faciendum esse putasti, vt litterarum mearum exemplum ad Episcopum Premisliensem mitteres, id illum (si prius à me epistolam reddendam illi curaueris) sperato esse facturum. Roma pridie Nonas Ianuarij 1561.

EPISCOPO VARMIENSI.

Suspicionem conceptam amouet, excusatque breuē litterarum scriptionem, & silentium circa aliqua.

ET si proximis litteris tuis nullus erat in extremo adiectus dies, tamen, vt ex earum lectione colligere potui, eæ ante diem Diuo Thomæ dicatum scriptæ sunt, vel ipso certè die. Fuerunt mihi in eis nonnulla grata; multa submolesta; sed quod tua manu addidisti, id verò mihi fuit molestissimum. Quamquam nolo te existimare, me nihil tale vnquam suspicatum, cum præsertim multa à multis audiuerim non dissimilia ijs, quæ tibi narrata sunt. De monasteriorum visitatione prudenter fecisti, vt quid Cæsar institueret, quidque tibi agendum videretur, perscripta formula declarares. Erit nunc Summi Pontificis prouidere quid de ea re statuendum sit. Tu, vt ex alteris litteris tuis die xiiij. Decembris datis cognoui, quæ heri mihi redditæ sunt, non æquo fers animo, quòd à me tibi breuissimè ad omnia penè respondetur, ad quædam etiam verbum nullum, putasque id vel assiduis meis occupationibus, vel Latinij tui certè cupidissimi negligentia fieri. Ego verò tibi confirmo nihil horum me ab eo officij genere colendo prohibuisse; sed quod æquum, verumque est statuisse me, de quibus rebus tu ad Sedem Apostolicam referre, quidque ea statuat expectare debeas, de eis ad te nihil priuatim scribere, nisi prius iussus ab illis, quorum est auctoritas. Multa enim quotidie accidunt, ad quæ ego, si tibi respondere velim, id mihi munus sumerem quod aliorum est, in quo & imprudenter agere videri meritò possem, & eorum animos offenderem, quorum mihi partes vsurpare ausus essem. Quare noli mirari posthac, si tibi in scribendo breuior, atque etiam obscu-

obſcurior aliquando videbor. Id enim à me conſultò fiet, ne tibi, mihique ſimul obſim; dum id liberiùs ago, vt animo tuo morem geram, quàm vt dignitati, & officio vtriuſque inſeruiam. Neque tamen velim exiſtimes me hìc in ijs quæ tua cauſa curanda ſunt, aliqua ex parte ceſſare. Ago enim ſedulò quod poſſum, tuæque dignitatis, & commodi rationem habeo, quam cum tua virtus, & probitas, tum verus inter nos amor iure poſtulat; neque ab eo officio vlla vnquam me res retrahere, aut deterrere poterit. Quare facies amicè, ſi meum de aliqua re ſilentium benignè interpretaberis. Noui ego inter quos verſor. Id vnum autem ſemper ſpectaui, & ſpectabo, vt omnium deſiderijs ita reſſpondeam, ne quid interim à me vel dignitati Sedis Apoſtolicæ, vel eorum, quos obſeruare, & colere in primis debeo, detractum, vel contra fidem, officiumque meum, & amicorum commoda factum eſſe videri cuiquam poſſit. De litteris Epiſcoporum erit mihi curæ, vt & tibi, & illorum deſiderio (quoad eius fieri poterit) ſatisfiat. Opto autem vt in hoc negotio mihi liceat quantum cupis, itemque tibi à Deo Optimo eas facultates, vireſque præberi, quibus, & Cæſaris, & Regis animum ad Chriſti, Eccleſiæque cauſam ſuſtinendam, atque tuendam facilè traducere poſſis. Vale, &, vt ſoles, quæ tuæ opis indigent, diligenter curato. Roma pridie Nonas Ianuarij 1561.

MARTINO CROMERO.

Commendationem ab ipſo, & ab Oſio factam pro Paulo Tarlone libenter amplectitur.

DEcimo Octauo Calendas Februarij, quo die in Senatu de confirmatione Leopolienſis Archiepiſcopi actum eſt, litteras tuas ſexto Idus Iunij Vienna datas accepi, quibus mihi Paulum Tarlonem virum, vt tu prædicas, multis nominibus laudatum diligentiſſimè commendaſti. Opportunè igitur in ipſum illum diem incurrerunt, quum de ornando tibi viro coniunctiſſimo deliberatio in frequenti Senatu ſuſcepta eſt, in qua ego honeſtiſſimo, ac grauiſſimo tuo, & Oſij noſtri teſtimonio adductus hominem tot, tantiſque virtutibus, atque opibus præditum ſententia mea adiuui libenter, & ornaui honorificentiſſimè. Quare habes quod tuo, & amici tui deſiderio, & mei item erga

 te amo-

te amoris officio ſatisfactum à me exiſtimare verè poſſis; quod certè mihi gratiſſimum accidit. Ita enim futurum ſpero, vt per te eos mihi coniunctiſſimos reddam, qui ſunt in veſtra Prouincia cum probitatis eximiæ, tum eruditionis, & prudentiæ ſingularis ornamentis maximè illuſtres. Vale, & me ama. Romæ xv. Calen. Februarij 1561.

EPISCOPO VARMIENSI.

Quinis litteris reſpondet, laudatque Iacobum Lainez Societatis Ieſu.

ACcepi intra triduum quinas litteras tuas; primas die trigeſima Septembris datas, quibus mihi Ioannem Dembuitzki commendaſti, qui mihi tua cauſa erit commendatiſſimus. Secundæ datæ erant octauo Iunij die, Leopolienſiſque Eccleſiæ negotium continebant, quod eo ipſo, quo mihi redditæ ſunt die, in Senatu honorificè geſtum, atque perfectum ex ſententia eſt, in quo neque meus erga te amor, neque vllum beneuoli erga illum animi officium defuit. Tertiæ die vigeſimo quarto Decembris ſcriptæ erant, in quibus quid tandem de publicandis indulgentiarum litteris ſtatutum eſſet, probante Cæſare, declaraſti; his adiunctum erat exemplar litterarum tuarum ad Epiſcopum Nūburgenſem, adiunctaque in extremo ſeries, numeruſque epiſtolarum omnium, quas ad me poſt Calendas Nouembris dediſti, quas ego puto mihi omnes eſſe tandem redditas, cum ijs tamen, quæ mihi hodie allatæ ſunt vigeſimo octauo Nouēbris die ſcriptis, in quibus nihil erat præter Horatiani carminis mentionem. Quartæ ſunt tertio Nonas Ianuarij datæ, quum iam Comendunus veniſſet, & ab eo ternas litteras meas accepiſſes. Quintæ verò, vt ſupra oſtendi, poſtremæ omnium mihi ſunt redditæ. Erāt præterea cum ſuperioribus litteris aliæ ad Moronum, & Auguſtanum Cardinales, ad Ticinium complures; vnæ ad inſignem pietate, ac doctrina virum Iacobum Lainez, quæ omnes ſtatim, vt redderentur, curaui. Accepi etiam cū primis iudicium Philippi de Euchariſtia, quod iterum ad me miſiſti ſuſpicatus ne priores tuæ intercidiſſent, quum ad me ſeriùs eſſent perlatæ. Expediui litterarum catalogum. Reliquum eſt, vt ex Ticinio cognoſcam quid agendum ſit, vt Epiſcopi Premislienſis litteræ expediantur,
mittun-

mittanturque, quidque Valentini tui causæ opera mea prodesse possit. Non enim deero, si sciam quid curari necesse sit. Salisburgensis Archiepiscopi causam ornaui tuo testimonio fretus honorificè, quod eo libentius feci, quia præter grauissimum testimonium tuum, putaui id tibi gratissimum futurum Nunc ne sim longior facit Comendunus, à quò te certiorem esse factum de omnibus, quæ non modò hìc acta, aut cogitata sunt certò scio: sed de ijs etiam, quæ posthac futura esse humana coniectura. cõsequi potest. Vale, & me ama. Roma xv Calen. Februar. 1561.

EIDEM.

Probat eius consilia, ac tractandorum negotiorum rationes.

HEri accepi litteras tuas quarto Idus Ianuarij Vienna datas, ex quibus id in primis cognoui & tibi meas omnes litteras redditas esse, & te æquo esse animo, quod intellexeris ad me tuas quoque omnes esse perlatas. De visitatione Monasteriorum quæcunque tibi expedire videbuntur maturè statuas: nã id totum negotium à Summo Pontifice tuæ fidei, prudentiæque commissum est. Cætera ad te longiùs vt scribantur, curabo propediem. Nunc enim neque Latinio otium est, & ego ex podagra iam quatriduum decumbo. Cupio te, quod facis, forti animo tolerare omnes molestias, vt reipublicæ prosis. Consilia tua, rerumque tractandarum rationes adhuc semper probaui, neque video cur te de honestissimo animi tui instituto, prudentique proposito deducere debeam: nam quod ad munus tuum pertinet, si adhibita singulari tua modestia erga Cæsarem, ea Pontificis nomine tractes, quæ tibi mandantur, nunquam ego tibi auctor fuero, vt hominum, quàm Dei offensionem magis verearis. Sed aliàs pluribus. Vale. Roma octauo Calen. Februarij 1561.

MARTINO CROMERO.

Oecumenici Concilij celebrationem, & continuationem commendat.

SI quod est in vniuersa reipublicæ administratione negotium, in quo expediendo minimum liceat ei progredi qui ad gu-

bernacula sedet, id certè Oecumenici Concilij celebratio, atq; absolutio sit necesse est, quando Christianorum Principum voluntas cum potestate coniuncta, si vnius voluntati non pareat, ne quid omnino confici possit, impediat. Quare, & si nos maximè seriò agamus omnia, vt ex omni Christiano orbe conueniãt qui Synodo interfuturi sunt: in aliena tamen potestate positum vides, vt quod instituitur, curaturque seriò, ad optatum finem, exitumque perduci possit. Quare non erunt eorum consilia, conatusque reprehendendi, qui omni studio rem Christianæ reipublicæ maximè necessariã quoquo modo expediendã curant. Tu si quid amori in te meo tribuis, libenter consilio tuo iuuabis eos, qui vel tarditate ingenij, vel exiguo rerum vsu impediti non vident in tua prouincia quid maximè facto opus sit. Id autem quod à te vehementer nonis Decembris petiui, quod vt facias non iam moneo, aut hortor te, mi Cromere, sed planè rogo, atque obsecro. Vale. Roma Octauo Calend. Februarij 1561.

EPISCOPO VARMIENSI.

Certiorem eum facit de plurimis negocijs iam expeditis, certamque spem futuræ dignitatis Cardinalitiæ ei promittit.

ACcepi quinto Calen. Februarij fasciculum litterarum tuarum, in quo vnas ad me tantum reperi, quæ trigesimo ante die scriptæ erant breuissimè, cum in horas Comendunus expectaretur; quæ autem adiunctæ erant ad Ticinium non inanes; verùm auro graues esse ipsæ se tractantibus fatebantur. Quare hominem ad me accersendum statim, eique me præsente litteras reddendas curaui. Quæ ad Illustriss. Borromeum de sermone cũ Rege habito perscripsisti, ea cum sanus ero, firmusque ex illo cognoscam, simulque dabo operam, adiunctis mihi Tridentino, & Augustano amplissimis Cardinalibus, vt de Cytardi commodis aliquid statuatur. Et quod caput est, id in primis curabo, vt ad grauissimos tibi sumptus necessariò faciendos honesta aliqua pecuniarum summa adijciatur, ne tanta, vt scribis, priuatæ rei tuæ iactura, relictis omnibus tuis, rempublicam geras. Ego, quòd longiùs protrahuntur ea, quæ mihi non incertam spem amplificandi honoris tui afferre videbantur, cum dignitatis tuæ causa sum valdè sollicitus, tum etiam quòd mea illa spe videri fortasse pos-

se possum tibi auctor fuisse, vt in Legatione ista & incommodorum, & molestiarum plena diutiùs permaneres. Sed me tamen illud magnopere consolatur, quòd ad rempublicam adiuuandam hoc tempore, quum diligenter vndique circumspicerem, neminem reperiebam, qui vnus & voluntate, & opibus instructior, paratiorque quàm Osius accedere posset. Quæ causa me & honestissimè ab initio impulit, & nunc cum maximè iure impellere videtur, vt in isto Legationis munere obeundo te horter, vt perseueres, nisi tibi certum, exploratumque alicunde est, frustra te operam, & sumptus in ea re perdere: vnde nihil vtilitatis reipublicæ, vel priuatim sperari possit. Equidem (quia omnia tutò litteris committi non poterant) Comenduni profectione ad vos id circo vehementer lætatus sum, quòd ex eo te coram quæ scribere ad te ausus numquam essem, facillimè cogniturum arbitrabar; cum præsertim hominem tui amantissimum, singulari prudentia, peracrique iuditio præditum vltro tibi narraturũ omnia confiderem, quæcunque, vel minimum quoquo modo tua interesse posset, vt scires. Quod ego ab illo diligenter, amicèque factum esse non dubito. Quare si multa leuiter; strictimq; attigi: nonnulla verò nec attingenda quidem mihi omnino statui, boni, rogo te, consule, atque in tractandis, explicandisque Legationis tuæ negotijs, qua adhuc simplici, sed graui, prudentique ratione vsus es, in ea suadeo, vt permaneas, omnique studio cures, vt quorum tibi, atque omnibus auctoritas debet esse sacrosancta, eorum voluntati obsequaris, si qua in re quid abs te fieri velint, aut nolint, nominatim ipsi perscripserint. Ego quis ægritudinis meæ exitus futurus sit nescio: nam præter podagræ malum, laboro etiam febri, Quid autem mihi hac ætatis in summa corpusculi, viriumq; imbecillitate cogitandum sit, pro tua prudentia considerare planè potes. Reliquum est, vt amicissimi tibi hominis salutem, & incolumitatem tuis precibus à Deo ea conditione postules, si modo is pro incredibili ipsius erga nos benignitate longiorem vitæ meæ vsuram Ecclesiæ suæ vtilem aliquo modo futuram & præuidit, & statuit. Vale Roma Calendis Februarij 1561.

Cardi-

CARDINALI VARMIENSI.

Gratulatur ei Cardinalatus honorem, & collegationem ad Concilium Tridentinum.

QVod egregiæ probitati tuæ iam pridem debebatur, vt in amplissimo Cardinalium ordine ad Ecclesiam Dei gubernandam vocareris, nunc clementissimi Pontificis prouidentia factũ esse, & Christianæ primùm reipublicæ plurimum, & tibi deinde, ac mihi vehementer gratulor, optoque eam honoris accessionem cum tibi maximè prosperam, tum Ecclesiæ Dei vniuersæ commodissimam fore. Sed hæc aliàs pluribus. Nunc ad binas litteras tuas breuiter respondeo, quarum priores quinto, alteræ pridie Calen. sunt redditæ. Vides tandem qua ratione, & quidem honestissima, eas difficultates superaris, quæ te valdè perturbabant, nunc nihil est quod Nuntiorum multitudine aliquam tibi molestiam allatum iri verearis: excelsiore de loco multa pro summa animi tui moderatione despicies veriùs, quàm contemnes. Sed breui, vt spero, simul Tridenti erimus, teque, quod maioris etiam lætitiæ causa est, in legatione collegam habebo. Conijcio autem post festa Paschalia profectionem meam dilatum iri, non meæ tantùm debilitatis causa; sed quòd incertum adhuc est quid Christiani Principes statuent. Nam à nobis nullam video moram ad rem perficiendam inijci; pendemus autem ex aliorum voluntate, vt si fieri potest, summa omnium concordia, & pace transigatur negotium, quod ad omnium maximum, præcipuumque commodum, vel potius salutem pertinet. Quare sustine fortiter paucorum dierum molestiam, vt tuo consilio, & opera Ecclesiæ Dei in summo discrimine positæ opem feres. Vale, & scito me tibi ex animo hanc honoris amplificationem gratulari. Roma Calendis Martij 1561.

MARTINO CROMERO.

Gratulatur Osij dignitatem amico, & optat Regis assensum ab ipso obtinendum.

GRatulaberis primùm meo nomine Osio nostro honorem Cardinalatus, eoq; vt totius Christianæ Reipublicæ commodo

modo frui illi per Regem liceat quoad eius fieri poterit, dabis operam, vt facilè obtineat. Quamquam enim de egregia, optimaque Regis erga illum voluntate quæcunque volumus, spero. Vereor tamen ne aliquorum improborum consilijs abstrahatur, fiatque difficilior ad eam rem assensus Regis, quem Summus Pontifex per litteras adhortatus est, vt Reipublicæ causa Osium in Cardinalium ordinem cooptatum esse æquo animo ferat, si forte quid esset, quamobrem suorum clientium cupidissimorum honoris amplificatione non magnopere hoc tempore delectaretur. Cętera quum erit otium scribam ad te pluribus. Vale. Roma Calendis Martij 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Gaudet Cæsarem gratissima habuisse Pontificis dona.

MAgna molestia leuauerunt me proximæ litteræ tuæ, quum ex illis cognoui commodissimè cessisse dona Pontificis, animumque Cæsaris in ijs accipiendis gratissimum apparuisse. Faxit Deus Optimus Maximus, vt cuius opera permotus Cæsar putauit sibi ornamento fore si Sanctæ huius Sedis munera reuerenter acciperet, eius quoque auctoritate, & prudentia adducatur, vt quoad eius fieri potest Christianam Rempublicam saluam esse & velit, & summo studio curet. Ego quod tibi nunc præter ea scribam nihil habeo. Expecto autem breui aliquid de profectione mea, quò certius ad te scribam. Nam, vt ego quidem sentio, non longum erit. Tu, nisi fallor, multorum litteris nouum honorem tibi gratulantium occupatissimus in rescribendo eris. Quare nolo te pluribus detinere. Vale. Roma Nonas Martij 1561.

EIDEM.

Certiorem facit eum de electione Collegarum Cardinalium Siripando, & Simonetta in Legatione ad Synodum Tridentinam.

CVm quarto Idus litteras tuas Canobius mihi reddidisset, ab eoque multa honorificè de te, deque summa tua in

negotijs pertractandis cum Cæsare prudentia, & dexteritate cognouissem, allatæ mihi heri alteræ tuæ sunt tertio Calendas Martij datæ, ad quas breuissimè tibi respondebo. Nam de Valentini tui causa Ticinius (id enim mihi se curaturum promisit) pluribus verbis perscribet, meoque etiam nomine te submonebit quæ necessariò lites sequuntur, eæ nullo consilio vitari posse. De Concilio, vt vides, liberum sibi esse putat vnusquisque pronunciare quod sentit, vel etiam fortasse quod cupit, aut studet. Sed tamen breui res ipsa ostendet, verisne, an confictis impedimentis à nobis, an ab alijs negotium differatur. Quæ scripserint Nuntij non vidi; tibi tamen libenter assentior; nam eiusmodi multa sæpius accidisse ex alijs didici, & aliquando ipse comperi. Sed quid facies? homines sumus. Tu, quod magno desiderio expectabam, cum *Siripando*, & *Simonetta* Reuerendissimis Cardinalibus adiunctus nobis collega es in Legatione ad Synodum. Faxit Deus Optimus Maximus, vt in grauissimo negotio perficiendo omnes omnium Ordinum, & nationum voluntates, & *studia ita coëant*, vt vnum omnes & velimus, & sentiamus; atque *interim quæ istic de monasteriorum* visitatione auctaritate tua incohata sunt, ea perfecta omnia ex bonorum sententia propediem audiamus. Reliquum nihil est quod hoc tempore ad te scribam, nisi me Canobij de te perhonorifica prædicatione ita delectatum, vt quoniam tibi præsens præsenti tantas honoris accessiones gratulari non possum, veris laudibus *tuis* & *audiendis*, & commemorandis videar aliqua ex parte *desiderij mei ardorem restinguere*. Ego non dum domo pedem effero, quòd imbecillitate crurum, & ipsorum in primis pedum debilitate corpus sustinere per me non possum; sed spero tamen breui vires recuperaturum. *Vale*, & me, quod benignè semper fecisti, amicè dilige. Roma Idibus Martij 1561.

MARTINO CROMERO.

Electionem Cardinalis Osii, & Collegarum pro Legatione ad Tridentinum Concilium gratam fuisse demonstrat.

QVòd tantopere Ecclesiæ Dei gratularis gaudeo; quòd autem mihi quoque eo nomine gratulandum duxisti, quòd Collegam virum amplissimum, summaque prudentia, & pietate prædi-

præditum nactus sum in grauissimo munere sustinendo, fuit id mihi mi Cromere & maximè gratum, & Ecclesiæ tranquillitatis causa magnopere exoptatum; nunc verò quando trium præterea Collegarum præsidio munitum me vides, virorum singulari eruditione, & probitate illustrium, quanta mihi cum bonæ spei, tum solidæ quoque lætitiæ accessio facta sit, tu pro tua prudentia considerare facilè potes. Faxit Deus Optimus Maximus pro immensa sua erga nos benignitate, vt ad pristinum Ecclesiæ suæ decus restituendum opera nostra ita vtatur, vt tu religiosissimè optas. Si qui verò sunt qui in hoc summo Christianæ religionis, pietatisque discrimine non Dei honorem, & cultum saluum, atque integrum conseruatum volunt; sed proprijs vel commodis, vel gloriæ fauent; horum animos, vt in salutis viam reuertantur, Christus ipse, cui tanti fuimus, orandus est, vt pro incomparabili ipsius caritate ad amplectenda veritatis studia traducat, & reuocet. Quod ego te, bonosque omnes assiduis precibus à Deo postulare certò scio. Vale. Romæ xi. Calendas Aprilis 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Laudat electionem Collegarum in Legatione Contilij Tridentini.

SI Summi Pontificis iuditium in Legatis ad Synodum designandis laudare satis non potes, iam vides planissimè quãtum id ipsum ego tibi vicissim, & Ecclesiæ Dei gratulari debeam. Mihi verò quòd iure gratularis eo nomine gaudeo, nam in grauissimo munere administrando multorum prudentia nitar; quos autem optare poteram Collegas sapientiores, meiq;amantiores mihi dari, quàm qui dati sunt? Quare in spem certam veni fore, vt ex sententia succedant omnia, quando initia tam prospera ceciderunt. Magna, & quidem meritò apud omnes est Collegarum meorum probitatis, eruditionisque opinio; spectata sæpius eorum est in rebus arduis agendis industria; itaque bono animo sum, speroque Deum Ecclesiæ suæ calamitates miseratum, tandem aliquando eius tranquillitatem nobis redditurum. Quæ improbi calumniatores semper ausi sunt, atque hoc maximè tempore comminiscuntur, non valde me commouent; persistent ij modo in fide, & officio, quorum opibus Eccle-

sia ad vim prohibendam, rebellesque coërcendos vsa semper est. Non potuit autem abs te responderi aptius Protestantium cauillis, quàm qua responsum est ratione. Ex rei enim exitu pendent; dumque aliud non habent quo suam impudentiam excusent, obuia quæque arripiunt, vt tantisper saltem delitescant; nisi forte falso eo rumore sparso, putant nos alioquin satis currentes ad maturandam Synodum acriùs incitari; quod si faciũt benè sperandum planè est. De studijs hominum vana interdum scribentium, vt Principum auribus blandiantur, eorumque animos capiant, non est quod miremur, in eam partem vt sunt homines propensiores, ita minus mirandum est, si frequentes peccant. Vale. Romæ xi. Calen. Aprilis 1561.

MARTINO CROMERO.

Gaudendum esse in Osii exaltatione ad purpuram; sed summos honores sequitur rerum inopia.

NEmo est, opinor mi Cromere, qui Osium nostrum Ecclesiæ Dei non gratulatur ex animo Senatorem obtigisse. Ego verò ita sum gauisus eius honore, vt nemini planè concedam, speroque Christianæ reipublicæ non mediocrem fructum summam hominis probitatem cũ summa eruditione coniunctam citò esse allaturam, atque ea causa est, cur maiorem in modum cum mihi ipse gaudeam, tùm Ecclesię vniuersæ gratulor. Osio quidem certè, vt nouam hanc amplissimi honoris accessionem splendididissimo ornamento, & gloriæ futuram video, sic etiam non dubito aliquid secum allaturam esse molestiæ. Multa enim sunt, mi Cromere, quæ summos honores necessariò sequi solent incommoda, inter quæ (& si plerique aliter sentiant) non postremum locum tenet rei familiaris angustia, cui incommodo in multa inopum Cardinalium copia solus Pontifex mederi non facilè potest, posteaquam eò ventum est, vt Christianorum Regum, & Principum arbitrio pinguiora Sacerdotia condonentur. Quare amici hominis officio fungeris, si, quoad eius fieri poterit, Regi tuo Serenissimo persuaseris, vt studiosissimi clientis sui singularem virtutem, atque egregia merita, insigni aliqua liberalitate sua, vt tantum Principem decet, ornatam velit. Ego decem iam annos hoc saxum verso quanto labore, & vigilijs non est

est meæ verecundiæ prædicare,non dum tamen ad quatuor millia perueni. Sed Deus hæc sapienter simul, benignèque largiri semper solet. Eius igitur prouidentiæ libenter ea permittamus. Ante diem ab hinc quintum Reuerendiss. Augustanus ad me librum tuum de Ecclesia Dei tertium misit vna cum litteris tuis Calendis Februarij datis. Fuit mihi gratissimum munus tuum etiam eo nomine,quòd me tanti esse putasti,vt eruditissimis scriptis tuis mediocre quidem nomen meum,sed abs te summis laudibus eleganti epistola tua celebratum alicui ornamento futurũ esse peramanter crederes. Ego hoc verè affirmare tibi possum, nunquam me, vel minimam earum laudum partem agnouisse, quibus tu me pro summa tua humanitate, atque eximia erga me beneuolentia cumulasti. Legam igitur libenter monumenta ingenij tui, atque, vt spero, ita mihi probabuntur, vt quæ ab homine prudentissimo, egregiaque cum rerum cognitione, tum etiam suaui, elegantique dicendi copia prædito profecta, elaborataque fuerunt. Vale, & me ama. Roma quarto Calendas Aprilis 1561.

REGI POLONIAE.

Canobium à Pontifice mittendum commendat.

CVm Summus Pontifex ad Maiestatem tuam mittat R. Bartholomæum Canobium virum singulari probitate, magno rerum gerendarum vsu, summaque industria præditum; nolui committere, vt is sine meo testimonio virtutis suæ proficisceretur ad Maiestatem Tuam, præsertim quam ego semper quibuscunque possum officijs, studijsque religiosissimè colo, atque obseruo. Quamquam autem Canobij fidem, atque industriam ipsa per se Pontificis electio, iudiciumque apud omnes plurimũ commendare meritò debet; tamen beneuolentiæ meæ erga illũ partes esse existimaui, vt Maiestati Tuæ hominem diligenter cõmendarem. Fecerit igitur Maiestas Tua pro summa ipsius humanitate, si Canobium ita complectetur, vt ille facilè intelligat aliquid sibi hanc meã commendationem profuisse. Valeat Maiestas Tua felicissimè. Roma pridie Idus Aprilis 1561.

CARDINALI MADRVTIO.

Eius præclaras virtutes prædicat, initamque inter eos amicitiam fouet.

MVltas ego ſemper exiſtimaui eſſe cauſas, eaſque etiam grauiſſimas, quibus, vt de te, tuiſque virtutibus egregia omnia, ſummaque ſperarem adduci meritò deberem, nam cum iam pridem de præclara tua indole, ſummo ingenio, accerrimaque ad liberalium diſciplinarum ſtudia voluntate ex honeſtiſſimorum virorum ſermone multa cognoueram; tum mihi vnus Patruus tuus vir Illuſtriſſimus ad maximas res gerēdas, atq̃ue ad nobiliſſimæ familiæ ſplendorem ſummis laudibus ſua virtute illuſtrandum natus facilè perſuadere debebat, te talem fore, qualem tot fortunæ, ingenijque præſidijs præditum, tantis domeſticis ornamentis auctum, tam claris maiorum imaginibus, exemplisque incitatum virum eſſe oportuit. At verò eximiam humanitatem tuam, quam mihi vltro cum magno egregię tuæ erga me voluntatis ſignificatione per litteras detuliſti; quum mecum ipſe reputo nullis me vnquam officiis, nullis obſequiis eſſe promeritum, facilè perſuaderi mihi patior, non dum me præclaræ virtutis tuæ magnitudinem omni ex parte cogitatione comprehendiſſe. Vnde fit, vt cum meritò te magnopere admirer, faciamque plurimi, tum maximas etiam gratias tibi agam, quòd ſingulari humanitate tua, litteriſque grauiſſimis ad me perhorificè ſcriptis aditum mihi, & quaſi fores ad amicitiam tuam aperueris. Nam quod ad meas laudes attinet, quarum ego ne minimam quidem partem agnoſco, in eo vim amoris erga me tui libenter aſpexi, cui quibuſcunque potero officijs dabo operam; vt reſpondeam; quod ſi minus, quàm par eſt, adſequar; teſtatiſſimam tamen apud omnes relinquam grati animi mei voluntatem, ita vt ſperem, planèque confidam obſeruantiæ meæ erga te non paucis in locis, aut obſcuris; ſed plurimis, illuſtribuſque ſemper extatura eſſe altiſsimè impreſſa veſtigia. Tu verò quem pro incredibili animi tui humanitate amandum ſuſcepiſti, eum perge, rogo te, diligere, atque tueri. Erit id proprium humanitatis tuæ, ſingulariſque animi magnitudinis; quo nomine video iam non modò me tibi, Patruoque tuo Illuſtriſsimo; ſed pleroſque omnes plurimum quamlibentiſsimè debere. De miſera

sera temporum conditione magnopere omnes debemus esse sol-
liciti,cum eo tamen ne desperemus tandem aliquando futurum,
vt Ecclesiæ suæ cladem miseratus Iesus Christus, religionis dis-
sidijs sublatis, in vnam omnes sententiam, vnumque veræ pie-
tatis cultum reuocet. Quod si mihi, qui iam affecta ætate sum,
videre non continget; consolabor me tamen ea spe, quòd tua,
tuorumque similium virtute(qui ad rempublicam regendam in
hunc amplissimum ordinem nuper magna bonorum omnium
consensione,& voluntate cooptati estis)quandoque Ecclesia Dei
in pristinam dignitatem, splendoremque vindicabitur, ac resti-
tuetur. Ego,quòd mihi munus honestissimè quidem certè Lega-
tionis impositum esse gratularis, ita accipio, vt multum mihi
deesse profitear virium ad tam graue onus sustinẽdum;sed Col-
legarum meorum prudentia, atque eruditione,in primisque Dei
benignitate fretus quacunque potero ratione enitar, vt publicæ
salutis causa nihil me laboris,nihil molestiæ subterfugisse vnquã
intelligere omnes possint. Tu, quam tibi pulcherrimo Maiorũ
tuorum exemplo absolutæ virtutis,singularisque eruditionis ho-
nestissimam gloriam comparandam proposuisti, ad eam felicis-
simè contende, meque ita in amicitiam tuam, clientelamque
complectere, vt nihil mihi iucundius, nihil gratius accidere pos-
se existimes, quàm si me omnia tua causa magnopere volentem
ad dignitatem tuam, voluntatemque cogitationes meas omnes,
operam, studium, ac diligentiam cupidissimè semper delatu-
rum esse planè tibi persuaseris. Vale Roma pridie Idus Apri-
lis 1561.

MARTINO CROMERO.

*Christianæ Reipublicæ statum deplorat, speratque meliorem conditio-
nem ex Concilij Tridentini celebratione.*

LItteras tuas quarto Calendas Aprilis datas triduo ante ac-
cepi, in quibus me valdè delectauerunt codicilli tua ma-
nu & scripti, & inserti. Quamquam enim Varmiensis Cardina-
lis profectio sit tibi futura molesta propter suauissimam tanti vi-
ri consuetudinem,qua necessariò carebis;tamen reipublicæ cau-
sa libenter nostra priuatim incommoda ferenda sunt, vt tu sa-
pienter facis. Quòd frigidè peractam in Polonia Synodum scri-
bis

bis afferri, non placet. Vtinam autem, quam Tridenti Summus Pontifex diligentissimè curat, ad eam Christiani Principes ea volnntate, qua debent, adiuuandam se conferant: vt aliquando bonorum studia potentium opibus adiuta reipublicæ saluti, fauente Deo, consulere valeant. Quid sit omnino futurum non video. Illud autem satis video in eum statum religionis causam apud Gallias propediem deductum iri, vnde non sine magno periculo, multorumque calamitate in pristinum reuocari possit; nisi pro sua immensa pietate Deus inclinatis, atque propemodum afflictis religionis rebus extemplò succurrat: quod, vt faciat assiduis ab eo precibus postulare omnes debemus. Vale. Romæ xiij. Calendas Maij 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Optat scire an Cardinalatus dignitas ei collata, fuerit grata Poloniæ Regi.

HAec ego ad te superioribus diebus Canobio dederam, qui mihi ad vos illicò profecturum se confirmarat; sed quum illum adhuc nescio quid expectare audiam, verearque ne silentium meum accuses, volui ad te alterum exemplum mittere. Cupio autem à te certior fieri quum primùm Tridētum perueneris, priusque etiam, si tamen aliquid certi erit, quo animo Serenissimus Poloniæ Rex honorem Cardinalatus oblatum tibi à Summo Pontifice acceperit, quibusque verbis de ea re vel gratulatus tibi sit, vel certè ad litteras tuas responderit. Erit certè mihi gratissimum, si id illicò ad me perscribendum curaris. Pendeo enim adhuc sollicitus non de tua aliqua dignitate, verùm de cōmodis tuis; quanquam spero meliora de Regis benignitate. Vale. Romæ xiij. Calen. Maij 1561.

EIDEM.

Sperat Regis Poloniæ propitiam erga eum voluntatem.

ET si de Serenissimi Regis voluntate erga te benè semper speraui; maluissem tamen aliquid abs te scriptum esse, quo sine vlla sollicitudine planè versarer. Multa quidem sunt quæ

mihi

mihi persuadere quasi videntur posse nihil esse de Regis voluntate dubitandum : sed non facilè fit, vt qui mirificè diligit, idem etiam non timeat omnia. Si Archiepiscopus, vt scribis, bono animo te esse iubet, certè, vt ego quoque meliore spe sim, facit. Non enim tanti fore apud Regem in euertendis bonis, amplissimisque viris improborum hominum studia puto, quanti in subleuandis, ornandisque eisdem futura est auctoritas multorum, quibus & morum grauitas, & præclara virtus, vt iure plurimum tribuatur ab vniuersis ordinibus, iam pridem fecit. Hæc ego mecum sæpe cogito; sed tamen auidè expecto, quid mihi certi afferatur, vt omni prorsus metu vacem. De Canonicatu nihil opus est scribere. De sumptibus autem, qui in dies maiores accedunt; mihi certè molestissimum est: sed tibi non deerit, opinor, ratio, qua facilè explicare te ex ea difficultate valeas; vt enim humana præsidia omnia desint (nisi desis ipse tibi) nunquam profectò deerit pro sua benignitate Deus, quem precor, vt te incolumem seruet, & voti compotem faciat. Vale. Roma Quinto Nonas Maij 1561.

EIDEM.

Mittit exemplum Epistolæ ad Regem scriptæ.

DVabus tuis epistolis ideo breuiter respondendum putaui, quòd longissimè mihi videor tua causa ad Regem scripsisse, quarum litterarum exemplum ad te mitto. Ego uerò cum rarissimè in publicum exeam, quid ad te idem Rex scripserit ex exemplo, quod ad Cardinalem Borromeum curasti, videre non potui. Scripsi tamen quæcunque mihi in mentem ad rem tuam iuuandam venire extemplò potuerunt. Puto autem me amici hominis officio satis religiosè functum : opto verò, vt multorum coniuncta studia, & preces cum summam tibi animi tranquillitatem, tum etiam magna ad vitam commodè transigendam præsidia pariant. Ego, quantum potero, semper enitar, vt dignitatis tuæ ratio ab omnibus vbique habeatur. & si quid erit allatum certi ad te da operã, vt illico sciam. Roma XV. Calendas Iunij 1561.

REGI

REGI POLONIAE.

Commendat Cardinalem Osium, eiusque egregias virtutes, ac labores prædicat, quem etiam testatur fuisse semper alienum à dignitate Cardinalitia.

ET si ego de summa Maiestatis Tuæ clementia, optimaque erga bonos voluntate præclarè semper sensi, quòd in subleuandis, atque ornandis viris probis, qui mos laudatissimorum Regum proprius est, propensissimam Maiestatem Tuam antehac semper fuisse acceperam; facit tamen & amicissimi hominis, & totius reipublicæ Christianæ causa, salus, & dignitas, vt ad egregiam Maiestatis Tuæ voluntatem incitandam, atque inflammandam, aliquid scribendum esse putem. Inter spectatæ virtutis, singularisque eruditionis viros à Maiestate Tua suorum Maiorum exemplo ad Ecclesiarum regendarum munus electos Stanislai Osij virtus, & probitas ita elucet, vt ante aliquot annos non modò vicinas prouincias; sed remotissimas etiam regiones peruagata est, vt quemadmodum quatuor Summorum Pontificum, ita etiam plurimorum Principum virorum animos ad ipsum mira beneuolentia complectendum facilè adduxit. Quare factum est, vt cuius opera exigua Ecclesia Varmiensis permagnos fructus ferret; ab eo vniuersa Christi Ecclesia in summo discrimine posita opem, atque præsidium pro suo iure postularet. Euocauit Paulus Quartus hominem (quod Maiestas Tua optimè nouit) ægrè ab Ecclesia sua, atque à grege curando diuelli se patientem; paruit tamen, vt par erat, Pontificis præcepto, cũ Maiestati Tuæ profectionis suæ causam probatam esse cognouisset: Auxit hic apud nos præsentia sua opinionem; ita, vt cognita summa viri probitate, atque modestia; in primisque eximia sacrarum rerum cognitione cum non vulgari latinè dicendi, scribendique facultate coniũcta. Vnum Osium in summo hoc Christianæ religionis discrimine à Deo Ecclesiæ suæ datum plerique omnes interpretamur, cuius virtute cum non mediocri multorũ vtilitate Respublica vti hoc tempore opportunissimè posset. Quare quum primùm Summo Pontifici Pio Quarto Ecclesiæ vniuersæ cura commissa est, nihil prius, aut antiquius visum est, quàm, vt ad conuocandam Synodum Christianorum Principum animos accende-

accenderet, atque ad eam rem perficiendam Osium Legatum ad Cæsarem mitteret, cuius optima fide, & industria sperauit pijssimi Principis studium, & voluntatem ad tantam rem aggrediendam facilè sibi adiunctum iri. In ea igitur Legatione egregiam operam Ecclesię Dei nauantem Osium Summus Pontifex in Cardinalium Collegium, vniuerso Senatu approbãte, adlegit. Eum autem gradum tantum abest, vt numquam ambiuerit Osius, vt me deprecatore aliquando apud Paulum Quartum sit vsus, ne in nostrum Ordinem adscriberetur. Hæc ego, vt gesta sunt, volui Maiestati Tuæ commemorare, vt planè intelligeret nihil cupisse vehementius, nihil postulasse, atque etiam efflagitasse ardentius Osium, quàm vt ipsi ad Ecclesiam suam curandam redeundi facultas aliquando concederetur. Videbat enim fore, vt si quid ipsi ad pristinam dignitatem noui splendoris accederet, multorum animi, qui rebus nouandis student, eam occasionem cupidè arriperent, vt se, si possent, prorsus euerterent, vel certè, vt Maiestatis Tuæ animum, atque egregiam illam pristinam voluntatem ab ipso alienarent. Ego verò nunquam mihi persuadere potui, tantam inueniri hominum impudentiam, tantam improbitatem, quæ in opprimendo viro innocentissimo de Catholica religione optimè merito apud Maiestatem Tuam plus posset, quàm in eodem tuendo bonorum omnium studia, & constans eiusdem Maiestatis in ornando, & diligendo vetere cliente suo iudicium, atque propositum. Quæ me ratio etiam impulit, vt sperarem, vt quemadmodum florentissimo Poloniæ regno magnum decus accessit propter honorem Osio à Summo Pontifice tributum, ita Osio quoque à Maiestate Tua liberaliter multa ornamenta adderentur, vt testatum omnibus post se relinqueret in subleuandis, ornandisque optimis viris, cũ regni primùm sui, cum totius Christianæ reipublicæ causa non benignam modò operam; sed regias etiam opes liberaliter posuisse, quod si non dum factum est, Maiestatem Tuam etiam, atque etiam rogo vehementer, vt veterem clientem suum virum optimum, eiusdemque ita studiosum, & cupidum, vt nihil supra, hoc maximè tempore complecti sua benignitate, ac liberalitate velit, neque patiatur viro minimè ambitioso oblatum à Summo Pontifice honorem Cardinalatus detrimenti quicquam afferre, etiã si quid esset aduersum eum, vel consuetudine regni, vel aliqua constitutione omnino cautum. Ea enim in reipublicæ tempora

incidimus, vt multa pro rerum necessitate mutanda, multa etiã adinuenienda sint noua remedia ad noua subinde mala exorientia propulsanda. Osij opera in Concilio celebrando quàm vtilis vniuersæ Ecclesiæ sit futura, Maiestas Tua videt. Est enim vir non modò in scripturis sacris; sed etiam in omnibus de religione controuersijs exercitatissimus. Quare si reipublicæ totius causa à Varmiensi Ecclesia aliquantisper abesse coactus erit, Maiestatem Tuam obsecro, ne patiatur eam rem Osio fraudi esse. Si enim præsens nunc Ecclesiam suam curaret, vt publicam omnium salutem iuuare sua opera, & consilio posset, non dubito, quin Maiestas Tua æquum esse statueret, vt à Varmiensi Ecclesia ad vniuersæ Ecclesiæ vtilitatem, & pacem procurandam adduceretur. Quum autem publicæ salutis ratio in Concilio Oecumenico satis erit constituta, redibit Osius libentissimè ad Ecclesiam suam; nõ modò quia id sibi oneris impositum à Deo religiosissimè sustinere pro virili nititur; sed etiam quia Maiestati Tuæ in ea re gratissimum obsequium se præbiturum intelligit, cui quia plurimũ debet, ideò summo quoque studio dat operam, vt facilè & gratum animum suum probet, in eo præsertim munere obeundo, in quo se scit à Deo propter ouium sibi commissarum salutem positum esse. Quare, ne sim longior, Maiestatem Tuam supplex oro, atque obsecro, vt veterem clientem suum complectatur. Petit id ab ea Summus Pontifex, petit vniuersus amplissimus Ordo, petit, atque contẽdit summis precibus Respublica tota Christiana, quorum omnium obsecrationes, & preces pro ea pietate, quam Deo, & communi omnium saluti debet Maiestas Tua, nõ dubito quin benignissimè sit exauditura. Valeat eadem felicissimè, & me sibi deditissimum beneuolentia sua non indignum esse existimet. Romæ xv Calend. Iunij 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Pontificis cubicularium ab eo commendatum libenter excipit, absentiamque ab Ecclesia Varmiensi excusandam.

CVbicularium Summi Pontificis, quem mihi diligentissimè commendasti, quibuscunque officijs potero, libenter tua causa prosequar, & adiuuabo. Accepi biduo ante litteras tuas longissimas pridie Nonas datas, cum quibus & litterarum Archiepis-

chiepiſcopi ad te exempla, & tuarum ad Regem, itemque ad Epiſcopum Cracouienſem accepi. Perlegi diligenter omnia, atq; vt, quod ſentio, ſtatim dicam. Ea lectione non mediocri ſum leuatus ſollicitudine, quæ me vehementer angebat. Poſteaquã enim ex reſponſo tuo ad Regem animaduerti, propterea tibi periculum denunciari, quia Eccleſiæ Varmienſi, à qua curanda nouus honor neceſſariò abducere te videretur, præſens præeſſe non poſſes. Eam ego cauſam, quia neque neceſſaria, neq; perpetua futura erat, non exiſtimaui obeſſe tibi quicquam debere; cum quantum in te eſt, & nunc ad Eccleſiam tuam regendam libenter redires; & quum erit abſolutum Concilium (in quo etiã ſi Epiſcopus tantum eſſes, adeſſe te, mandante præſertim ipſo Rege, neceſſe fuerat) non video quid impediat quò minus, multorum etiam Cardinalium exemplo pręſens Eccleſiam tuam curare poſſis. Quare ſpero tibi, Deo adiuuante, feliciùs omnia proceſſura. Multum in tua virtute, multum etiam in benigna Regis voluntate erga te ſpei poſitum eſſe video; bonorũ verò ſtudia, totq; virorum Principum tam graues, diligenteſque commendationes aliquid omnino impetrabunt. Scripſi ego longiſſimè ad Regem, vt potui, non dum autem eius litterarum exemplum vidi, cupioque & officium meum tibi probari, & adiumento etiam eſſe. Quod ſi conſequor nihilo minor ad me voluptatis fructus, quàm ad te planè redibit. Vale. Roma Nono Calen. Iunij 1561.

EIDEM.

Ad Concilium profectionem parat, Cardinales in litterarum inſcriptionibus non ſolent appellari Epiſcopi.

Binas litteras tuas diuerſis temporibus accepi, ex quibus quo animo Sereniſſimus Rex Canobij profectionem proſecuturum ſe polliceatur cognoui, ſimulque illud nihil tibi reſcribi hinc ad plurimas litteras tuas. Quod autem erat in extremis additũ de rumore diſceſſus Cardinalis Mantuani, planè rumor fuit. Nam quod attinet ad Concilium vrgemur iam, ita vt profectionem adornemus. De Rege quod nullam Epiſcopi appellationem tibi tribuat, non video, cur eſſe ſollicitus debeas; neque enim id tibi neceſſariò tribui debere intelligis facilè ex omnium penè litteris, qui te Cardinalem Varmienſem tantum, non etiam Epi-

ſcopum appellant; neque eſt præter te quiſquam, qui me Archiepiſcopum Barienſem nominet, niſi ſi quid incidit, in quo Archiepiſcopi auctoritas neceſſaria ſit. Quare nolim te in eo acutiorem, aut nimis ſuſpicioſum eſſe; quod ipſum per ſe commodiſſimè interpretari potes. De profectione Cæſaris in Vngariam primùm, deinde in Boëmiam, & Germaniam expecto quid factum ſit. Te autem non video cum tua dignitate Cæſarem ſequi vllo modo poſſe. Hìc quid actum, impetratumquue ſit quod attinet ad nũmos, iam puto ex Ticinij litteris te cognouiſſe. Te autem modeſtiæ tuæ conſcium decet etiam exiſtimare, ſcribas ſæpe numero vel parum attèntos, vel nimium occupatos non omnia verborum pondera ita expendere, vt & perſonæ, & rei dignitas, grauitaſque poſtulat. Quare quod reſcripſiſti maximè probaui. Ego nullam tuendi tui occaſionem, nullum locum omitto. Si quid perficiam cognoſces ex alijs. Vale. Roma xiiij. Calend. Auguſti 1561.

MARTINO CROMERO.

Profectionem ſuam ad Concilium Tridentinum proximam fore ſcribit.

RESCRIPſiſſem ad te prius, mi Cromere, ſi quid hoc tempore fuiſſet, quamobrem reſponſum abs te meum expectari putaſſem. Verùm nihil neque fuit, neque nunc planè eſt, quod ad te ſcribi oportere exiſtimem. Suſpenſus autem ſum de Cæſaris profectione; nam & ſi non ſatis video cauſæ eſſe cur Varmienſis noſter eum ſequi oporteat; tamen non quieſco; dum & illum profectum in Vngariam, & hunc Tridentum iter arripuiſſe audio, quò nos propediem cogitamus. Cætera ex aliorum litteris cognoſces. Vale, & me, vt ſoles ama. Roma xiv. Calen. Auguſti 1561.

IOANNI CHRISTOPHORO COMITI IN TORNAVV.

Conſolatur eum in Patris abitu.

IN maximo doloris ſenſu, quem mihi litteræ tuæ attulerunt propter mortem ſummi viri, meique amantiſſimi Patris tui, quem

quem ego secundum Regem vestrum semper omnibus officijs colui, plurimique faciendum putaui; Id vnum me non mediocriter consolatur, quòd eo loco virtutem, animi tui positam esse intelligo, vt omnes humanos casus facilè ferat. Id ego non modò ex egregia tua indole, quæ mihi, omnibusque, qui te norunt, ad summam laudem, atque ad præclara facinora natum esse pollicetur; verùm etiam ex singulari animi tui modestia, ac probitate semper speraui. Quare litteris tuis variè sum affectus. Cum enim virum tam prudentem, tanta auctoritate apud Regem, regnique totius proceres amiserim parentem tuum, cum quo mihi summæ beneuolentiæ iura iam pridem intercedebant, non potui multis nominibus eam iacturam non magnopere dolere. Verùm cum cogitationem meam refero ad naturæ nostræ conditionem, videoque aliquando tandem omnibus hinc migrandum esse, ad veriorem vitam, eamque nobis propriam, atque perpetuam à Deo paratam esse; vt beati post hanc corporis molestam molem depositam sempiterna felicitate fruamur, ita afficior, vt subpudeat interdum prioris sententiæ; sed tamen nequeam, vt verum fatear, tam constans fortisque esse, vt sensum omnem doloris abijciam, quem spero me propediem depulsurum, quum te, qui ad summam laudem iam pridem contendere cæpisti, eum gradum adeptum sensero, qui & veterem nobilissimæ familiæ splendorem ornet, & virtutis tuæ magnitudinem cum commendatiorem omnibus, tum etiam posteris illustriorem faciat. Tu quòd in summo dolore positus, & in amplissimi viri Patris tui funere occupatus, ad me tamen scribendum putasti, ita mihi visus es beneuolentiæ nostræ memoriam retinere, atque colore, vt eo nomine tibi plurimum debeam. Vale, & ad eam gloriam, quam tibi ab adolescentia comparandam proposuisti felicissimè contende. Romæ xiv. Calend. Augusti 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Suam profectionem Tridentum pendere ex Pontificis nutu. Hispaniam cæteras Christiani Orbis Prouincias superare in retinenda Catholica Religione.

CVm pridie Calendas Augusti accepissem litteras tuas, in quibus extremis additum erat, te ante Calendas daturum

operam

operam, vt istinc recta Tridentum profecturus discederes, duxi mihi expectandum tantisper, dum te Tridentum peruenisse existimare possem. Nunc verò cum ex proximis litteris tuis cognouerim te omnino diem festum Assumptionis Tridenti celebraturum, putaui me tibi breuiter ad ea respondere debere, quæ magnopere à me contendis. Eorum autem primum est, quo tempore Tridentum cogitem. Ego mi Osi ita rationes meas institutas volui, vt cui parere debeo, eidem voluntatem meam omnem moderandam subiecerim. Quare quum nihil adhuc de profectione mea certum habeam, expectabo iussum, siue veriùs nutum Pontificis, cui & quid Reipublicæ expediat, & quid laboris imbecillima valetudo mea ferre possit iam exploratum esse certo scio. Quod ad Philippum, atque Hispanos attinet, eadem mea est, fuitque semper sententia; egregia enim pietate, atque obseruantia in retinenda Catholica religione Hispania cæteras Christiani orbis prouincias superare videtur. Tibi verò quòd his temporibus tantum tribuerit, certè fuit & honorificum tibi, & Christi Ecclesię commodissimum: De Rege tuo spero in dies meliora. Vale Roma Quinto Idus Augusti 1561.

MARTINO CROMERO.

Optat Osii commoda curæ esse Episcopo Vladislauiensi, speratque pacem inter Polonos, & Moscos.

DE Vladislauiensi Episcopo grata sunt quæ scripsisti; cupio autem illi cum regni salutem, tum etiam Osij nostri dignitatem, & commoda in comitijs curæ esse, Plurimum potest, & si cum Archiepiscopo opes, & auctoritatem suam coniunxerit, prosperè, vt volumus, omnia confectum iri spero. Tu hominem inflamabis, & hoc illud esse tempus ostendes, quo sibi sempiternam laudem cum summa omnium approbatione comparet. De inducijs libenter cognoui, itemque de Osij profectione, cui commodiùs multò Tridenti, puto, erit, quàm istic fuit. Quo consilio omittantur aliqua neque scio, neque attinet scribere. Canobio cupio prosperè profectionem hanc succedere, magisque illud inter Regem, & Moscum spe pacis iniecta, tandem Christo adiuuante concordiæ, atque veræ amicitiæ foedera ictum, confirmatumque iri, eaque nullis vnquam post hac dissidijs conuelli.

uelli. Vale mi Cromere, & me. vt facis ama. Romæ Quinto Idus Augusti 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Aduersa valetudo retardat suam profectionem ad Concilium Tridentinum.

BInas litteras tuas accepi priores xvii. posteriores xii. Calen. Septembris datas, ex quibus & prosperum iter tuum, & ingressum modestissimum cognoui. Spero autem & reliqua in dies feliciter successura, & Dei ipsius benignitate, & prudentia tot illustrissimorum virorum. Ego quid de me futurum sit adhuc prorsus ignoro. Nam, & si de mea incommoda valetudine, vt nunc quidem est, Summus Pontifex certior factus facilem se mihi præbet; non dissimulat tamen statuisse se, vt omninò proficiscar, atque eius se voluntatis palam esse ostendit, vt confirmata mea valetudine statim euolem. Crebrò autem me appellat, sciscitaturque ecquid mihi ad robur, firmitatemque accesserit, videturque ægrè passurus, nisi me summa salutis desperatio cogat, vt quem Legatum designauit, is in prouinciam non proficiscatur. Ego verò neque itineris labores, neque cæli iniurias subire recuso, modò in apertū salutis meæ discrimen sciens, prudensque conijcere me non compellar. Sed de his, vt ipse nobis Deus, diesque suadebit, ita statuemus. Tu interim confide me tua causa sedulò facturum omnia, præsertim quod ad Prutheni hominis, æmulorumque tuorum consilia, quæ hìc, vt scribis, noua quotidie ineuntur, pertinet. Vale. Romæ Tertio Calen. Sept. 1561.

MARTINO CROMERO.

Deplorat sæculi negligentiam in subleuanda Christiana Republica.

VEtus querela fuit omnium temporum, priuatorum commodorum causa Rempublicam, vt leuissimè dicam, negligi; vt verè autem, euerti prorsus, ac diripi. Itaque vereor eadem quæ tu proximè vereri te scripsisti; neque me tamen ita terrent hominum studia, & simultates, vt Dei vindicis victa tandem assiduis, grauibusque peccatis lenitas, atque clementia. Sed

hæc,

hæc, vtcunque eueniunt, modò culpa noſtra abſit, ferenda nobis ſunt. Neophyto maluiſſem pus omne, quàm aurum expreſſum; quamquam poſtremum hoc nullo modo vellem. Quid enim tutum, ſi auro tantum licet. Vladislauienſem deſignatum legatum audiueram; ſed nullos adhuc audio proficiſci præter Luſitanum. Faxit Deus, vt omnium ordinum Chriſtianæ reipublicæ Principes viri ita operam ſuam inreſtituenda, tuendaque religione ponant, vt tandem aliquando Eccleſia Dei ad vnitatem fidei, rectamque, & veterem pietatem reuocetur. Vale, & me ama. Romæ Idibus Septembris 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Dolet curationem Reipublicæ Chriſtianæ non ſolum turbari; ſed etiã differri. Cardinalis Mantuani liberalitatem laudat.

QVantum negotium ſit impeditiſſimas Reipublicæ rationes explicare, ſaluberrimaque conſilia ad exitum perducere, puto te iam pridem non ſine magna moleſtia intelligere. Ego, vt valetudinis meæ infirmiſſimæ incommoda ſileam, quæ me tamen aſſiduè conficiunt, maximo in dolore, atque mœrore verſor, quòd benegerendæ rei in dies video nobis occaſiones magis eripi, multaque impedimenta ſuboriri, quibus Reipublicæ curationem turbari etiam plurimum, non modò differri neceſſe eſt. Quare, niſi nos Deus pro ſua benignitate in tantis malis adiuuat, quid ſperandum de Eccleſiæ ſalute, deque religionis reſtituendæ exitu ſit, omnes videmus. Tu, quòd forti animo es, quòdque omnem ſalutis ſpem in Deo collocaſti, piè, ſapienterque feciſti; in eo autem, vt perſeueres, rogarem te, niſi tua mihi virtus, & ſpectata in multis iam pridem animi fiducia, atque conſtantia facilè perſuaderet, te tui ſimilem ſemper cum ſumma tua laude futurum. De Mantuani Cardinalis erga te ſingulari beneuolentia, ac liberalitate velim exiſtimes me ita ſentire, vt nihilo tu magis eo nomine ſummo, atque optimo viro debeas, quàm ego illi me debere omnino profiteor; idq; etiam ex te, vt cognoſcat cupio, atque adeo rogo te, perfice. Vale. Romæ Quinto Calen. Octob. 1561.

EIDEM.

Christianæ Reipublicæ statum deplorat, ostenditque infirmitatem suam tepidum desiderare cælum.

REipublicæ Christianæ statum, si aliquo fructu deploraremus, id, quod certè possem, pluribus verbis ad te de ea re scriberem, atque frequentiùs; sed, vt vides, hoc malum alia consilia, alias medicinas postulat. Ego iampridem & senio confectus, & longo, atque difficili morbo ita debilitatus sum, vt præter lene, ac tepidum cælum, nullum ferre possim. Quare medicorum omnium vna est sententia & imbicillitatem meam, & podagram in cælo frigido sine manifesto salutis periculo esse non posse. Si quid igitur eiusmodi inciderit, quod hìc opera mea iuuari possit, nulli labori parcam, vt aliquo modo Ecclesiæ Dei prodesse possim. Tu dū hinc suppeditatur sūptus, vnde potes vtitor id tecum reputans, vt scribis, aliquando futurum, vt Deus omnibus prospiciat. De Valentini tui causa fui equidem semper sollicitus, atque omnia facio, quæ amicorum causa honestè fieri possunt, speroque iudicem, si quid erit vel dubium, vel non planè probatum, in eo nobis concessurum esse omnia quæcunque, salua æquitate, possunt concedi. Cætera neque expectanda ab eo sunt, neque à nobis postulanda. His ego litteris ad binas tuas respondi, quarum postremæ hodie mihi sunt redditæ. Vale, & Mantuano Cardinali meo nomine primum salutem dicito, deinde pro eius in te liberalitate ingentes etiam gratias agito. Romæ xv. Calen. Nouemb. 1561.

EIDEM.

Ticinij diligentiam laudat tùm in Valentini causa, tùm in procuranda pecunia.

TIcinij diligentia facit, vt paucis scribendum mihi esse ad te planè statuam. Is enim & in Valentini tui causa, & in curanda tibi menstrui salarij pecunia ita laborat, vt amoris erga te, atque obseruantiæ magnitudinem facilè omnibus probet. Sed non omnia tamen perficit, quæ vult maximè, & conatur. Eiusmodi autem multa sæpè incidunt, in quibus omnis diligen-

tia, curaque posita frustra videatur. Iudex in Valentini causa tum, quum maximè æquum nobis sperabamus, pro aduersario sententiam tulit veritus, vt suspicor, ne si diutius rem produxisset, Valentini ius ita firmis documentis, testibusque probaretur, vt secundum eum pronunciari necesse esset. Quamquam autem per hanc sententiam nihil Valentino deperit; tamen ea festinatione iudicij factum est, vt quibus probationibus rem conuictam propediem tenere potuissemus, ijs vti omnino non quiremus. Sed hoc ego præiudicium puto Valentino (si modò id probare aliquando poterit, quod vos planè confiditis) non mediocre commodum allaturum. Perfuncti enim iudicis in alteram fortasse partem propensioris iuditio, tanto æquiores nobis fore reliquos sperare debemus, quanto ab æquitate longiùs abfuisse primum ex præcipiti festinatione palam fiet. Quare velim, te primùm bono animo esse, deinde etiam existimare in iudicijs huiusmodi auctoritatem meam minimum posse. Nemo enim ex ijs iudicibus est, qui non putet se omnia iustè agere, quique sibi iniuriam insignem fieri non arbitretur, si in aliquorum gratiam quippiam fecisse vel minimam suspicionem præbeat. Ego, quod potui, Ticinium monui, quid curari statim oporteret. Eum certò scio nihil prætermissurum. Vale. Roma octauo Calendas Nouembris 1561.

MARTINO CROMERO.

Christianæ Reipublicæ desperatam curationem deplorat, totamque spem in Iesum collocat.

ACcepi litteras tuas tertio Idus Octobris Praga datas, ex quibus multa cognoui, quæ mihi molestiam simul, sollicitudinemque auxerunt. Ita enim Principum animi à Reipublicæ curatione, & salute sunt alieni, vt verear, ne frustra laborent quicunque sunt in medicina aliqua rebus iam prope desperatis offerenda occupati, nisi piorum precibus excitatus tandem aliquando Christus Iesus tempestatem omnem sedet, quam vnam spem quemadmodum antehac retinuimus; ita nunc maximè tenere debemus. Virtus enim Dei in infirmitate perficitur; idest, vt ego sentio, vbi humana omnia præsidia nihil iam afferre opis possunt, ibi pro sua erga nos eximia caritate Deus necessitatibus

bus nostris, nobisque pereuntibus succurrit. Ab eo verò statu paulum abesse Rempublicam, & tu optimè colligis, & boni propemodum omnes, si modò animum aduertant, videre planè possunt. Ad sacram igitur (quod dicitur) anchoram redacti fatigemus Deum precibus, ne Ecclesiam suam tot malis vndique afflictam deserat. Quæ de Archiepiscopo Pragensi adscripsisti, ea mihi fuerunt gratissima. Opto verò vehementer, & cupio, ita in dies meliora nobis istinc afferri, vt meritò solatium aliquod grauissimo mœrori nostro esse possint. Vale. Romæ Calendis Nouembris 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Ecclesia Dei procellis agitata affuturum sperat Christum precibus excitatum. Tertiam editionem Catholicæ confessionis Christianæ Reipublicæ vtilissimam futuram sperat.

QVæ etiam hùc rumores vndique afferunt, vel apertè mala sunt, vel ita dubia, vt peiorem in partem interpretari debeamus. Sustinendum tamen est, implorandumque Dei præsidium, qui si tardius, quàm volumus, atque optamus opem nobis prope iam naufragis affert, cogitare debemus culpa aliqua nostra adhuc fieri, vt super ceruical dormiat nobis, non ea forte voce eum inuocantibus, quæ exaudiri vel possit, vel debeat. Huiusmodi autem procellis, quam sæpè aliàs Ecclesia Dei agitata, atque iactata fuerit non ignoras; affuit tamen aliquando excitatus Iesus Christus piorum precibus, studijsque, atque omnia in tranquillum statum pro sua benignitate restituit. Faciamus igitur & nos quod prudentes milites solent: perstemus in statione vigiles, & quantum quisque potest enitatur pro sua parte, atque contendat Reipublicæ opem ferre. Ego hìc nihil prætermittam quod adiumentum Catholicæ religioni esse possit. De Comitijs Prussiæ quid sperem nescio: quæ præcesserunt, si vera sunt quæ scribis, neque placent, neque video quem tandem exitum sint habitura. De nummis certò scio ad te omnia diligentissimè à Ticinio perscribi, velimque tibi persuadeas, nihil tibi præcipuum accidere; in eadem omnes sumus naui, idest cum eodem Quæstore nobis omnibus res est. Editionem tertiam

Catholicæ confessionis perfectam esse, & tibi primum, & Christianæ deinde Reipublicæ gratulor. Multum enim ex ea spero vtilitatis ad plurimos cum summa tua laude peruenturum. Ea autem non dum perlata est ad Ticinium, vt mihi heri narrauit. Expectat eam in singulas horas, quæ cum ad me peruenerit tam quam summæ tuæ erga me beneuolentiæ, liberalitatisque argumentum conseruabitur. Tibi interim gratias quam maximas ago, optoque te benè, diuque valere. Roma Sexto Idus Nouembris 1561.

EIDEM.

Gratias agit pro tertia editione Catholicæ confessionis, ostenditque difficultatem in exigenda pecunia à Quæstore.

ACcepi tertio Idus binas litteras tuas, simulque tertiam editionem confessionis Catholicæ multo, vt puto, & tu scribis, locupletiorem factam; quamquam video te in dies singulos multa etiam num addere, vt propemodum futurum augurer intra biennium iterum, atque iterum auctam in maiorem molem in publicum prodituram. Percurram autem denuo multa, præsertim librarij manu addita. Ago verò tibi gratias ingentes, quòd nulli labori parcis, neque sumptibus, vt reipublicæ prosis, atque etiam erga multos liberalitatem exerceas. De Valentini causa, Quæstorisque difficultate non habeo quod vltra ad te scribam. Permolestum mihi accidit, quòd in re, quæ mihi tecum communis est, scilicet in extorquenda à Questore pecunia menstrua, nihil tibi opera, vel diligentia mea prodesse possum: quò enim id à meis diligentiùs curatur, eò seriùs numerantur nummi. Vale, & me ama. Roma xvij. Calendas Decembris 1561.

MARTINO CROMERO.

Sperat futuram pacem inter Polonos, & Moscos. Virorum penuriam ad Concilium à Cæsare mittendorũ dolet.

QVacunque de causa exercitus dimissi sint, tantumque in munitioribus locis relicta præsidia gaudeo, speroque etiam aliquas rationes componendæ pacis inueniri posse vtrique Principi

cipi commodas . Eã autem in spē adducor ex Legatione à Moscho decreta, de cuius exitu, deque Regis in Poloniam reditu vehementer à te peto, vt me certiorem facias. De Canobio quid sit verius dies facilè declarabit. Eum autem auidè expecto, vt multa certiùs cognoscere commodè possim. Cæsaris singularem voluntatem in rempublicam laudo; non habere autem illũ quos ad Concilium mittat, summam virorum istic penuriam esse planè videtur ostendere; quod ego semper secus esse putaui; quamquam id, nisi fallor, modestiæ causa dictum à Cæsare existimari debet. Sed res ipsa tandem quid sit propediem indicabit. Vale, & me, vt soles, ama. Romæ xvij. Calendas Decembris 1561.

CARDINALI VARMIENSI.

Gnesnensis Archiepiscopi, & Abbatis Suleouiensis causam sibi cordi fore pollicetur.

ACcepi quinto Calendas Decembris binas litteras tuas, quæ mihi à *Ticinio redditæ sunt*, ex quibus id in primis cognoui, te cum Archiepiscopi Gnesnensis, tum Stanislai Falenscij Abbatis Suleouiensis causa plurimum laborare, vt Archiepiscopo idem Abbas suffraganeus cum titulo Naturiensis Ecclesiæ concedatur. Qua in re perficienda quid necessarium sit, puto ad te Ticinium perscripturum. Ei enim quæ mihi visa sunt ad transigendum negotium opportuna, quæque etiam necessaria quasi lege requirantur, diligenter ex ordine narraui. Quum igitur res parata erit, neque tibi, cui plurimum debeo, neque Archiepiscopi beneuolentiæ erga me, neque Abbatis etiam expectationi deero. Cætera eiusmodi sunt, vt malim ad te aliorum litteris perscribi. Quod attinet ad meam valetudinem sic habeto. In dies infirmior ingrauescentis ætatis, veterisque morbi molestias, & pondus ita sustineo, vt nisi me alij sustineant, nullo modo pedibus ingredi possim. Tu vale, & me ama. Romæ Tertio Calend. Decemb. 1561.

***

EIDEM.

Excusat suæ profectionis ad Concilium tarditatem non ex Latinij culpa, sed ex ægra valetudine, temporisque ratione. Gratulatur aduentum Oratorum Cæsaris Tridentum.

ET cæli istius clementia, & quod pluris facio, consuetudinis tuæ suauitate libentissimè fruerer, si me vel imbecillitatis ratio, vel anni tempus permisisset, vel multorum etiam negotiorum molestissimum onus, quod mihi liberalissimè imponitur ab ijs, quibus parere æquum est. Quare nihil est quod in Latinium transferas culpam deliberationis huius. Is mecum libenter in Scythas vsque extremas ibit. Sed aliquando, vt spero, coram pluribus hæc inter nos. Gratulor Oratores Cæsaris aduentare; fortasse eo exemplo permoti plurimi vndique confluent, ita vt aliquando tandem aliquid agere possitis. Ego hìc tua causa Abbati, quem mihi commendasti, omnem operam, & diligentiam meam bona fide præstabo. Tu interim vale, & me quod prolixè semper pro tua singulari erga me voluntate fecisti, perge diligere. Roma xiij. Calendas Ianuarij 1561.

EIDEM.

Pollicetur suam operam in adiuuandis Mona, & Lombardo.

QVidquid ego ad iuuandum, ornandumque Matthæum Mona, & Franciscum Lombardum, quos mihi diligentissimè separatim commendasti, afferre diligentiæ, operæque potero, tam libenter, promptèque tua causa me id esse collaturum velim existimes, quàm si tibi longa, coniunctaque consuetudine carissimi essent. In vtroque autem iuuando video id mihi felicissimè cecidisse, vt non modò tibi, sed & Reuerendiss. Seripando (quem & plurimi, vt debeo semper feci, & nunc maximè facio (morem geram, atque obsequar. Faciam igitur, vt vterque sentiat tuam apud me commendationem plurimum potuisse. Vale, & me ama. Roma tertio Nonas Ianuarij 1562.

MAR-

MARTINO CROMERO.

Gratulatur aduentum Oratorum Cæsaris ad Concilium Tridentinum.

GRatissima mihi fuerunt quæ proximis litteris tuis ad me scripsisti; quamquam de Polonicis rebus à Varmiensi nostro nihil accepi. Gaudeo tandem non defuisse Cæsari quos putarit dignos, vt ad Tridentinam Synodum Oratores mitterentur. Tu quod tuos vrges, facis pro tua pietate, atque optima in rempublicam voluntate sapientissimè. Vtinam autem noua succenturiatione id sit perfectum, vt hostis Ecclesiæ, idest obstinata cæcitas profligetur, agnitamque veritatem omnes religiosè, atque vnanimes amplectantur. Vale. Roma tertio Nonas Ianuarij 1562.

EIDEM.

Molestam sibi fuisse significat nouam bellorum causam cum Moscho.

QVacunque occasione ad me scribas nihil moror, modò frequenter id facias. Facies enim mihi gratissimum semper, & si nihil sit, quod maximè scribi oporteat; sed à te numquam inanes litteras, semper rerum grauium, & amoris erga me plenissimas accepi. Nouam bellorum causam cum Moscho molestam accidisse mihi facilè potes existimare, qui pace Principum & vnus omnium maximè gaudeo; & scio bellorum facibus Christianæ Reipublicæ incendium in dies magis augeri, indeque in peius omnia ruere. Quare & vanos opto eiusmodi rumores esse, & Principum omnium animos ita ad salutem publicam procurandam conuerti, vt aliquam tandem medicinam, Deo adiuuante, illi afferant. Vale. Roma pridie Calen. Februarij 1562.

CARDINALI VARMIENSI.

Remittit Epistolas, quas Pontifici tradendas non iudicauit, rogatque, vt Cardinali Borromeo scribat.

NOn sine magna molestia legi litteras tuas, & Ioannis Ocieski, quas ad te remittendas idcirco curaui; quòd minimè

nimè è re tua esse statuebam vllam significationem dari Pontifici, quæri abs te apud se alios patronos, quàm eos, quorum & auctoritatem, & gratiam omnibus cupis esse sacrosanctam. Auctor igitur tibi sum, vt ad Cardinalē Borromeum diligenter perscriptis litteris (cum tempus tibi opportunum videbitur) Ioannis Ocieski epistolam mittas, rogesque, vt rebus tuis ita consulat, ne tibi fraudi vnquam sit in Pij Pontificis fidem susceptum esse, atque ab eo honore auctum. De Concilio cupio in dies meliora, vt Ecclesiæ Dei aliquando salubri aliqua ratione consulatur. Vale. Roma pridie Calend. Februarij 1562.

GVLIELMO CASSANDRO EPISCOPO Barcinonensi.

Dolet se non posse frui eius consuetudine Tridenti, quò infirmitate detentus proficisci non valet.

ACcepi litteras tuas, ex quibus & summum studium tuū erga me, & beneuolentiam singularem cognoui, quando non modò itineris longi molestias, & incommoda videndi mei desiderio non mediocriter lenieris. Verùm etiam ea præcipuè expectatione incitatus magnis itineribus Tridentum contenderis: nunc autem id circo quòd me istic non conueneris quasi spe tua frustatus omnino fueris, non æquo admodum animo ferre videaris. Sed ego tibi illud primum respondeo, habiturum te in tanto amplissimorum Cardinalium numero, & tam frequenti virorum illustrium coetu multos, qui tuo desiderio summa cum voluptate cumulatissimè respondeant, quorum suauissimæ consuetudini, si mihi per corpusculi mei infirmitatem licuisset, nullum voluptatum genus, nullas delicias prætulissem. Sed quando, & ætate iam affecta, & diuturnis pedum doloribus ita sum debilitatus, vt ingredi vix possim non sine summa animi mei ægritudine coactus sum earum gratissima consuetudine carere, quos ego & plurimi semper feci, & magnopere semper dilexi. Quare quod nunc coram non possumus, missitandis crebrò litteris vtrique consequemur, cum eiusmodi aliquid inciderit, vt alterius alteri vel opera, vel diligentia opus sit. Ego certè tibi à me ita omnia beneuolentiæ officia parata, promptaque fore velim persuadeas, vt inter vete-

res coniunctissimosque amicos existimē te apud me honestissimum locum tenere, tuaque causa me semper omnia libenter esse facturum. Vale scitoque me tibi pro tam egregia erga me voluntate, atque beneuolentia & gratias non mediocres agere, & plurimum debere. Romæ Octauo Idus Februarij 1562.

CARDINALI VARMIENSI.

Gaudet Regis animum pro eo stare contra emulorum conatus. Significat se nihil posse in Lombardi causa propter corporis imbecillitatem.

SI vnquam verissimum esse credidi quod scriptum est. Vt diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; nunc maximè credere debeo, cum in tua causa, idest in tua fortuna, & commodis tuendis aduersus conatus æmulorum tuorum tam fortiter pro te stare Serenissimi Regis animum ex ipsius ad te litteris scriptis cognoui, cui autem acceptam referam potius tātam ergo te Regis voluntatem, quàm amantissimo omnium Patri Deo, & benignissimo Sospitatori nostro Iesu Christo? Quare scito me primùm ingentes, vt debui, gratias egisse Deo, cui dignitatem tuam, & commoda magnæ curæ esse semper intellexi; deinde ita esse tua causa gauisum, vt si in eo omnis & dignitatis, & salutis meæ spes posita esset; postremo ita tibi hanc rem ex animo gratulari, vt & virtus tua singularis, ac probitas, & mutua inter nos beneuolentia pro suo iure postulat. Spero autem, quod sæpe alias ad te scripsisse memini, in augendis fortunis tuis eum fore Regis animum, qualem egregia virtus tua iam pridem ab eo cognita planè, atque perspecta meritò flagitare videtur. Id autem vt certius sperem facit cum Dei summa, atque inæstimabilis bonitas, tum eximia tua erga illum pietas, quæ tibi maiorem in dies spem confirmare debet, fore vt Diuino præsidio æmulorum, atque obtrectantium conatus honestissimè vincas. Francisci Lombardi viri probi, atque eruditi causa, quòd magnopere laboras; facis tu quidem & humanè, & satis amanter; sed ego tamen in ea re tibi præter optimam voluntatem præstare nihil possum, Legatorum proprium id munus est. Mihi autem plures iam menses neque in Senatum publicè, neque priuatim ad Pontificem ire propter summam cor-

 poris

poris totius, sed in primis crurum debilitatem licuit. Quare homini aliunde præsidium comparabis, & me, quod semper pro tua benignitate liberaliter, prolixèque fecisti, amare perge. Vale. Roma xij. Calen. Aprilis 1562.

EIDEM.

Excusat se non posse præstare operam suam in adiuuando Nicolao Cromero. Gratulatur eius dignitatem apud Regem fuisse conseruatam contra inuidorum conatus.

QVaternas abs te litteras accepi, ad quas semel breuiter respondebo. Nam mihi quòd multorum causas commendasti, præsertim Nicolai Cromeri, qui huc Pragensis Archiepiscopi negotium procuraturus aduenit, velim tibi persuadeas, quicquid consilij possum, atque opis intra domesticos lares afferre, id omne me libentissimè tua causa omnibus esse pollicitum, optimaque fide semper præstaturum. In publicum me iam pridem ne prodeam, valetudo mea diuturna, summaque totius corpusculi imbecillitas prohibet. Cælum si sine discrimine mutare possem, libenter consilium tuum amoris erga me plenum sequerer; sed ab eo me multorum medicorum consensus adhuc inuitum retrahit. Quare in difficili ad explicandum nodo, atque in re plena discriminis, quid mihi consilij capiendum sit, non dum statuere possum. Vrbanum cælum, in quo consenui, accusare certè non debeo; longum autem iter ne cogitem summa corporis infirmitas facit. Sed hæc fortasse omnia incommoda salubri aliqua ratione pro sua bonitate Deus explicabit, in quo salutis meæ spem omnem collocaui. De tuis autem rebus, vt video, meliore animo esse debeo; neque enim in te culpam vllam conijci posse intelligo eorum, quæ tibi ab inuidis, & nouarum rerum cupidis impudenter accepta referuntur. Secretarij Regis litteras cum hisce ad te referendas curaui, quem ego virum tua causa diligo, atque in eo non mediocre præsidium tuæ dignitatis tuendæ apud Regem tibi collocandum esse existimo. Vale, & me ama, vt soles. Roma Septimo Calend. Maij 1562.

EIDEM

EIDEM.

Excusat suum in scribendo silentium ad amicum occupatum Synodi Tridentinæ sessionibus.

AD binas litteras tuas, quas septimo Idus Octobris accepi, nihil ante respondi, quòd expectaui quotidie, vt ad me aliquis adiret eorum negotiorum causa, quæ mihi diligentissimè commendaras; nam pro eo quod tibi debeo, nihil prætermisissem operæ, atque officij in eo negotio ex tua sententia conficiendo. Sed nihil, opinor, eiusmodi incidit, in quo industriam meam sibi necessariam esse existimarit eius negotij procurator. Ex quo enim die ad me primùm litteras detulit, nunquam hominem vidi. Nunc autem demum ad te scribendum censui, cum confectis rebus grauissimis, quæ proxima sessione Synodus statuere decreuerat, aliquid tibi ad amicorum litteras legendas otij datum iri existimarem: nam si quid ego de rei ipsius grauitate videor mihi aliqua ex parte vindicare posse, ita profectò sentio, tua, paucorumque virtute, & laboribus vniuersi negotij vim, pondusque sustineri. Quare diuturni silentij mei excusationem amicè, benignèque accipies. Scito autem me lēto morbo diu conflictatum, tandem Dei benefitio conualuisse, in diesque sperare, me pristinas vires recuperaturum; atque verni temporis auxilio ad intermissam librorum meorum consuetudinem rediturum. Hæc te celare nolui, quem de mea salute magnopere semper sollicitum verè, atque ex animo bonis meis omnibus vehementer gauisurum esse confido. Vale, & me, quod semper pro egregia tua erga me voluntate fecisti, perge mirificè diligere. Roma tertio Nonas Decembris 1562.

MARTINO CROMERO.

Certiorem eum facit de sua valetudine.

ACcepi Idibus Nouembris litteras tuas, ad quas cum penè nihil haberem, quod hoc tempore rescribendum esse accuratiùs, celeriùsque putarem, in hunc diem responsum distuli, quum me tuo nomine Ticinius adijsset, narrassetque, te non mediocriter de mea salute sollicitum vehementer cupere certio-

rem fieri, quò in statu res meæ sint. Quare scito quod ad valetudinem attinet, me diu lẽto morbo conflictatum iam Dei benefitio emersisse, sperareque adueniente vere pristinas omninò vires recuperaturum. Fuitque mihi necessarium ab ea consuetudine non nihil discedere, in qua penè totam ætatem contriueram. Nam libris, & forensibus negotijs per aliquot menses abstinui, ne imbecille corpusculum, & longa valetudine affectum, eo adiũcto labore minimè suaui, vt nosti, grauiùs affligerem. Hæc igitur valetudinis meæ ratio est, hæc recuperandarum virium spes. Tibi autem fateor, me plurimum debere, cui summæ curæ semper fuit cum incolumitas, tum verò dignitas mea. Nec fuit profectò meus erga te animus egregia tua in me voluntate, & beneuolentia aliqua ex parte inferior; tametsi nulla se obtulit vnquam huiusmodi occasio, vt quanti te facerem, quantique virtutes tuas ab omnibus faciendas esse meritò ducerẽ, illustri aliquo docũmẽto declarare possem, sed dabitur fortassis aliquando à Deo, vt, quod adhuc perfici non potuit, in te amando, atque omnibus amici officijs ornando singulari meæ erga te voluntati satisfacere possim. De publicis rebus malo, te ex Ticinij litteris, quàm ex me cognoscere. Serenissimi Regis tui negotium etiam num post quinque annos extrahi, nihilque æqui abs te sperari non libenter audio, cupioque ex eius rei exitu tibi & voluptatis plurimum, & ornamenti tantum, quantum eximia tua virtus, atq; industria meretur, accedere. Ego dum se hiems, frigusque remittat valetudini meæ inseruiam, vt firmior, vegetiorque ineunte vere ad pristinam consuetudinem redeam. Vale. Roma quarto Nonas Decembris 1562.

CARDINALI VARMIENSI.

Breuiùs scribit viro occupatissimo in procuranda vnione inter Christianos.

OPtaueram ego quidem maximè & tibi, & omnibus eam sollicitudinis leuationem, quam cum proximè scriberem in singulas horas expectabamus; sed quando secus accidit, atque in difficili perplexaque causa te certo scio plurimũ laborare, noluí tibi occupatissimo longiùs scribere. Tantum habeto me ita iam pridem statuisse nullam esse tam difficilem, intricatamque

in re-

in religione nostra quæstionem, in qua explicanda, atque soluenda quisquam tibi vel eruditione, vel exercitatione, vel, quod caput est, prudentia, & pietate præferri possit Accedit Collegarum Illustrissimorum, & Reuerendissimorum rara cum virtus, & scientia, tum etiam rerum agendarum vsus; ita vt propediem sperem præsidio primùm Dei, deinde vestra virtute, & sapientia Reipublicæ Christianæ pacem, & concordiam redditum iri. Vale, & in tantis rerum perturbationibus, laboribusque valetudinem quoque curato. Roma xiiij Calenendas Ianuarij 1562.

EIDEM.

Promittit suam operam in tuenda causa Septimiæ pauperculæ.

SEptimiæ Cancellariæ causam, quam mihi pro summa tua pietate diligentissimè commendasti; & si non eo quidem modo, quo in primis cupio, tibique me debere sentio; at quacunq; tamen ratione potero, bona fide iuuabo. Quare dabo operam sedulò, vt inopis feminæ ratio aliquando tandem habeatur in re præsertim tam iusta. Cupio autem mihi in hac causa ita prosperum, propitiumque Christum esse, vt pauperculæ feminæ inopia subleuetur, & tibi, quem semper vnum feci plurimi, meritoque tuo maximè dilexi, atque obseruaui, aliqua ex parte satisfaciam. Vale, & scito tibi à me longam annorum seriem felicissimam optari. Roma. Quarto Nonas Ianuarij 1563.

FINIS.

INDEX EPISTOLARVM.

Henri-

INDEX RERVM PRIMÆ PARTIS.

Barci-

Regu-

LATINI

LATINI LATINII VITERBIENSIS

AMICORVMQVE

Epistolæ, Eruditiones, & Obseruationes.

LATINVS LATINIVS ANDREAE MASIO S. D.

Hortatur, vt tussiculam repallat. Laborem in corrigendo Quintiliano pollicetur, & cuiusdam loci explicationem desiderat. Exemplo populi Israelitici æquo animo aduersa ferenda proponit. Certiorem facit de Episcopatu Zacynthi collato Commendunio, & de excussione noua Apollodori Atheniensis cum interpretatione latina studio Bedicti Aegij.

EX proximis tuis, quas tu quidem ad me duodecimo Calendas Octobris dedisti, ego verò ad duodecimum Nouembris accepi, cum multa, quæ me magnopere delectarunt, cognoui, tum illud mihi multò fuit gratissimum, quòd te conualuisse iam planè significabant; ego enim de te sollicitus vehementer eram non modo ex diuturno silentio mali aliquid suspicans; verùm etiam ex molesta quadam animi diuinatione, quæ me crebrò de te cogitantem nescio, quid incommodæ, importunæque rei semper afferebat. Quare gratulor tibi, si impendente eo morbo defunctus non magno periculo pristinas vires recuperasti. Restat tussicula, quam, si me amas, omni diligentia curabis extirpandam radicitùs; non tantum ea de causa, quòd tibi, vt video, suspecta est; sed etiam quòd

quòd solet, ipsa per se molestissima esse, studiosis præsertim viris, idest tui similibus, qui totos dies legendo, scribendoque auidissimè terere consueuerunt. Quod si me audies minimè facies, donec omnem prorsus, non dico molestiam; sed tussiculæ vel leuissimam suspicionem à te longissimè repuleris. De Curione fecisti mihi grauissimum, quod mecum sentias; sed vereor quo modo id probemus multis, qui ad viuum vsque solent resecando subtiliùs perscrutari veritatem. Ego quid mihi in ea re sit faciendum intelligo, non enim temere vnquam pugnabo; concedam verò omnibus, & si qui probabiliora afferent, libenter amplectar, & sequar. Quintilianum iam mensem verso, eumque ad scriptorum quatuor fidem emendare, quo ad eius fieri potest, laboro; quanquam cursim nunc varias lectiones tantum in meum codicem refero, vt maturo postea Patris, & Masij, aliorumque doctissimorum virorum iuditio, si quid auri repertum erit in tanta fece tanquam ex perpetuo Prætoris interdicto post tot annos in eius possessionem Quintilianus restituatur. Tu vicissim cum valebis à tussicula, quod te facturum Diuini codicis ope promiseras, bona *fide præstabis*. *Interim* cum erit otium, quæso, mihi locum, qui est in libro quinto capite decimo, vbi de argumentis agit, circa bessem totius capitis, diligenter ex emendato codice descriptum mittas; cum eo tamen, vt simul quænam tua sit de ea re sententia, certiorem me facias. Verba eius sunt. *Rectè autem monemur causas, non vtique ab vltimo esse repetendas, vt Medea. Vtinam &c.* Et Philocteta *Paridi, si imperasses tibi, ego nunc non essem miser*. Scripti codices mirè in eo omnes conueniunt, vt duo prima verba partim ita habeant. *Pari dispær esses tibi*. Partim. P*aridis impar esses tibi*. Quare suspicor poëtam festiuum lusisse in nomine Pari, quod cum latinum nomen par paris, vnde dispar, & impar proficiscuntur, litterarum similitudine referat se commodè, sciteque facturum esse putarit; librariorum tamen inscitia corruptum locum longissimè à germana lectione paulatim abijsse. Sed hæc coram pluribus, si ita Christo placitum erit. De Philippo, & Ioachimo maluissem meliora; sed quidquid est Deus ipse viderit, qui Pharaone in populum suum sæuiente, frustraque illius in dies magis crescentem numerum assiduis, grauibusq; laboribus conficiente, facilè tamen quandoque exitum reperit, quo & impium Regem vlcisceretur, & nobis pulcherrimum exemplum proponeret,

poneret, vt aduersa æquò animo ferremus sperantes aliquando nos ipsius prouidentia, & benignitate in libertatem vindicatum iri, quæ libertas, vt est ipsa per se bonis suauissima, ita sceleratissimis, corruptissimisque hominibus hodie occasionem præbuit insaniendi; in quem errorem qui inciderunt (vt malorum tenacissimi plerique omnes sumus) omnem, quod aiunt, lapidem mouent, ne temerè, stultèque ab initio aliorum fraude circumuenti, aut delusi videantur. Ego, quod pijs omnibus optandum est, mentem eis meliorem precor, neque excuso si quid improbandum meritò sit in nostris moribus; sed eam nulli iustam causam, vt à veritate discedat opportere esse contendo. Verùm hæc longiùs. Commendunius noster valet, triduoque ante Zacynthi Episcopus declaratus, altero etiam Vincentiæ Sacerdotio auctus sexcentis aureis nummis locupletior est factus, quæ ego illi commoda, & honorem & meo, & tuo etiam nomine prolixè sum gratulatus. Quare si putabis tuæ beneuolentiæ partes esse, vt litteris quoque hominem tibi amicissimum, tuique cupidissimum salutes, erit id mihi vehementer gratum. Nam Principi nostro mirificè carus est, & si qui ex ijs, quorum opera, & consilio in scribendo maximè Pontifex vtitur, in Senatorum ordinem adscripti erunt, non video qui Commendunio nostro ad eum locum obtinendum præferri iure possit. Pater valet, tibique quam salutem per me adscribi voluit, libentiùs præsens præsenti iam tandem diceret; quare si tuo commodo fieri poterit, velimus omnes hùc ad nos aliquando reuertaris. Camerarij versiculos probarunt Pater, Faërnusque; mihi certè ex equo properanter dictati satis indicant, in otio quid præstare possit auctor, quem ego virum in litteris exercitatum iam pridem honoris causa libenter nomino. De publicis nihil scribendum duxi; multorum enim litteris quæ hìc quotidie agantur, puto ad te diligentissimè perscribi. Henricum tuum mirificè colo, atque obseruo: in illius tamen causa nihil adhuc præstiti, vel diligentiæ, vel offitij humanioris. Nam cum sæpe procuratorem monuissem, vt si quid facto opus esset, faceret me certiorem; negauit ille adhuc oportere iudici Heri mei nomine causam cōmendari, cū non dum testimonia ex prouincia essent perlata; vt primùm autem missa istinc, redditaque iudici essent, tunc verò Heri mei in commendando eiusmodi negotio studium, diligentiamque maximè profuturam: Quare suspendi, expectoque
dum

dum ille operam meam requirat, quæ certè tibi, Henricoque semper à me paratissima erit. Benedictus Aegius Apollodorum Atheniẽsem grammaticum typis excussum edidit addita latina interpretatione, & Scholijs. Eum si voles, ad te mittam. Vale, & me, vt soles ama. Roma Quarto Calendas Nouembris 1554.

HIERONYMVS MERCVRIALIS L. LATINIO

De tuberibus sententiam exponit, quærendo cuiusnam generis fructus essent apud antiquos.

QVi fuerint apud maiores nostros tuberes inter malorum genera relati, neminem, qui apertè declararit hactenus mihi videre contingit: idcirco, si meam sententiam explicuero, id saltem perficiam, vt alij ad veritatem indagandam, meaque sententiam meliorem proferendam excitentur. Ne igitur temerè quicquam affirmare videar, notas aliquas tuberum ab auctoribus Latinis traditas ante alia indicabo. Tuberes ex Africa regione calida primùm allatos scribit Plinius lib. 15. cap. 14. vbi fructus proferre baccis, quàm malis similiores statuit, idem quoque lib. 16. cap. 25. & lib: 17. cap. 16. turberes post amygdalas cũ armeniacis, & præcocibus florere (vt Columella lib. 11. cap. 2.) quasi cum ijs etiam maturarent fructus, & melius inseri pruno siluestri, atque malo cotoneo, quàm granis seri memorat. Martialis lib. 13, auctor est tuberes in agro Nomentano prouenire solitos; quæ regio inter Romana suburbia pro calida, & aprica habetur. Palladius verò lib. 10. tit. 14. tuberum fructus dulces facit, menseque Septembris eos granis seri, nec non etiam omnibus malorum generibus prunis, & cotoneis inseri solitum tradit, quas omnes notas, si ijs arboribus conferamus, quas decem ab hinc annis ex Alexandria in Siciliam primùm, mox Neapolìm transuectas, ob idque albarcocos Alexandrinas nuncupatas esse scimus, facilè iudicabimus tuberes veterum has met albarcocos extitisse. Nam hæ sunt arbores non admodum proceræ magnitudinis, foliaque armeniacorum fere gerunt, inseruntur persicis, & prunis; seminantur granis Septembre, & Octobre, sed insitione meliores fiunt: nascuntur locis calidis, & apricis, gelu corrumpuntur, siccam terram; sed arte irroratam amant,

Fructus nuce pontica paulò maiores, rubeos, cute læui, ac dulces ferunt, vt cuique intelligere liceat huiusmodi arbores, fructusque maximè cum veterum tuberibus conuenire. Nec quicquam repugnat quòd Domitiano priusquam iugularetur Septẽbris mense oblati fuerint tuberes, quoniam eos adseruatos ea arte esse credendum est, quam Palladius loco præcitato monstrauit. Neque inferendum est Palladium, quòd in libro mensis Octobris tuberes seruandi rationem doceat, eos tunc maturari voluisse, quoniam hac in re auctor ille certam legem non seruat, cum etiam in libro Aprilis zyzipha, quæ autumno maturantur seruandi modum indicet. Martialis item quamuis tuberes cum malis punicis adnumeret, non propterea putandum est, eum innuisse quòd eodem tempore maturentur. Immo hoc distico.

Lecta suburbanis mittunt ut apyrina ramis,
Et vernæ tuberes quid tibi cum Lybicis?

apertè monstrat, se ad amicum duo pomorum genera misisse, vnum nuperrimè ab arbore lectum, alterum vere decerptum, & deinde integrum arte conseruatum. Porro Plinianum codicem lib. 15. cap 14. vbi tuberum duo genera habẽtur, corruptum omnino, ac loco, *tuberum*, legendum esse *zyziphorum* suspicor; Columella lib. 9. cap. 4. albam, & rutilam zyziphum agnoscit nullus autem duo tuberum genera fuisse scripsit.

Habes, mi Latine, sentẽtiam meam de tuberibus veterum explicatam, quam, vt tuo illo acri iudicio diligenter expendas, & deinde quid de ipsa sentias mihi liberè significes vehementer opto. Vale.

L. LATINIVS. HIERONYMO MERCVRIALI.

Suam opinionem de tuberibus proponit.

VTrum sit magis consentaneum statuere tuberes cũ armeniacis, & præcocibus maturare, an cum punicis videtur maturè considerandum. Nam non illico necesse est, si inter primas florent, inter primas etiam ad maturitatem fructus perducere. Martialis bis tuberes cum punicis, idest cum aprynis iungit; videturque penè necesse esse eodem tempore fructus eosdẽ maturos fieri, cum è Suburbano vtrique simul mittuntur. Accedit huc Suetonius in Domitiano, qui pridie ante eius necem,

quæ

quæ decimo quarto Calendas Octobris facta est, tuberes ei oblatos scribit nihil addens vnde asseruatos fuisse appareat. Quare nón puto prudentis viri esse in re obscura quicquam in alterutram partem pronunciare, priusquam lucis aliquanto plus aliũde fuerit allatum, vnde veritas erui possit. Palladius in eo, quod seruandi rationem docet, videtur indicare eius generis fructus esse, vt autumno, non vere, aut æstate maturescant. Considerabis itaque lentè omnia, & per otium. Et quicquid statues, facies me certiorem. Pridie Calendas Maij 1569.

EIDEM.

Scribit iterum de tuberibus sententiam suam.

QVod prima non successit, secunda vt aggrediar via, facit meus in te amor, & singularis ille quidem, & tibi multis nominibus à me debitus. Vernæ tuberes Martiali non sunt verno tempore nati, vel maturi; nam ij verni dicuntur, non vernæ. Vernæ autem sunt, qui domi nostræ apud nos nascuntur. Senseram ego te, cum domi meæ thesauri linguæ Latinæ locos citatos in verbo Tuberes percurristi, auctoris eius sententiam in eo minimè probasse, quòd vernas tuberes non peregrinos; sed nostri soli, vel cæli exponeret, quasi vernæ possent ex Latini sermonis vsu in eum sensum, notionemque venire, vt verno tempore fructus eos maturos esse significaret. Sed, vt facilè videre poteris Vernus, verna, vernum si cum tuberibus coniunctum esse voluisset Martialis, non vernæ tuberes, sed verni omnino dixisset. Quare si mihi, idest rei ipsæ notæ aliquid tribuendum in hac re putabis honoris tui causa, turberes quid sint, non ita præcoci sententia definies. Ego certè nihilominus anceps in vtrauis sententia nunc demum hæreo, quàm cum nullius scriptoris de ea re verba legissem, planè hærebam. Tua amaui semper, & amabo, tantique faciam, vt quiuis facilè intelligat, meritò me ingenij eruditiones, industriæque tuæ vim magnitudinemque admiratum non fallas imagines temerè amantium hominum; sed solida, expressaque rerum bonorum documenta in te diligendo, laudandoque secutum. Vale. Calend. Maij 1569.

L. LATINIVS PAVLO MANVTIO.

De die Naturali, & Ciuili.

NAc tu me putas bardum, qui animi tui ſenſa viua voce meliùs, quàm ex animi tui viua imagine litteris perſcripta putas percipere potuiſſe. Quid autem monſtri eſt ex dimidiatis diebus annum, & menſem naturalem conficere? Ita autem fiat neceſſe eſt, ſi naturalis dies duodecim horarum, non viginti quatuor eſt. Ciuilis autem (quod maximè ridiculum eſt) horarum viginti quatuor vt ſit, quæ ciuitas vmquam ſtatuit? Natura rei ipſa ab initio ita neceſſariò præſcribente, vt vnica cæli euolutione quod inde conſtaret moræ tempus, id diei vnius nomine cenſeretur. Plinius quam vulgus diuiſionem fecit inter lucem, & tenebras numquam ciuilem, aut naturalem diem appellauit; Sed ciuilem eum pro ciuitatum diuerſitate dixit (qui tamen ſuis partibus lucis, & tenebrarum perficeretur) diuerſa tantum ratione differre, horarum viginti quatuor ſpatio nihilominus in quouis comprehenſo. Hæc faciunt, mi Paule, ne facilè omnibus aſſentiar. Legi ego quoque aliqua; ſed non addictus in cuiuſque ſententiam ea ſequor, quæ certa videntur, non quæ ab alijs etiam magni nominis tradita ſunt. Has meas ſubitas cogitationes peto à te ne ſpernas. Erunt enim quandoque vtiles ad commonendum me. Quare curabis, ſi me amas, ne pereant. 22. Iulij 1569.

L. LATINIVS PAVLO MANVTIO.

Varios auctorum textus coniectura emendatos amico conſiderandos mittit.

NIſi tecum pugnare te videri cupis, neceſſe eſt ipſum te prius, quàm alios, corrigas, qui Patris religionem deſerens in Oratore ad Brutum fol. 208. B. vbi legebatur. *Huic generi orationis aſpergentur etiam ſales, qui in dicendo nimium quantum poſſunt.* Tu *mirum* ſubſtituiſti pro *nimium*. Quod ego iam ante annos viginti duos ex vetere codice reſtitueram.

Quod attinet ad alterum Terentij locum, pace Donati dixerim; vulgata lectio mihi magis probatur, & eſt alioqui non frequens

quens modò poëtæ ea verborum repetitio; ſed etiam per ſe ve-nuſtiſſima. Verſus autem ſenarius eſt; & ſi elidatur vltima con-ſona *Ni opus* nihil habet nouum, aut alienum à comicis ſenariis. Si verò demantur duo illa verba, certè hiatus ille *Sumptu ad*, nulla colliſione facta inſuauis eſt, & numerum eneruat, & deij-cit. De Lucilij verſu (Plinij pace dicam hoc quoque) Marco Tullio magis aſſentior, qui ſententiam Lucilij in Bruto decla-rans cum M, Callidij viri eloquentis laudes recenſet, ita ſcrip-ſit. *Nullum niſi loco poſitum, & tamquam in vermiculato emble-mate, vt ait Lucilius, ſtructum verbum videres*. Lambinum ego non memini legere de ea re diſſerentem, aut ſtatuentem aliquid; ſed aliunde collegeram in vetuſtis codicibus legi *Endo* bis apud M. Tullium in tertio ſcilicet de Oratore, & in Oratore ad Bru-tum vbi Lucilij verſus affert. Quòd autem magis probē *Inde* facit locus adhuc integer apud Macrobium ex Ennio citatus.

Inde mari magno fluctus extollere certant.

Nihil tamen ſtatuo, fierique poteſt, vt non vno in loco Lucilius eo verſu totidem verbis penè, paulò tamen immutatis, prout po-ſtulabat id, de quo agebatur, ſed pluribus vſus fuerit. Quare nihil obſtabit Plinij auctoritas. Iuſtus Lipſius (ſi prorſus non ſum immemor) in ſuis lectionibus varijs eum Latinè loquendi modum in vſum reuocare ſtuduit, in quo reſtituendo operam poſuiſti. Vtitur enim nimium quantum, & aliud, neſcio vnde, erutum in lucem profert, ideſt *Diudum* pro *Dudum*, aut *Iam-dudum*. Quamquam ſemel vidi ſecundam litteram à neſcio quo emendatore litura ſublatam, vel verius inductam. Noli ridere has meas ſubitas ineptias; ſed vt aliquando certiora maturiùs ſcribam, peto à te, vt hæc conſerues. Erunt enim vel in eam rem vſui, vt me ipſe reprehendens, cum mea lentè, & faſtidio-sè probem, tum ne de alijs facilè pronunciem. Vale xi. Calen-das Octobris 1569.

PAVLVS MANVTIVS L. LATINIO.

Coniecturas ſupradictas non omnes admittit, ſuamque ſenten-tiam exponit.

LOcum in Bruto quod ais à te ante annos viginti duos emē-datum, lætor probatū eſſe coniectura tua iudicium meum. Sed

Sed si tunc vterque nostrum errauit, nunc redire in viam æquum est. Quod attinet ad Donatum, tu quid sentias videris; ego illius opinionem hoc præsertim in loco sequar. Nam de hiatu illo, qui te offendit, exempla in Terentio tibi occurrunt plurima. De Lucilio emendando nihil statuerem. Nam *Arte*, *Endo*, *Inde*, *Ante* probabilem omnia sententiam habere possunt. Ad meam obseruationem pluribus verbis explicatam ferò nihil respondes, nisi *Lipsium* ita locutum. Quid ad me si modo ita locutus est? Tua nemo diligentiùs te ipso conseruabit, itaque remitto.

L. LATINIVS PAVLO MANVTIO.

Respondet breuiter, & iocosè admonet amicum.

OBseruationem tuam ita probatam per se putaui, vt meam sententiam, quæ tamen tibi satis aperta videri potuit, non desideraret. Laudaui, laudoque diligentiam tuam. In eo autem quod æquum esse censes, vt aliquando errantes in viam redeamus, nimium quantum mihi satisfecisti; sed ego veritus sum, ne si rem silentio præterisses (quandoquidem eius loci Ciceronis à me citati nihil memineras) excitasses in te illos, qui vni huic rei maximè student, vt aliorum errores carpant, in eoque sibi præcipuam laudem, gloriamque positam esse statuunt. Vale, & me ama. x. Calendas Octobris 1569.

FRANCISCVS TVRRIANVS L. LATINIO.

Quid hoc nomen, Benedictio, *significet in Registro S. Gregorij Magni repetitum.*

NOn tam miror, te multum fuisse in obseruatione locorum Gregorij de Benedictione, quàm quòd existimaueris, & scripseris, expensis diligenter, & collatis istis tam multis locis, posse erui veram sententiam S. Gregorij, quæ tibi, ais, clarissima videtur, atque omnibus ita manifesta, vt quiuis de eius veritate iudicare possit. Non erui veram sententiam; sed erui veras sententias credo te dicere voluisse. Cum enim in varijs locis vnum nomen multa significet, quod dialectici vocant homonymum, non potest tunc in eis erui vna sententia; sed plures erui necesse

cesse est. An putas idem significare nomen Benedictionis cum ait Gregorius *Transmisimus vobis de benedictione S. Petri cucullam, & tunicam*, & in alio loco *Vnum cauallum, qualem inuenire potuimus de benedictione S. Petri transmisimus*; & cum ait. *Clauim verò paruulam à Sacratissimo Beati Petri corpore pro eius benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis eius iuclusum, vt quod eius collum ad martyrium ligauerat, hoc vestrum ab omnibus peccatis absoluat*. Quis credat, sic te putare cum transmittere cucullam, & tunicam, & caballum de benedictione S. Petri planè nihil aliud sit, quàm mittere ista de eleemosina S. Petri, idest de pecunia, & re S. Petri, siue de bonis Ecclesiæ S. Petri. sic enim vocat eleemosinam Apostolus 2. Cor. cap. 9. ἐυλογίαν idest benedictionem. Sic etiam dixit alio in loco idem Gregorius. *Quia de B. Petri rebus, quamuis parua sint, quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt.* & in alio loco verbo Græco vsus est idem Gregorius imitatus Apostolum cum ait *Ex parua eulogia, quam Bonus Monachus accepit, partem petendo, contentionem facere in itinere minimè timuit*; ac cum dicit. *Clauim paruulam à Sacratissimo Beati Petri corpore pro eius benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis eius inclusum, vt quod eius collum ad martyrium ligauerat, hoc vestrum ab omnibus peccatis absoluat*. Quis non videt longè aliud significare hìc nomen Benedictionis? significare scilicet remissionem peccatorum, vt ipse idem Gregorius interpretatus est. Postquam enim dixit trãsmisisse clauim à corpore B. Petri ferro incluso in ea pro eius benedictione, interpretans quam benedictionem dicat, subiungit. *Vt quod eius collum ad martyrium ligauerat, hoc vestrum ab omnibus peccatis absoluat.* Hoc etiam significat in Scriptura benedictio, vt cum ait Isai. cap. 27. *Propterea auferetur iniquitas Iacob, & hoc est benedictio eius, cum abstulero peccatum eius.* Sed, ne sic sine auctore Gregorium interpetari, & intelligere viderer, adhibui idoneum testem, & interpretem alterum Gregorium VII. qui Gregorium Magnum, & eius formulã non solum secutus; sed interpretatus est. *Ex more*, inquit, *Sanctorum misimus vobis clauiculam auream, in qua de catenis Sancti Petri benedictio continetur, vt omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberauit, eius meritis, & ineercessionibus vos ab omnibus peccatorum vestrorum vinculis absoluat, & ad gaudia perducat æterna.* Eãdem vim habet alia formula clarior, & quæ magis ad eam, quæ

nunc

nunc in vsu est, accedit, in qua nomen indulgentiæ cum nomine benedictionis idem Gregorius VII. coniunxit. *Indulgentiam*, inquit, *omnium peccatorum vestrorum promittimus, & absolutionem cum benedictione concedimus*. Vt iam mittere clauiculam auream, in qua contineretur benedictio de catenis Petri cum illa precatione *Vt omnipotens Deus &c.* instar esset Bullæ indulgentiæ, quæ nunc vocatur, & mitti solet cum pictis clauibus. Sanè hoc dubitari non potest, quin Gregorius VII. cum dixit. *Misimus vobis ex more Sanctorum clauiculam auream, in qua de cetenis S. Petri benedictio continetur &c.* Magnum Gregorium Sanctissimum in primis intellexerit, in quo tam frequens est hæc formula, & consuetudo. Rursus hæc ipsa formula quam vim habeat ex illa altera clariore, quam dixi planè intelligitur, in qua indulgentiam nominauit, & absolutionem cum benedictione coniunxit, quia neque benedictio ista est sine absolutione, nec absolutio sine benedictione. Præterea si tempore Gregorij Primi erat potestas indulgentiarum, si quidem erat potestas clauium, ex qua potestas indulgentiarum manat, an dicendum est nunquam ea potestate vsum esse? quod si hoc dicere absurdum est, doceatur vbi vsus est Gregorius, aut quibus verbis? Quis enim credat vsũ esse; sed nusquam in epistolis eius vestigium apparere? aut vbi vsquam apparet, nisi in his locis à nobis obseruatis? Quod si non ita perspicuè, & explicatè verbum benedictionis positum est, nec expressum nomen absolutionis, quòd in nomine benedictionis comprehensum est, nihil interest; prudentis est non hærere in verbo, vbi ratio propositi constat. Constat autem in locis istis de claui missa, & benedictione ex catenis inclusa in claui cum precatione adiuncta pro remissione peccatorum propositum fuisse Gregorio concedere indulgentiam. Deinde quia Pontifex non per modum suffragij tantum, vt nunc loquuntur; sed per potestatem clauium, vt Theologi sentiunt, indulgentias concedit, cũ B. Gregorius ad clauim, quam à corpore B. Petri, se ait transmittere pro benedictione, illam precationem adiungit. *Vt quod eius collum ad martyrium ligauerat, collum vestrum ab omnibus peccatis absoluat*: Quia Pontifex in B. Petro accepit claues regni cælorum, & potestatem ligandi, & soluendi, quo verbo hic vsus est Magnus Gregorius, cum ait *Hoc vestrum collum ab omnibus peccatis absoluat*. Et iterum. *Eius meritis, & intercessionibus vos ab omnibus peccatorum vinculis absoluat*. Sed redeo ad homonymiã

voca-

vocabuli benedictionis, quæ himonymia non vnam, vt dixi; sed multas sententias in locis à te obseruatis parit vt lib. 4. epist. 37. benedictionem scilicet S. Ignatij, quam Anastasius Antiochenus B. Gregorio misit, sicut Eulogius Alexandrinus benedictionem S. Marci aliter interpretamur. Non enim significat hìc indulgentiam, & absolutionem à peccatis; sed aliud. Fortassis Eulogius precatus, est Pontifici incolumitatem, & prosperitatem per merita S. Marci præsidis Ecclesiæ Alexandrinæ, & S. Petri discipuli, & hanc precationem vocauit S. Gregorius benedictionem S. Marci, quam dicit se accepisse ab Eulogio missam, sicut nos dicere solemus. Misisti mihi salutem illius, aut huius. Similiter fecit Anastasius Antiochenus in benedictione S. Ignatij, quam misit Gregorio. Aliter etiam accipitur, cum dicit. *Multi venientes ex catenis benedictionem petunt, vt parum quid de limatura accipiant*. Vocat hìc benedictionem omnia illa, quæ illa limatura operari solebat, sicut reliquiæ Sanctorum operari solent, quæ beneficia vocat in alia epistola, in qua dicit. *Cui*, scilicet claui, *de catenis eius beneficia inserta sunt*. Petere igitur ex catenis B. Petri benedictionem hìc nihil aliud erat, quàm petere aliquid limaturæ ex catenis, vnde eis beneficia venirent, vt si dicerem impetraui à Pontifice benedictionem de ossibus huius, aut illius Sancti, perinde esset, ac si dicerem impetraui reliquias ex ossibus Sancti, vt per eas benefitia à Deo consequar. In istis varijs sententijs aptè eruẽdis ex homonymia vocabuli benedictionis maluissem istud tuum acre ingenium exercuisses. Ego quantũ potui, & licere mihi existimaui, laboraui in eruenda vera sententia B. Gregorii, quid sibi velit, cum dicit se mittere clauim S. Petri cum benedictione de catenis eius inclusa precando, vt ille, cui mittit, absoluatur à peccatis. Licuit mihi intuenti in scopum B. Gregorij, & in Apostolicam traditionem de indulgentijs ex potestate clauium profectis sic interpretari vocabulum benedictionis homonymum in locis B. Gregorij à me notatis, sicut interpretatus sum. Cui non probatur abundet in sensu suo. Ego cum scribo studeo, vt non facilè mihi obiiciatur quod Philosophus in quosdam, quos dicit ad pauca respicientes facilè pronunciare, hoc ipsum alii, vt faciant optare quidem possum, præstare verò minimè, quia nec ego vtrum præstem scio. Scio te amicè, & amanter me de tuis obseruationibus admonuisse, ne amicus, qui te vnicè diligit, reprehensiones curiosorum incurreret. Sed

bono animo eſto. Salua res eſt. Cum enim multa ſignificet nomen benedictionis, quod nemo eſt tam tyro, & rudis in litteris Eccleſiaſticis, qui ignoret. Iſta tam multa obſeruatio locorum S. Gregorij, in quibus neceſſe eſt, vt vocabulum benedictionis non vnam rem certam, ſed plura ſignificet, non poterit noſtram interpretationem falſam eſſe conuincere; imo, vt dicam quod ſẽtio, idem nomen neceſſariò ſignificat diuerſa. Sicut ſi dixiſſem impoſitionem manus eſſe Sacramentum confirmationis, & tamẽ hæc complexio imponere manus varia ſignificat in Conſtitutionibus Apoſtolicis, vbi manus imponit qui baptizat, qui ordinat, qui abſoluit, qui confirmat. Vale in Chriſto, & ſi quid habes melius communica. Si meos labores in Clementem pergas legere, ſcio alia occurrent, quæ & magis operæ pretium erit corrigere, & ego libentiùs corrigam. Vale iterum in cubili iſto tuo, in quo meliùs vales, & plus agis, quàm plerique alii robuſti, & benè valentes.

L. LATINIVS FRANCISCO TVRRIANO.

Suam exponit opinionem de nomine Benedictio.

A Contentionis ſtudio ſemper abfuiſſe me velim, mi Turriane, inter ea numeres, quæ ſumma à Deo conſecutum me beneficia iam pridem ſtatui. Ego quæ collegeram apud S. Gregorium, putaui fieri poſſe, vt non omnia à te obſeruata eſſent, in quo fortè ἄλογος, ἢ σκαιός, vt Dioniſij verbis vtar, videri potui. Sed nunquam exiſtimaui tamen vnam eſſe vel diuerſorum verborum, vel eorumdem vbique ſententiam, neque verò à me quicquam ſcriptum video, quod in eum ſenſum à te trahi poſſit. Quid enim vel contra rectam latinè loquendi formulam, aut contra tuorum dialecticorum præcepta feciſſe me potes arguere, ſi ex multis D. Gregorij locis diligenter expenſis, atque collatis ſcripſi, putare me facilè erui à quouis poſſe, quæ vera eſſet ſcriptoris ſententia? An non hoc idem eſt, ac rectiùs fortè, quàm ſi à me ſcriptum eſſet, quæ veræ eſſent ſententiæ? Valeant omnes dialecticorum tam ſubtiles compedes veriùs, quàm regulæ, ſi huiuſmodi reliquæ ſunt. Mihi res integra, & ſalua eſt in portu. Tu videris, an in re, quæ meritò noua videri poteſt, aſſerenda, prudentis viri eſſe ſtatuas ijs argumentis ad per-

ad persuadendum niti, quæ ex verbis non certum quid; sed multa significantibus constare, & omnes vident, & tu maximè fateris; nec fateris tantum, sed ad rem, de qua agis, summo tibi adiumento esse putes. Ego quòd virtutis tuæ, & eruditionis meritũ semper feci, amo te plurimum, atque ideo in tuis scriptis nihil esse vellem; quod vel leuissimè reprehendi posset. Quare si quid liberè fortè nimis tibi visus sum admonere, tu pro tua æquitate amori in te meo condonabis, tibique persuadebis, me inter eos, qui te maximè & diligunt, & obseruant, si non primum, aut secundum, certè proximum locum tenere. Vale Quinto Nonas Martij 1580.

FRANCISCVS TVRRIANVS L. LATINIO S.

Alijs rationibus confirmat suam sententiam in explicando nomine Benedictio.

EGo in asserenda re non noua, vt dicis; sed vetustissima indulgentiarum, nitor auctoritati Euangelij de potestate clauium, cum loco S. Pauli ad Cor. 2. deinde Apostolicæ Constitutioni à Clemente Apostolorum Discipulo litteris mandatæ; præterea Ecclesiæ vsui, & consuetudini, quæ non aliunde, quàm ex Apostolica traditione ortum ducere potuit. Quæ consuetudo Ecclesiæ tantam habet auctoritatem, vt S. Thomas spectatissimus Scholæ Theologorum impium esse iudicauerit putare eam aliquid vanum facere. Ergo sunt, inquit, indulgentiæ; at qui rem nouam dicit esse, & si mente, & proposito longissimè abest ab ijs, qui indulgentias negant; sermone tamen proximè ad eos accedit, quia vel nihil sonat nomen indulgentiarum, vel cum Euangelio, cui nituntur, natæ sunt. Hanc antiquitatem ego testimonijs Pontificum cum probarem, perduxi probationem vsque ad ætatem Magni Gregorij. Fateor quidem, vt ais, multa significare nomen benedictionis, quo in varijs locis variè vsus est Gregorius. Sed quia ex eo putas effici, vt non possim, vt verbis tuis vtar, argumentis niti ad persuadendum, quæ ex verbis non certum quid; sed multa significantibus constant, videris mihi existimare, si quod verbum semel sit homonymum, quod æquiuocum vocant, non posse vllo in loco aliquid certum, & proprium eius loci significare, vt ex eo argumentum vllum duci possit, in quo magno errore labi, qui sic putet necesse est. Si enim ita esset, ipsa etiam Scriptura cum homonymis vtitur

 inuti-

inutilis esset ad docendum, erudiendum, & redarguendum contra auctoritatem Pauli. Multa autem esse homonyma in Scripturis, ne id dubites, vide quid Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. scribat, cum dialecticam à vituperatione vindicat, & vtilem, ac necessariam esse docet, quomodo etiam, inquit, non est vtile diuidere voces ambiguas, & homonyma, quæ in Scripturis vtriusque testamenti feruntur, & Dominum dicit docuisse Diabolum illud, in quo deceptus errabat, scilicet cum Dominum tentauit inquiens. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*. Falsò enim putabat Diabolus nomen panis non significare aliud, quàm panem, qui in vsu vitæ communis est. At Dominus vocabulum homonymum distinxit, quod est munus dialecticæ, cum dixit. *Scriptum est non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei*. Hac arte vsus distinxi in locis Gregorij nomen benedictionis homonymum ego etiam. Quid autem in singulis locis propriè declaret, ex ipsis illis locis, & proposito scribentis liquet; ita vt ex singulis argumentari liceat accommodatè ad propriam cuiusque loci rem, & scopum auctoris, vt exempli gratia, si dixerim canicula oritur ante solstitium, & canicula latrat, & mordet, & canicula in eo mari est, rem certam significat in vnoquoque horum locorum nomen caniculæ; alioqui homonymum, idest quamuis multa significet, quorum ratio non est eadem, ita enim dialectici definiunt homonymum. Et canicula sydus, & canicula piscis non possunt impedire, quin canicula latrans significet animal, neque facere possunt, vt canicula latrans caniculam sydus, aut caniculam piscem significet. Eodem modo illa benedictio missa cum claui, & cum precatione Gregorij Pontificis pro absolutione peccatorum à me in duobus locis obseruata, quam ad indulgentias retuli accommodatè ad scopum Gregorij non poterat lædi, neque redargui, vt tu existimasse videris alijs locis, in quibus aliter positum est hoc nomen, aliud significat, vtpote homonymum. Quia enim sic existimasse videbaris factum mihi videbatur, vt me admoneres de tuis obseruationibus quod amicè, beneuolè, & studiosè factum esse semper interpretabor. Si enim aliud significare putabas in duobus locis Gregorij à me notatis, quàm in reliquis à te numeratis, in quibus non est ea formula precandi pro absolutione peccatorum, non erat cur eos contra meam obseruationem, & interpretationem, quasi eam infirmarent

rent

rent contra præcepta dialecticorum numerasses, qui sophisticos compedes regulis suis frangunt, non inijciunt. Sed omittamus hæc, quæ leuiora sunt. Illud autem non leue est, si putas rem nouam videri posse indulgentias. Aliud est, mi Latine, esse, & aliud in crebro vsu esse. Fuisse ab initio Euangelij, vnde earum vis, & potestas profecta est, non potest numerari Theologus, qui neget. Crebritas, & frequentia earum neque necessaria fuit à principio, nec vtilis. Causam reddidi in mea comentatiuncula, cum docui vnde nunc earum vsus creber, qui iam vetus est, vtiliter, & necessariò extiterit. Si quis exempli gratia natus esset, qui diu post vsque ad grandiorem ætatem, ita volente Domino, ingredi non posset, an ideo minor natu haberetur? Minime; sic cogita in indulgentijs, quarum originem, & ortum scimus; quòd verò diu post in vsu esse, & crebescere, atque vt ita dicam in curriculo versari cæperint, nihil refert; non propterea res nouæ dicendæ sunt, sed antiquæ Apostolicæ, & Euangelicæ ætatis. Scito, quod nolim arroganter dictum accipias; Hosium amicum tuum piæ memoriæ, cum viueret, & hæc nostra legeret, quæ ei tanquam Summo Poenitentiario ostendissem, magnopere approbasse, & idem fecisse duos Patres nostræ Societatis, qui tamquã iudices nostra scripta priusquam emittantur, & iudicium publicum subeant, expendere, & magna diligentia, atque studio excutere solent. Sed qualiacunque sint, acquiesce iudicio tuo. Et quia te dicis, & id in Domino meritò gloriaris, à studio contentionis abesse, quæso, vt desinamus, præsertim cum vterque nostrum ad meliora studia, & magis necessaria occupationes suas applicet. Illud interim pro certo affirmo, vt te ex animo diligo, ita me à te diligi certum habe, & animaduersiones tuas, ac correctiones non solum non odiosas; sed gratissimas potius, & vtilissimas mihi semper fuisse, & futuras deinceps. Quæcunque notaueris, & me admonueris semper boni consulam, & pro eo, atque debeo, debere me tibi confitebor. Vale in Christo. Citò te reuisam, si Dominus voluerit.

L. LATINIVS FRANCISCO TVRRIANO.

Refellit iterum eius rationes de nomine Benedictio.

NOuam rem appellaui apud Clementem loco à te explicato Benedictionem neque paruam, neque magnam laico

permis-

permissam interpretari te absolutionem à peccatis paruis, vel magnis, aut poenarum remissionem, quam indulgentiam vocamus, præsertim in ea verborum serie, vbi quod primum prohibitum esse oportuit, tamquam grauius postremo loco positum est. Deinde ad eam interpretationem nominis confirmandam nouũ mihi idiotæ accidit. D. Gregorij verba à te bis, aut ter obseruata adduci, quæ videri planè possunt aliud significare. Hæc si tibi, qui plurima legisti, & obseruasti, noua non sunt; mihi tamen certè noua sunt, & (nisi prorsus fallor) multis quoque. Peccatorũ tam paruorum, quàm magnorum remittendorum facultatem in Ecclesia habere non solum Summum Pontificem, sed Episcopos, & Sacerdotes omnes Catholicos scio; traditamque eam cum clauibus regni cælorum vni Petro, atque Apostolis reliquis per insufflationem Christi ex Euãgelio didici; & adhuc puer ex symbolo idipsum ex parte noram. Indulgentias, idest poenarum pro peccatis indictarum relaxationem in parte, vel in totum non modò ex Apostolo in Corinthio fornicatore; sed ex Patribus passim, & innumeris Canonibus apud Summos Pontifices, & Episcopos ius concedendi fuisse frequenter legi. Nouum verò hoc numquam putaui, aut putare potui. Verbum tamen benedictionis ad hanc rem trahi, hoc verè auribus meis nouum accidit, nouumque videri scripsi. In eo quod ex D. Gregorij locis scripsi facilè erui posse veram sententiam, si diligenter expenderentur, & conferrentur, si dialecticorum regulas (vt scripsisti) putas me contempsisse tanquam non necessarias, atque ideo compedes me appellasse, desidero hìc æquitatem tuam, quam appello, rogoque, ne pigeat docere me in quo peccauerim, cum non vnam ex omnibus D. Gregorij locis, sed veram sententiam ex singulis existimarim, & scripserim erui facilè posse; Id verò si contra dialecticorum formulas factum reprehenditur; hìc ego existimaui compedes veriùs appellandas, non alibi. Postremo quod videndum tibi esse scripserim, viri ne prudentis esse statueres eiusmodi argumentis niti ad persuadendum &c. Et hìc requiro maximè æquitatem tuam, qui me accusas quasi ego vel tibi, vel cuiquam negarim licere huiusmodi argumentis vti, quod ego numquam somniaui; an expediret autem aduersus eos vti, contra quos scribis, id verò putaui considerandum tibi; mihi enim integram, & saluam rem in portu esse scripsi, qui (vt idiotam decet) nihil vnquam definiuerim aut scribendo, aut docendo; Monita

nita tua tamen libenter amplexus ſum, atque eo nomine, me tibi plurimum debere profiteor. Vale. Cum Gratiano enim mihi res eſt, eaque moleſtiſſima, cum ſingula quæque eius verba relegere, & examinare cogar vna cum notationibus adiectis, præterea etiam Patrum ſcripta iterum conferre, ne ad typographũ mendoſa perferantur. Pridie Nonas Martij 1580.

STANISLAVS RESCIVS L. LATINIO.

Eruditionem, ac interpretationem eius laudat, proponitque Græcum adagium.

NIl ab ingenio tuo, atque à perpetuis vitæ inſtitutis, nil à mea de te expectatione facis alienum, Latine doctiſſime, cum de meo profectu tantopere laboras. Eſt enim hoc animi omni pietate cumulati, & diuinæ cuiuſdam voluntatis argumentum, velle, vt omnes in melius quotidie proficiant. Quamobrem magis, atque magis hoc etiam nomine volo tibi debere, dum vixero, & interim ago, & habeo gratias immortales. Quod te non eum eſſe putas, quem ego prædico, & omnes mecum exiſtimant, hoc vnum te neſcire tibi gratulor. Habet enim iſta ignoratio perfectæ, & cumulatæ ſcientiæ rationem. Quòd vero conatus noſtros, & proficiendi deſiderium iudicij tui maturitate, laudibuſque approbas; memini me quoque lepidas aliquando feles, ſymias, & ſcabioſos catellos pardos, tigreſque vocitaſſe. Mihi quidem ante oculos ſæpe obuerſatur illud Ἄν μὴ καθαρῇς καὶ ἀλέσῃς οὐ μὴ φαγῇς. Locum Oratoris non dum inueni. Quæram, & inueniam, quia ſic nobis ille promiſit, qui fallere neſcit. Interpretationem tuam ſequar. Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Patrono tuo me charum eſſe gaudeo; cuperem profectò ei Principi meam ſeruitutem ita probare, vt me eſſe dignum exiſtimare poſſit, quẽ etiam in ſuorum clientum, & neceſſariorum numerum adſcribat. In tuis commendationibus grauiſſimis omnia poſita eſſe video. Valetudinem tuam cura diligenter, & nos, quod facis, ama. xiij Calendas Februarii 1581.

L. LATINIVS STANISLAO RESCIO.

Corrigit suam interpretationem, locumque Demosthenis considerandum proponit.

QVod interpretationẽ meam secuturum te scribis, non omnino probo. Ego enim ita ex tempore verti, vt potui, penè aliud agens, certè nunquam ferè arbitratus, vt ita in publicum exiret. Quare si ita tibi in animo est, omnino mutandum censeo initium verborum. Actus enim vitæ extremus non vnius momenti est; sed pars vitæ degendæ postrema; mors autem finis vitæ. Quare ita vertenda prima verba; Finis vniuersis hominibus mors est proposita &c. Locus Demosthenis in ea oratione pro corona, in ea parte est, vbi decretum χερρονησιτῶν tractat in excussis Turrisani forma octaua folio 19. A. quem tibi codicem mittendum curaui, ne frustra, aut diu de ea sententia inuenienda laborares. Cæterum te video in codicem non admodum rectè scriptum incidisse; vnde verba Græca ad me scripta sumpsisti Ἄν μὴ καθαρῆς &c. Patrono meo te, quotìes occasio inciderit, ne id homini maximè memori, & tui amantissimo importunè occinam; diligenter commendabo. Vale, & me ama xij. Calendas Februarij 1581.

Præstanti doctrina Viro.

L. LATINIO IVLIVS IACOBONIVS S. P. D.

Queritur modestè, quòd ipse beneuolentia deceptus commendauerit eius doctrinam, & eruditionem Palæotto.

FAteor, quod res est, Latine ornatissime, præproperam meam de tuo ænigmate fuisse interpretationem, quam sanè lentam de rebus obscurioribus omnino fore oportebat; sed ita erat res, ita facere mea in Palęottum feruens obseruantia compulit. Libuit primùm ipsa respondendi celeritate declarare, quàm mihi grata Palęotti iussa acciderint; cui non statim morem gerere haud arbitrabar esse eius, qui clarorum causa & velle omnia, & facere in omni vita conuenit. Deinde verebar, ne si longius tempus ad respondendum sumerem, aliquid ex Apollinis tripode depromptum Palæottus ipse ex meæ quadam inani doctrinæ

concepta

concepta opinione expectaret, quem ne illa ſpes deciperet(neque enim hominum expectatione digna, inepta ſcilicet, atque ex tempore proloquor) magnopere mihi præcauendum putaui. Malui igitur vel minus oportuna conſcribere, quàm nihil ſcribendo priſtini inſtituti mei parum memoris notam incurrere. Præſtat interdum perperam aliquid, quàm nihil omnino facere. Cum illud ingenij, quod vix ſibi quiſquam format, hoc voluntatis vitium ſit. Neque tamen meam prorſus luſiſſe induſtriam videor; vna me opera, & Palæotti mandata exhauſiſſe cognoui, & apud te, quod non in poſtrema parte felicitatis pono, non minimam ingenij, eloquentiæ, iudicij laudem collegiſſe, quæ omnia tametſi nullo meo merito dicta in me eſſe intelligo, (noui ſummorum poëtarum morem, quos non minus ironia delectat, quàm pleraque omnia effingere) non poſſum tibi tamen, quòd tam præclarè de me ſcripſiſti, non ſummas agere gratias, optareque perpetuò tuo te iſto iudicio falli, ex quo non mediocrem tuum in me deriuari amorem ſentio. Perge, Latine optime, in optima de me benè exiſtimandi voluntate, quam ſi nullo officij genere compenſare in præſentia queo, ita eam memoria ſemper tuebor, vt nullo vnquam tempore in ingratum hominem beneuolentiæ ſtudia contuliſſe videare. Vale. Bononia Nonis Ianuarij 1582.

L. LATINIVS IVLIO IACOBONIO.

Reſpondet ſe veriſſima narraſſe Palæotto, ſed viri doctiſſimi ſolent honeſtiſſimè de alijs; de ſe verò modeſtiſſimè ſentire.

QVamquam ego aſtutè nihil egerim, cum de te ad Palæottum honorificè me ſentire ſcripſi; tu tamen pro ſingulari tua modeſtia maluiſti ſuſpicari, me vel ironia vſum, vel nulla firma ratione niſum; ſed tenui quadam pulchri ſpecie captum in eam ſententiam deſcendiſſe; quàm veras laudes tuas agnoſcere; quod ego tantum abeſt, vt non æquiſſimo animo feram, vt mihi etiam planè perſuaſerim propterea veriſſima eſſe, quæ de te prędicauerim, multoque meliora te documenta ingenij, & eruditionis in dies eſſe daturum; quod non dum tibi videaris ita profeciſſe, vt non multum adhuc ſupereſſe ſpatij ſentias, vt metã contingas, & palmam capias Quare fit Iacoboni ſuauiſſime, vt non mediocri-

ter ambigem, vter nostrum dum vel de se quidem modestissimè, de alijs verò honestissimè sentit, vtiliùs fallatur. Illud quidem certè video vtrique magnopere mutuò esse gratulandum, quòd eam nobis propitius Deus mentem dederit, vt cum ab omni vel leuissimo arrogantiæ crimine longè semper abesse studeamus, tum etiam bonorum omnium erga nos animos ad beneuolentiam faciliùs prouocemus. Quid enim ad hominum voluntates, ac studia sibi propensiùs concilianda, tenaciùsque retinenda validius vel esse, vel excogitari potest, quàm si honestissimè de alijs sentientes numquam tantum nobis tribuamus, vt quæ nostra sunt vel ipsi laudemus, vel digna esse censeamus, quæ eruditorum suffragia mereantur. Sed hæc pluribus fortasse quàm par est. Reliquum est, vt quæcunque ab homine tui cupido, atque amantissimo expectari possunt, ea ex me tibi ita semper prōpta, ac parata esse confidas, vt in nullo erga te officiorum genere quemquam mihi præferendum esse constituas. Vale, & Bononiæ delitijs Camillo Palæotto fruere. Roma Idibus Ianuarij 1582.

L. LATINIVS GVLIELMO SIRLETTO Cardinali S. D.

Gratias ei reddit pro gallinis; ostenditque se carminibus meditandis senectutis otium, ac noctium vigilias fallere.

COmmodum heri absolueram rudes versiculos, quos ad te mitto; cum ecce tuo non dicam more tantum veteri; sed singulari quadam erga me benignitate, iussæ gallinæ ad me salutandum adeunt. Erubui fateor, cum me tamdiu cessasse ab omni prorsus grati erga te animi significatione, debitæque obseruantiæ testificandæ studio sum recordatus. Sed quid agam? Decumbo frequenter corpusculi debilitate continua; quod reliquum temporis est, cogor domo pedem non efferre, nisi cum diebus Dominicis, festisque celebritatibus ad sacram ædem, quæ non longiùs quinquaginta passus abest, me confero, vt Deo debitum cultum vtcunque exhibeam, eiusque erga me singulari caritati gratias agam, oremque, atque obsecrem ne me inutilem dum viuo esse patiatur; sed pro sua pietate erudiat, exerceatque ad ipsius gloriam, atque ad priuatim meam, multorum-

que

què salutem. Quare dabis veniam Latino tuo, qui oculorum viribus quotidie tantum deficitur, vt legendi munus inuiti, caligantesque subeant, proptereaque ne nihil agens otio marceã, cum interdiu cubans, tum sæpiùs in nocturna vigilia, quam senibus quasi emeritæ ætatis stipendium natura largita est, in poëtarum castra diuertor, versiculis meditandis tantisper molestum otium fallens dum dies aduenit. Noli itaque mirari, si huius ætatis cum sim, ad ea studia me vides redijsse, quæ ne adolescens quidem, nisi parcè, atque infeliciter attigi. Sed hæc coram, vt spero, atque opto pluribus. Camillus Palæottus, cum quo mihi non mediocris familiaritas intercedit, sæpe per litteras, quas crebras ab hinc quatuor menses accipio, vehementer contendit, vt te suo nomine reuerenter salutem, id quod nunc facio tanto libentiùs, quanto & tibi id à me muneris deberi intelligo, & hominis mei amantissimi voluntati, ne dicam imperio. Cura vt valeas Sirleti eruditorum decus, & rarum probitatis exemplar, & Latinum tui cupidissimum, quod semper liberaliter fecisti, amare perge. Ex ædibus xvj. Calend. Februarij 1582.

VIRO ORNATISSIMO L. LATINIO IVLIVS Iacobonius S. P. D.

Non agnoscit laudes sibi debitas, quas Palæotto abbundanter de ipso prædicauerat.

ADuleris vsque, & vsque licet; laudes tamen à summi tum iudicij, tum probitatis viro in me quoquo modo profectas quis non facilè intelligit, id mihi apud bonos, & doctos omnes ornamenti plurimum, & gloriæ allaturum. Enimuero me tibi debere antea multum profitebar, cum tu mirificis laudum pigmentis superiora de me conscripta ad Perillustrem virum Palæottum carmina adspersisti. Quantopere me tibi debere putas, perlectis ad me tuis proximis litteris, quas non obscuris amoris notis, ac non mediocri laudum cumulo vsquequaque exaggeras? Vtinam tanti nunc essem, vt quas mihi laudes plena manu contulisti vel pares, vel vt tua virtus promeretur, maiores in te transferre in præsentia queam. Sed id excellentioris ingenii, ac præstantioris styli negotium viri est: vtrumque in me

 sentio

ſentio quàm ſit exiguum. Verùm quod mea tenuitas præſtare non valet, fac quæſo à tua bonitate impetrem, vt omnino tibi perſuadeas, tantum mihi de tuis laudibus prædicare in animo eſſe, quantum eximias tui animi dotes decere, & omnes intelligunt, & ego præter cæteros non agnoſco ſolum, ſed mirabiliter ſuſpicio, Vale. Bononia ix. Calen. Februarij 1582.

L. LATINIVS IVLIO IACOBONIO S. D.

Modeſtiam eius laudat, teſtaturque ſe fuiſſe ſemper alienum ab adulationis vitio.

TV tamen, vt video, Iacoboni à ſententia tua non diſcedis, æquumque eſſe cenſes, vt me apertæ aſſentationis inſimules, dum omni ſtudio caues, ne quid tibi ad ſarctum tectum modeſtiæ tuæ culmen præſtandum deſit: qua in re amo ego vehementer, & probo verecundiam tuam: ſed cupio tamen, ſi fieri poteſt, vt ſine mea iniuria fiat. Ego affirmare tibi verè poſſum tam longè me ab eius vitii ſuſpicione ſemper abfuiſſe, vt virorum aliquot Principum beneuolentiam non inuitus amiſerim, quam mihi colligendam vndique iis officiis, obſequiiſque curaueram, quæ Christiano homine digna ſemper habita ſunt, & habentur. Quare vide ne nimium callidum ſit, vt cum amici hominis iniuria modeſtiam tuam tuearis, quamquam confido te honeſtiùs, quàm ſcribis de me ſentire: nam vt falli facilè poſſum, quia homo natus ſum, ita me prudentem fallere quemquã ſtuduiſſe, quod à me alienum maximè fuiſſe uerè profiteri poſſum, nemo umquam ſuſpicari opinor potuit. Sed ſatis iocorum, ſuperque eſſe ſentio. Vale, & me ama. Roma vii. Idus Februarii 1582.

L. LATINIVS COSTEO S. D.

Diuerſorum auctorum quæſtiones explicat; ac nodos ſoluit.

IAm ante triduum ſcripſeram ad Camillum Palæottum, cum qualis eſſet valetudinis meæ ſtatus, tum etiam quid fuiſſet mihi in Prudentij, atque Aëtij verborum ſententia cum Aldrouando controuerſum. In qua lite ad te iudicem cum prouocaſ-

ſem, expectaui quid tibi de ea re pronunciandum videretur. Verùm abs te mihi longior quæſtio cum non vnius, aut alterius, ſed multorum diuerſa ſentientium non mediocri auctoritate coniūcta propoſita eſt, in qua, quid ego tamquam honorarius arbiter ſequendum maximè cenſeam, poſtulas. Ego verò tam mearum virium id eſſe exiſtimaui par onus, quàm ſi mihi in naturæ arcanis explicandis, vter alteri præferendus eſſet Plato, an Ariſtotiles, quorum ſcripta numquam attigi, delatum eſſet iudicium. Superant hæc, mi Coſtee, imbecillitatem ingenij mei, nec vmquam tantum mihi ſumpſi, vt illotis, quod aiunt, manibus ad eiuſmodi quæſtiones explicandas putarim me ſine grauiſſima, iuſtiſſimaque reprehenſione manus admouere poſſe. Quare illud à te primum impetrandum mihi eſſe neceſſariò ſentio, vt ita quidquid à me ſcriptum erit, accipias tamquam nullum omnino pondus habiturum, niſi tua, & aliorum tui ſimilium eruditorum ſententia fuerit approbatum. Primùm ergo plurimum intereſſe iure ſtatuendum arbitror inter eos Scriptores, qui in tradendis diſciplinis, aut naturæ myſterijs explicandis illud ſibi tantum propoſitum eſſe voluerunt, vt quàm breuiſſimè, veriſſimèque omnia ad audientium, legentiumue captum accommoderent, ea in primis facilitatis, claritatiſque ratione habita, quæ maximè ſingulis rebus explicandis adhiberi poſſet; atque illos, quorum ſtudium præcipuum fuiſſe id vnum conſtat, vt vel elegantiæ lenocinio, vel poëtarum varia pictura magis aures, oculoſque legentium delectarent, quàm vt rem, de qua ſcriberent, ita verborum proprietate veſtirent, vt ab omnibus facilè agnoſci poſſet. Ornamentis enim hinc inde etiam è fabuloſis narrationibus ambitioſè accerſitis non facilè dici poteſt, quantum rebus ipſis obſcuritatem attulerunt. Quare, vt quæ mihi inter eos ſcriptores firmior auctoritas cenſenda videatur ſemel pronuntiem; Nicandrū, inquam, Pauſaniam, addo etiam Aelianum ſi vni Aëtio confero, videri mihi iure Aëtij auctoritatem potiorem aſſero; nihilque mihi multorum ſententia dumtaxat eiuſmodi ſcriptorum vnius philoſophi, medicique non vſque adeo mediocris, aut contemnendi Aëtij ſententiæ præſcribere poſſe videtur in ea præſertim re tradenda, quæ à philoſopho, & medico ſumma cura, & diligentia explicanda erat. Quare habes quid ſentiam de tota quæſtione. Greuinus quòd tapetis colorem ad pallorem referendum cenſet mihi non probatur. Athenei locus è vetuſtiſſimo poëta citatus,

tus, si fuisset indicatus, fortè aliquid comminisci potuissem, quod in medium afferrem. Sed quid? non ne solemus vulgò passim, vbi quis subita aliqua oblata specie timore tangitur, statim dicere. Mille colorum factus est? etiam si pallor maximè eum occupat, non perpetuus, aut firmus tamen; sed subinde varius, & mixtus. Quod pertinet ad sepis incessum, vt rectè à te Nicandri versus latinè redditus palam indicat, Aëtij cum Prudentij sententia congruit, ita vt æquum omnino esse existimem, in eam sẽtentiam nos pedibus ire oportere. Hæc sunt quæ breuiter pro ingenioli mei viribus ad te scribenda censui. Te verò iudicem, censoremque constituo, ea demum mihi probanda statuens, quæ tibi probata esse sensero. Vale, & me ama xiij Calen. Martij. 1582.

IOANNES COSTEIVS L. LATINIO S. D.

Quod nam genus fructuum sit Pepon apud Galenum explicat; ac de alijs fructuum generibus verba facit.

QVod tuis ad Palæotum litteris à me postulas, doctissime Latine, adeo difficile est, vt cum in eius rei perquisitione nũquam mihi satisfecerim, aliorum operam laudandam, deque alieno iudicio pendendum hac in re potius, quàm aliquid ex me statuendum mihi persuaserim. Tu tamen meum aliquid à me nunc expectas, atque, vt video, explicari implicatissimum nodũ desideras, de quo quanquam polliceri ego nihil audeo; non detrectabo tamen ea tibi communicare quæ sentio. Quæris quid Galeno sint πέπονες, μηλοπέπονες, & σίκυοι, & quorumdam esse, ais, sententiam duo tantum fructuum genera tribus capitibus à Galeno proponi. σίκυον enim eumdem esse fructum, qui & πέπων; sed qui tunc solum πέπων dicitur quum est maturus. Horum igitur opinione fructus à Galeno ijs capitibus comprænensi duo sunt, cucumis, & melopepon. Pepon autem erit non diuersum ab ijs genus, sed differentia cucumeri maturo attributa; ita vt cucumis alius sit πέπων, alius non πέπων. Quid autem huius auctores opinionis ita persuadeat non scribis: sed ex Galeno, vbi agit de pepone colligi aliquid videtur. Vt enim atramentum scriptorium vsus inualuit, vt τὸ μέλαν dicatur, licet hæc vox nigra omnia significet, ita etiam obtinuisse ait loquendi consuetudinem, vt πέπων maturus cucumis dicatur, licet ea dictio maturis omnibus fructi-

fructibus sit communis, & aliqui σικυοπέπονας. dici oportere contendant. Ex hoc igitur, quod ita scribit Galenus idem cum maturo cucumere peponem esse posset aliquis existimare. Ego tamē, vir doctissime, aliter sentio. Quanquam enim σίκυον de pepone, de melone, & de vero cucumere communi quadam significatione à veteribus interdum vsurpari non ignoro. At res ipsas tamē specie diuersas, vbi de ijs ex proposito agit Galenus, non distinguere verisimile non puto; tum etiam si πέπονας differentiam esse cucumeris existimaret, erat vt de cucumere prius ageret, tum de eius differentia admoneret; aut certè vt vtriusque historiam proximè conscriberet, atque is de pepone prius, de cucumere posterius. Inter peponis verò, atque cucumeris historiam melopoponem interponit. Fuisse autem veteribus fructus diuersæ speciei cucumeres, & pepones varia docent. Sunt pepones (quod ex Phania Athenæus) edendo apti sine semine, & tunc solum quum maturi sunt: ijdem verò meliores succi crudi, quàm cocti, vt Diphilus; at contra cucumeres & immaturi, & cum semine adhuc tenello in vsum veniunt; & ijdem cocti melioris succi sunt, quàm crudi. Quis ergo hos fructus eiusdem speciei esse dicat? Sed testatur etiam Galenus inesse cucumeri humidiorem substātiam, quàm peponi: atque è contrario maturus cucumis se ipso immaturo est siccior, ita vt qui prius aptus erat in cibum, vbi maturuit sit ob ariditatem ineptus. Commendantur itidem pepones (atque ob id peponis obtinuere nomen) quod suo illo in genere aliqua gratia antecellerent, quo pacto scriptorio atramēto, quia nigrore alijs rebus præstat contigit τοῦ μέλανος appellatio; at quæ maturo cucumeri gratia, aut maior, quàm eidem immaturo commendatio est. Tandemque cum Galeno idem sit re pepon, & cucumis pepon; rursus cum Aristoteli sect. xx. Problem. cucumis distincta res sit à cucumipepone, consequens etiam est, vt à pepone cucumis distinguatur tamquam re diuersum. Quando igitur ex his constat peponem cucumeris non esse differentiā; sed distinctæ speciei fructum, meam de Galeno sententiam vt explicare aggrediar, ita ego profectò aliàs mihi constitueram, illius pepones vulgatos esse melones, melopopones angurias, quas Arabes *Battichas* vocant, cucumeres verò paruos illos fructus, quos Italia reliqua hoc ipso cucumerum nomine agnoscit, Hetruria citrullos vocat. Et de cucumere quidem reliqua consentire videbantur; solius Dioscoridæ authoritas obstabat ipsum commendan-

mendantis vt ventriculo commodum, & qui olfactu in defectibus animi succurat, quas vires huic nostro inesse experimentum non docet; imo potius ratio contrarium pollicetur de eius substantia crudiori, frigidiori, atque insipida, & inodora. Sed re tamen diligentiùs expensa, & satiuum Dioscoridæ cucumerem melonem esse (quod viri doctissimi sensere), & cucumerem nostrum ab illo silentio præteritum eum ipsum esse, de quo agit Galenus collata ipsius historia facilè intelleximus, vt nihil reliquum sit quod ad cucumerem pertinet, cur de nostra, imo communi opinione discedamus. De pepone autem, ac melopepone, si quid esset dubitationis, id omne dissoluere, ac rem ipsam ipsemet Galenus apertissimè explicare videbatur. Si enim, vt is in melopeponis historia admonet, à peponis carne intima, in qua semen est, homines abstinent; interiora autem melopeponis mandunt, qui sensus fidem sequetur, melopepones quidem eos, quos angurias nũc vocant; pepones uerò melones esse existimabit. Hoc enim anguriæ, sicut, & cucumeris priuilegium est, quod caro eius tota manditur; quum contra intima illa melonis caro prorsus negligatur. Cæterum quamquam ita habet res, non tamen hæc nobis nunc satisfaciunt. Quum enim melopeponem Galenus, & peponi quo ad succi bonitatem præponat, & pepone minus humidũ asserat, cuius rei causa, & minus ciere urinas, & minus expeditè moliri alui deiectionem possit. Equidem si melones anguriasque & inuicem, & cum Galeni scriptis comparauerimus res ipsa à proposita sententia reuocabit. Angurias enim substantia esse, quàm sint melones, humidiori id docet, quod facilè in humorem totæ liquescunt; frigidiores uerò esse, præter id, quod sitim sedare, & febriles æstus extinguere solent, quod non solent melones, testis est sapor anguriis insipidus, qui melonibus est dulcis; sed & aquosi sui succi vbertate minus aptum ad nutriendũ succum gignere, & ventriculum subuertere longè faciliùs, quàm melones possunt; imo & in ciendis quoque urinis, & in subducenda aluo melonibus eas esse superiores experimento quotidie intelligimus. Sunt autem hæ omnes anguriæ vires in pepone etiam eædem, cur ergo angurias Galeni pepones, melopepones autem vulgares melones esse non existimemus? Nam & Auicennas quoque battechæ suæ easdem dotes tribuit, quas peponi Galenus. Battecham autem Arabum eam esse, quam anguriam nunc vocant, consensus est peritissimorum medicorum. Et rursum

ſum conditiones illæ, quæ ex Athenæo ſunt peponis, anguriæ conueniunt; nempe vt in cibum ſumatur ſine ſemine, & tunc ſolum quum matura eſt, & cruda; non autem cocta. Itaque ex his Galeni pepones angurias; melopopones autem melones eſſe valde veriſimile eſt. At verò quamuis non videantur hæc à ratione aliena; illud tamen adhuc, ne his liberè aſſentiamur, valde obſtat quòd intimam peponum carnem mandi negat Galenus; anguriæ autem interiora manduntur. Profectò quàm difficile ſit in propoſita quæſtione rationi, ac ſenſui Galeni hiſtoriam accommodare facilè apparet. De qua tamen, ſi neque erraſſe Galenum neque aliud ſenſiſſe quàm ſit à me poſtremo loco propoſitum; ſed ſi in eius codicem irrepſiſſe errorem dixero, abs te peto, vir doctiſſime, vt non niſi re intellecta admireris. Mendum igitur in Galeni contextu eſſe, hoc ſit tibi argumento, quòd ſi intima illa ſemen compræhendens caro in hoc fructuum genere ad deiectionem confert, quod Galenus ait; confert autem ob humidiorem, & ſeroſiorem ſubſtantiam, ob quam pepones turbare ventriculum, & vomitum excitare idem Galenus notat; eſt certè illud quoque conſentaneum, vt quod cum ea carne manditur, deſcendat celeriùs, quàm id quod ſine ea aſſumitur; quo iure ſi totus melopepo manditur; non manditur autem pepo; celerius quoque vt melopepo promoueat deiectionem, quàm pepo, neceſſe eſt; atqui in melopeponis hiſtoria Galenus illum tardiùs, quàm peponem deſcendere apertè pronunciat. Quis ergo hìc codicis errorem potius non agnoſcat, quàm Galenum in tam paucis verbis inconſtantiæ notet? In contextu igitur quum intimam melopeponis carnem mandi legitur; non mandi autem peponis, vocem alteram in alterius locum eſſe tranſpoſitam, ac melopeponem pro pepone, & contra pro melopepone peponem eſſe reponendum, ego quidem ſuſpicor vehementer. Sed nos etiam Auicennæ hiſtoria huius erroris videtur admonere, vbi de melopepone ſub melonis nomine hæc ſcribuntur. *Melo autem eſt tardæ digeſtionis, niſi quando comeditur cum eo, quod eſt interius eius.* Quo profectò loquendi modo melopoponis intimam carnẽ mãdi non cõſueuiſſe apparet; quæ tamen ſi mandatur, conferat ad deiectionem. Hæc nunc mihi, doctiſſime Latine, occurrunt de Galeni pepone, melopepone, & cucumere. Quæ ſi æquiſſimo iudicio tuo non ſatisfecerint, at erunt tibi obſequentis, ac propenſi in te animi mei teſtimonium. Vale Bononia Idibus Octobris 1582.

L. LATINIVS IOANNI COSTAEO S. D.

De eadem quæstione suam exponit sententiam.

EGo verò, Costæ eruditissime cum in ea sententia ante annos viginti fuerim, vt tres specie diuersos omnino fructus tribus distinctis capitibus à Galeno descriptos planè statuerem; nō putaui tamen hominem parum in eo rerum genere versatum decere, vt suæ sententiæ acquiesceret: sed eruditorum iudicium tantisper expectaret, dum quid verissimum sequi oporteret, maturè statuerent, atque idcirco studiosè egi cum Palæoto, & Pinello, vt Bononiensis, ac Patauinæ Academiæ principum virorum sententias meo nomine exquirerent, ne quid certum tenerem, nisi eruditissimorum prius calculo approbatum. Tecum igitur in totius quæstionis summa iam pridem sentio. Sunt tamen quædā, quibus non facilè vt assentiar adduci adhuc possum, quod non ita mihi videntur Galeni verba esse interpretanda. Primum illud τὸ μέλαν non quia nigrore aliquo cetera eiusmodi superet, scriptorium atramentum appellatum Galenus scripsit, sed quia ita omnium consuetudo ei rei nomen illud imposuit, eoque exemplo à significatione qualitatis ad substantiam quamdam certam nomen illud translatum esse in πέπονι quoque confirmauit, qui fructus, quia maturus tantum esui aptus esset, vel alia fortè causa nomen illud sortitus fuerat. Deinde quod ex Athenæo scribis asserere Diphilum, crudum πέπονα melioris esse succi, quàm coctum; quamquam fieri potest, vt verissimum sit; in meo tamen codice nihil eiusmodi reperi. Quod item proximè scribis, Galenum asserere inesse cucumeri humidiorem substantiam, quàm peponi, nescio ex quo Galeni loco id possit elici; cum, nisi ego egregiè fallor, contrarium Galenus omnino sentiat. Censere autem viros eruditissimos satiuum Dioscoridis cucumerem (σίκυον puto, non πέπονα) melonem esse; & cucumerem nostrum ab eo silentio præteritum; ego quidem nunc primùm in tuis litteris lego cupidus discere, qui sint qui ita sentiant. Postremo quod ex Auicenna (in quem ingenij, eruditionisque tuæ præclaros extare testes non ita pridem libenter vidi) Galeni sententiam confirmare niteris: quamquam probabile videri potest: nihil tamen ex eo, neque ex Serapione lucis ad obscuram rem illustrandam allatum esse existimo. Sed quid ago? In Peripateticorum castra impru-

dens

dens transgressus sum, oblitus inermem prorsus esse me, æquumque postulare, vt aliorum prius calculo probata sequar, quàm mea tuear, aut vera esse mihi tantum vni persuadeam. Collegi equidem ante annos aliquot multa, vt ad Palæottum proximis litteris scripsi; sed ea amici mei sententiæ perscripta contexui. Itaque nisi prius data ab eo venia mihi publicare non licet. Cum licebit autem, curabo, vt ad te vtrumque perferatur. Vale interim, & libertatem meam boni consule vir prudentissime, meque (quod pro tua humanitate prolixè facis) amare perge, & Palæotto Bononiensium delicijs meo nomine salutem dicito. Romæ Decimotertio Calen. Nouembris 1582.

HIERONYMVS MERCVRIALIS L. LATINIO S. D.

Plinij, & Hippocratis loca explicat.

QVæ mihi de Plinianis locis perscripsisti, magnopere, vt tua solent, placuerunt, quare ingentes gratias ago, illud adhuc tacere non possum, sententiam, quam ex Galeno proponis de cucurbita, veram illam quidem esse; verumtamen, vt Plinij verbis apposité conueniat certè (quæ forsan est ingenij mei tarditas) non admodum perspicio. Nam præterquam quod contextus posterioris editionis dissimiles sunt ab eo, quem te habuisse significas, etiam ex eo quod adiciatur, nisi cibos salubres, & leues existimari, qui humano ventre non conficiantur, haud mihi constat; eiusmodi verò sententiam falsam esse omnes medicorum filij facilè intelligunt, cum cibi aliqui propterea dicantur leues, quia facilè in stomacho coquuntur. Quid si ita legatur, cibos salubres, & leues existimant, qui perfici humano ventre queant, sed nec intumescant. De raphano illud mihi obscurum est, quæ sint acria viscerum, quæ colligit crudus raphanus; nam, vt eo vtantur homines ad præparandum vomitui stomachũ, sciunt medici. Quid cogitauerim ad capita à te proposita, Pinellus habere curabit. De colore vinoso apud Hippocratem adhuc magnopere hæreo, cum nec vna sit vinorum colorum differentia, nec accensus vocatus satis mulieribus, de quibus ipse loquitur, accommndari queat. Tu benè vale, meque amare perge. Patauij die 15. Octobris 1582.

L. LATINIVS HIERONYMO MERCVRIALI S.D.

De Peponibus, ac Cucurbitis Galeni suam retinet opinionem.

CVm accepissem vesperi litteras tuas, quas vna cum scriptis tuis Pinellus noster ad me perferendas curauit, non fuit mihi tantum otij, simulque oculorum benignitas, vt ea perlegere commodè, atque expendere singula possem. Laudaui tamen diligentiam tuam, admiratus sum ingenij acumen, rerum copiam, & constantem animi tui sententiam. Quam ego & si non dum facilè amplector, quòd multa video cum ijs, quæ probabilia collegisti maximè pugnare; non audeo tamen refellere, aut indignam te tanto viro statuere. Expectabo aliorum eruditorum iudicium, quod mihi faciendum omnino esse, & ingenii mei imbecillitas, & nulla penè earum rerum cognitio facilè iam pridem persuaserunt. Quæ de Plinii locis, atque Hippocratis rescripsisti non satis videre possum, cur te hominem acrioris iudicii tantopere adhuc angant. De colore enim Aristotilem satis tibi facere par erat. Galenus quod Ἄπεπτον cucurbitam facit, nisi pluribus modis paratam in cibum veniat, id ipsum est, quod Plinius ante eum scripserat, & Theophrastus. Quæ sint autem acria viscerum, quibus raphanus crudus prouocando vomitum prius collectis medeatur, expectabam ego abs te mihi planiùs explicari; non enim medicæ artis professor sum, vt ea tibi in ea exercitatissimo audeam, aut possim facilè declarare. Quare aliunde quærenda sunt, quæ vires ingenii mei tenuissimas superant. Vale, & scito mihi à Ioanne Costæo Bononia missa esse quæ de πέπονος sentiat. Ea vero longissime à tua sententia absunt. Roma x. Calen. Nouembris 1582.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTTO, & Ioanni Costæo. S. P. D.

Mittit aliquas rationes considerandas de Pepone Galeni.

QVod proximis ad Costæum litteris vltro pollicitus eram, nunc quia vt idem præstem omnino integrum non est, qua ratione potui fidem meam liberare nō distuli. Amicus ille meus, qui

qui iam ante annos prope viginti quid περὶ πέπονος apud Galenum ſentiendum eſſe exiſtimaret, diligentiſſimè collectis ex eo ſcriptore, atque aliis non ſine iudicio validiſſimis argumentis Etruſca lingua explicarat; mihique ſuorum laborum copiam vt viderem fecerat, exemplumque ſi vellem, vt commodo meo ſumerem libenter vt homo mei amantiſſimus permiſerat; posteaquam non ita pridem quæ ego eodem tempore obſeruaram, atque collegeram ex aduerſariis, vbi temere, & ſine vllo ordine diù iacuerant in meliorem ſtatum redegi, atque explicaui, ad eumque eo potiſſimum conſilio adductus miſi, vt ſi quid non probaret, pro ſua humanitate monere me non grauaretur; neſcio qua de cauſa permotus poſt ſeſquimenſem ad me remiſit non omnia; ſed tantum mea, reſectis iis pagellis, in quibus ſcripta ipſius continebantur. Quare non ſine oculorum diſpendio coactus ſum iterum deſcribere omnia, quod ad eam rem non habeo cuius opera vti poſſim, cum multa Græca verba interſerenda paſsim ſint, quæ ne legere quidem vllo modo norunt. Mitto igitur tantum mea; ſed ea lege, vt cum primùm exemplum deſcribendum vterque veſtrum, commodo tamen ſuo, curarit, ad me remittantur. Non enim eſt apud me exẽplum aliud abſolutum, ægrèque ad ea iterum in ordinem redigenda, ac deſcribenda adduci poſſem. Nam quæ ad amicum miſeram, vt ad me non integris; ſed reſectis pagellis remiſſa ſunt, ſtatim in fruſta conſcidi. Eſt tamen adhuc aliquid reliquum de tota ea quæſtione quod amplius cogitem, quod ſi erit aliquando ita apud me certum, dabo operam, vt ad ea, quæ nunc miſi, auctuarii loco accedat, atque ad vos deferatur. Valete, & quantum valere iudicabitis quæ conſideranda propoſui, rogo vos etiam, atque etiam vehementer, ne me celetis. Romæ VI. Calen. Nouemb. 1582.

Duodecim Capita conſideranda in quæſtione quid ſit πέπων apud Galenum Ioanni Vincentio Pinello Patauium miſſa.

1 AN quia interdum πέπων fructuum nominibus adiectum (vt Galenus ipſe fatetur) maturam eorum qualitatem indicat; idcirco ſemper qualitatis, & non cuiuſquam certi fructus ſubſtantiam proprium nomen eſſe cenſebitur?

2 An potius veriſimile ſit: cum vtrumque ſignificare id (ſiue

nomen,

nomen, ſiue participium ſit) poſsit, à Galeno 2. de Alimentis cap. περὶ πέπονος, de certa fructus ſpecie accipi debere, qui eodem nomine proprio ſemper, id eſt, & dum adhuc acerbus eſt, & cum poſtea maturuit, appelletur?

3 An quiſquam prudentis, diligentiſque viri eſſe exiſtimare poterit, in re parum cognita verborum ambiguitate vti, in alimentorum præſertim facultate tractanda, quæ certis frugum fructuumque generibus prius propoſitis, atque indicatis, expendenda neceſſariò videtur: quæque diſtinctis capitibus à Galeno diligentiſsimè explicata eſt?

4 An verò ſi (à Dioſcoride initio ſumpto) apud eiuſmodi ſcriptores, nuſquam inueniemus πέπονος vocabulum, niſi pro certa fructus ſpecie poſitum: ab ea quaſi lege ſolitum Galenum excipiemus, an potius eius moris obſeruantiſſimum vbique fuiſſe ſtatuemus? niſi ſi quando ambiguitatis vitandae neceſſitas ſuaſit viro oculato, & prudenti, vt σίκυον (quo fructus genere tam acerbi, quàm maturi fortaſſe populus vtebatur) certo cum temporis, tum qualitatis diſcrimine indicato diſtingueret: vt περὶ φαρμ. κατὰ τόπους. v. pag. 65. 53. his verbis fecit. καὶ μηλοπέπονες, καὶ σίκυοι, ἕως τε καὶ πέπονες, ἕως τε καὶ μὴ πέπονες ὦσιν. & viij. 108. 42. σίκυος ἐδώδιμος, ὁ μὲν ἤδη πέπων λεπτομερεστέρας ἐστὶν οὐσίας, ὁ δὲ μὴ τοιοῦτος παχυμερεστέρας δυνάμεως. & lib. 2. περὶ τροφῶν. cap. περὶ Συκαμίνων. vbi ſcripſit, καὶ τῷ σικύῳ, τῷ ἤδη πέπονι, καὶ πρὶν πεπανθῆναι. Et alibi forte quoque idem ſeruauit. Vbi verò nulla omnino ambiguitas morari lectorem poterat ita omnia contexuit, vt facilè quiuis intelligat πέπονα, σίκυον, & μηλοπέπονα; tres fructuum ſpecies inter ſe diſtinctas, propriiſque ſingulas nominibus appellatas ab ipſo eſſe. Vt in lib. περὶ εὐχυμίας pag. 356. 38. his verbis, οἱ καλούμενοι πέπονες, καὶ μηλοπέπονες, quos negat ſeruari ſiccos poſſe, & lin. 43. ſubdit οἱ σίκυοι τοὺς κολοκύντας ὡσαύτως ξηρανθέντας διαμένουσι. & pag. 357. 38. Καρποὶ δέ εἰσι καὶ σίκυοι, καὶ πέπονες, καὶ μηλοπέπονες. & pag. 360. 33. καὶ σικύου δὲ, καὶ πέπονος, καὶ μηλοπέπονος. & lib. iv. τῶν φαρμ. κατὰ τόπους. pag. 220. 20. ἡ πέπονος, ἡ σικύου τῇ σαρκί. quibus in locis ita diſtinctè de ijs fructibus ſcripſit, vt non acerbitate, & maturitate; ſed ſpecie omnino diuerſa differre inter ſe pleniſſimè demonſtraſſe videatur. Huc accedit, quòd non temere (quantum memini obſeruaſſe me) apud huiuſmodi ſcriptores quiſquam reperiet σίκυον πέπειρον, ἢ πεπεμμένον, ἢ ὡραῖον, ἢ ὥριμον dictum; quæ tamen nomina, & participia paſſim leguntur adiecta cæteris fructibus

quum

quum maturos eos ſignificare volunt. Quæ autem huius rei cauſa afferri probabiliter poſsit, eorum iudicio conſiderandum relinquitur, qui de tota quæſtione ſententiam maturè laturi ſunt.

5 Si fructus ſinguli proprium ſemen, ſingulæque plantæ proprias radices habent; vnde fit vt in eodem medicamento Galenus, atque alij σικύου, καὶ πέπονος, ſemen, & radicem addenda ſcribant; cum ſi eadem planta σίκυον, & πέπονα ferret; vnum tantum ſemen, vnaque radix ſatis eſſet? quod 2. lib. de alimentis idem Galenus circa proœmii finem planum fecit. Cum enim oſtendere vellet multos eſſe fructus, qui tamen ſemina dici non poſſent, tametſi in ventre concluſa ea continerent, ea tantum quatuor fructuum genera enumerauit, κολοκύντην, σίκυον, πέπονα, καὶ μηλοπέπονα. Quare eorum ſemina inter ſe tota ſpecie differentia eſſe neceſſario colligitur in argumento.

6 Præterea ſi in eodem lib. Galenus cap. περὶ πέπονος, fatetur quidem πέπονος vocabulum alijs fructibns additum, maturitatis qualitatem indicare; ſubiungit autem hæc verba: προσδῆλον δὲ ὅτι κἀπὶ τούτου τοῦ καρποῦ τὴν προσηγορίαν οἱ ἄνθρωποι πεποίηνται, καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ γραφικοῦ μέλανος. Nonne ſicut atramentum ſubſtantis rei certæ nomen, τὸ μέλαν, homines appellabant, ita etiam πέπονα certam fructus ſpeciem proprio ſubſtantiæ, non qualitatis nomine nuncupatam à Galeno planè intelligere quiuis poteſt? Id quod altero quoque exemplo μηλοπέπονος confirmauit; non enim maturum malum: ſed fructus ſpeciem valde diuerſam ſignificari eo nomine, clariſsimè oſtendit.

7. An in hunc medicorum cenſum admittendus *Euſtathius* quoque videatur? Is autem in Homeri Iliada ſcribens pag. 624. 625. in explicatione verbi πέπων, his verbis vſus eſt, ἡ δὲ κοινοτέρα ὁμιλία τὸ τοῦ πέπονος ὄνομα ἐπί τινος εἴδους ἀφορίζει τῶν σικύων ἡδέων εἰς λεῦσιν, καὶ φιλουμένων βρωθῆναι. Quæ ferè videntur ex Galeni loco proximè citato ſumpta eſſe, & σίκυον, ἀπὸ τοῦ πέπονος, tamquam genus à ſpecie diſtinguere.

8. Erit præterea Plinius, inter Latinos diligentiſſimus huiuſmodi rerum indagator, in conſilium meritò adhibendus. Qui cum lib. XIX. cap. V. Cucumerorum hiſtoriam deſcriberet, qui ſub vno generali nomine, cum plures ſpecie differentes eſſent, omnes tamen continebantur, nec haberet Latinum aliud quàm Cucumis nomen, quo alium ab alio ſecerneret, neceſſitate compulſus eſt ad vſitata Græcis nomina confugere; notamque certam

tam apponere illi ſpeciei, quam à communi aliarum nomenclatura diſtinctam eſſe oſtendere voluit. Scripſit igitur inter alia, quæ ad hanc quæſtionem illuſtrandam faciunt hæc verba. Qui cum magnitudine exceſſere, pepones vocantur. Vbi ponderandum eſt verbum *vocantur*. Non enim hìc de maturitatis, aut acerbitatis qualitate; ſed de ſpecierum diuerſitate egit; quare nomen peponis certæ ſpeciei proprium eſſe planè demonſtrat; Quamquam autem, (vt nouorum & etiam tum parum notorum) hiſtoriam eorum fructuum videri alicui poſſit, non perfectè nouiſſe; ſatis tamen nobis eſt, peponem à reliquis diſcreuiſſe ſpeciebus, quod item lib. xx. cap. 2 ijſdem ferme verbis vſus confirmauit, & iterum cum paulo infra adiecit, Hoc & folia cuiuſcumque ſatiui illita (faciunt). Quis autem facilè exiſtimare poterit Plinium in eod. cap. v. ſupra citato, cum ſcripſit. Inde hæc duo prima genera Camerarium, & Plebeium, quod humi repit: in priore mire tenui pediculo libratur pondus immobile auræ, eam cucumeris ſpeciem quæ à figuræ forte ſimilitudine à nobis citreolus dicitur, à Ciſalpinis Gallis cucumis appellatur, deſignare voluiſſe, & non potius, quem nos cucumerem, illi vero Anguriam vocare ſolemus? cum citreolus exigua corporis mole dependens facilè moueri poſſe videatur, quod in pepone ampliſſimi grauiſſimique corporis fructu mireque tenui librato pediculo, nequaquam fieri affirmat auctor?

9. Quid autem, ſi Aëtius tribus verbis hunc totius quæſtionis nodum ſecet? cum lib. 1. fol. XIX. pag. 1. ſcripſit πέπων ὁ μὴ πεπεμμένος, & reliqua. Reijciemus ne aut ſcripturis auctoritatem, aut lectionis huiuſmodi rationem deprauatam, immutatam, mancam, aut redundantem contendemus? cum videri quibuſdam poſſit, eadem illa ſcribere debuiſſe, quæ Galenus ante ſcripſerat. lib. viij. περὶ ἁπλῶν φαρμ. pag. 108. 42. to. 2. ſupra à nobis in 4. cap. citata, quæ certè præter pauciſſima, videntur eadem eſſe? an vero ita vtriuſque auctoritatem tuendam ſuſcipiemus, vt neutrum ab altero diſſentire ſtatuamus: ſed Aëtium pluribus clarioribusq; verbis rem explicaſſe, hiſtoriamque integram retuliſſe, quam Galenus duobus locis: id eſt lib. 2. περὶ τροφῶν δυνάμ. περὶ πέπονος, & iterum, loco hìc citato ſingillatim ſcripſerat? quod profectò diligentiùs vtriuſque loci ſingula conferenti facilè apparebit verum eſſe. Quæ enim à Galeno πέπονι tributa erant libro περὶ τροφῶν. eadem σικύῳ hoc loco tribuuntur.

buntur. Quare videtur Aëtius interpres Galeni cautiùs consultiùsque fecisse; cum σίκυον ἐδώδιμον Galeni, πέπονα πεπεμμένον appellauit. Accedit ad hæc verbum ἐδώδιμος, quod non alibi fortè apud Galenum σικύῳ additum reperietur. Hæc autem confirmari maximè videntur & Oribasij & Pauli Aeginetæ testimonio. Oribasius enim (quem Latinè versum citare cogor, cum Græco codice caream) bis in Synopsi lib. 2. cap. 21. & 35. itemque collect. 4. cap. 31. & 49. Cum de ijs, quæ aqueam frigiditatem obtinent, dissereret; Cucumerem, qui edendo est in eo censu locauit, quem σίκυον ἐδώδιμον dixisse, cum ex Galeno accepisse fateatur probabile sanè est: iterum autem Collect. viij. cap. 22. legitur dilutum cucumerum tenerorum, idest, vt opinor, σικύων ἁπαλῶν, vim eis vomitus prouocandi attribuens. Paulus verò lib. vij. coniunxit vtraque cum scripsit σίκυος ἐδώδιμος χλωρὸς atque eadem ei tribuit, quæ à Galeno πέπονι tributa ante fuerunt. Nequid autem prætermissum videatur. Considerandum quoque erit, quæ fructus species sit apud Rufum Ephesium lib. περὶ τῶν ἐν κύστει καὶ νεφροῖς παθῶν cap. vltimo σίκυος σπερματίας, quem ad ciendum vomitum dandum præcipit; eum Crassus Patauinus prægrandem cucumerem vertit, Hesychij opinor sententiam secutus in verbo σίκυος primùm, deinde iterum in verbo σπερματίας. Et Athenæus lib. 2. ex auctoritate Cratini πέπονα interpretatus est. itemque Iulius Pollux lib. 6. cap. 9. Postremo vt horum fructuum species nouas, tam Latinis, quàm Græcis, ac propterea parum omnino cognitas intelligere planè possimus non est prætereundus Plutarchi locus Sympos. lib. viii. probl. ix. vbi ita scriptum reliquit. σικύους δὲ πέπονας καὶ μῆλα μηδικὰ, καὶ πεπέρεως πολλοὺς ἱστορῶν ἐπὶ τῶν πρεσβυτέρων γεύσασθαι μὴ δυναμένους.

10. Nonne etiam Hippocrates (vel vt Galenus sentit) Polybus libr. περὶ παθῶν pagin. 189. 5. præmissa confirmare videtur. cum scripsit: σίκυος ὁ πέπων καὶ διουρητικὸν, καὶ διαχωρητικὸν, καὶ κοῦφον. ὁ δὲ ἕτερος πέπων ψύξιν τινὰ παρέχει. Vt demus autem Vaticani codicis lectionem meliorem esse, quæ (vt eruditi quidam asserunt) in secunda parte non habet nomen πέπων; an non satis nobis erit verbum ἕτερος, ad persuadendum; σίκυον πέπονα, fructum specie differentem ab altero secundo esse? Vt etiam apud Aristotilem προβλημάτων xx. cap. 9. & 14. vbi περὶ σικύου quædam scripsit, nulla πέπονος mentione facta; deinde c. 32. περὶ σικύου πέπονος

 scri-

ſcribens, cum ea, quæ plantis propria quadam locorum natura contingunt, explicaret : (vbi non fructuum acerborum, aut maturorum ratio; ſed plantarum ipſarum neceſſariò habenda eſt, quas ex locorum varia qualitate, varios quoque in alimentum ſuccos trahere neceſſe eſt, vnde fructus tam acerbi, quàm maturi, nutriuntur, creſcunt, & tandem perficiuntur) ita à planta τοῦ σικύου πέπονος plantam diſcreuit : vt locus dubitationi relictus non videatur, quin duos ſpecie differentes fructus demonſtrauit; quod Græcè interpretatus priore loco cucumerẽ tantum, poſteriori cucumerem cognomento peponem vertit. Atque hinc occaſionem arripuiſſe videntur ij, qui Galeno perſuadere nitebantur, non πέπονα ſimplici nomine, ſed σικυοπέπονα appellandam eam fructus ſpeciem eſſe; cum alioqui de rei ſubſtantia, ideſt de fructus genere inter eos conueniret.

11. Fuiſſe autem πέπονα, à σικύου ſpecie diuerſum fructum, iam ex eo tempore, quum Moſes Iſrael populum ex Aegypto eductum per deſerta loca circumduceret, ſatis manifeſto argumento eſſe poſſunt Interpretum Lxx. verba : quæ ſic habent. ἐμνήσθημεν τῶν ἰχθύας οὓς ἤσθιομεν ἐν Αἰγύπτῳ δωρεάν, καὶ τῶν σικύας, καὶ τῶν πέπονας, καὶ τὰ πράσα, καὶ τὰ κρόμμυα, καὶ τὰ σκόροδα, quæ xi. Numerorum cap. legimus. Num hìc eiuſdem plantæ fructus, an diuerſarum accipi æquum erit?

12. Poſtremò autem ne quid, vel oſcitantèr præterijſſe, aut callidè diſſimulaſſe videamur, conſideranda maturè erunt Galeni verba περὶ τροφῶν δυνάμ. cap. περὶ μηλοπέπονος : quæ forte ita quæſtionis huius inextricabilem nodum adſtringunt: vt quæ ſupra ad eum diſſoluendum propoſuimus conſideranda, nullius quaſi momenti ſint prorſus abijcienda eſſe exiſtimare quiſpiam prima fronte facilè poſſit. Affirmat ibi Galenus eam μηλοπέπονος internam partem, in qua ſemina continentur, paſſim cum reliqua eius velut carne in cibi vſum venire, atque aſſumi; ab eadem verò πέπονος interna parte homines abſtinere. At nos hodie contra videmus in μηλοπέπονι quidem vtramque partem indifferenter aſſumi; in πέπονι autem eam dumtaxat, quæ vel ipſa ſemina continet, vel proximè ad eam accedit; ea enim tantum eſculenta, & dulcis in cibis expetitur Quare cum fundamentis ſupra iactis hęc Galeni ſententia aduerſari maximè videatur, diligentiſſimè in omnem partem verſanda, & expendenda erit : quod negotium ijs relictum volo, qui de tota re pro ſua pruden-

tia,

tia, eruditione & fide, consideratis maturè separatim singulis capitibus, omnibusque perpensis, sententiam laturi sunt, quam ego libenter amplectar, & sequar.

IOANNES COSTAEVS L. LATINIO S. D.

Scribit in idem argumentum de Pepone Galeni.

CVm sit nobis nunc ad intermissas operas redeundum, & iam classicum canat, paucis ago, Latine doctissime, & quod in meis illis de pepone litteris dubitas, probo ego profectò & veritatis studium, & dubitandi rationem, at videor mihi tamen habere aliquid, quod singulatim citra omne contentionis studiũ ad ea, de quibus dubitas, possim respondere. Quod enim primum ais ex Galeni sententia atramentum scriptorium τοῦ μέλανος obtinuisse nuncupationem non ob nigrorem; sed quia ita omnium consuetudo ei rei nomen illud imposuit, caue ne Galenum in nugationis vitium adducas. Idem enim esset hoc, ac si diceres atramentum τὸ μέλαν appellari, quia sic appellatur. Obtinere enim à consuetudine nomen, est à vulgo appellari. Cur ergo ob nigrorem, in quo id ceteris excellit rebus omnium consuetudine impositam illi eam vocem non concedis? Hoc enim licet palam nõ pronunciet Galenus: at innuit tamen id, quod explicare interpretis est munus. An verò par exemplum sit in pepone, atque ideo peponis vox illi priuata contigerit appellatione, quia solus is in eo genere fructuum aptus esset esui, quum est maturus, quod ne tu quidem pro certo asseris in ea re: ego quoque hæsito, qui non vnum, sed binos ex ijs fructibus eiuscemodi esse video, qui non nisi maturi esui sunt, melonem, & anguriam; id quod me quandoque traxit, vt aliam ob causam fructum eum, quicunque ille est, qui pepon dicitur, eo nomine dictum præter Galeni sententiam existimarim, nempe ob molliciem, in quo significatu eam vocem πέπονα reperiri non ignoras; ita quidem anguriam mollissimam mihi videbar in eo ordine fructuum obseruare, & subscribere opinioni meæ sensus videbatur; sed aliorum quoque gustatu res exploranda est; ac licet melones non nisi maturi edẽdo sint; cõtra tamẽ in anguria, quod in melonibus nõ euenit, quæ quò maturior, eò est suauior: cum melonibus è contrario plurimum gratiæ detrahat maturitas exacta. Id quod pro Galeni sen-

tentia dictum sit, à maturitate, vt videtur, peponis nomen deducentis. Diphili autem sententiam, quam in tuo codice non reperisti, qualem tibi afferebam, habes ex versione Natalis Comitis in calce capitis trigesimi primi libri secundi. De humiditate verò cucumeris, & peponis, de Galeni sententia, quod subiungis, meritò tu quidem accusas me, si ita, vt ais, in litteris meis scriptum est. Contrarium enim prorsus scribitur à Galeno ad sexti capitis initium lib. 2. de alim. fac. Sed in exemplari meo, quod mihi adhuc est in lituris, extant hæc verba. *Sed testatur etiam Galenus inesse peponi humidiorem substantiam, quàm cucumeri, atqui è contrario maturus cucumis se ipso immaturo est siccior.* Quæ verba non consultò, sed casu transposita ad te peruenisse vel hoc sit argumento, quod cum probare instituerim cucumerem à pepone non sola maturitate, sed specie distingui, in eo rationis meæ vis posita est, quod cum cucumis cum maturus est succi sit inops sensus fide; pepon autem Galeni testimonio humida constet substantia. Pepon igitur cucumis non est maturus. Corrige ergo, Latine, pro humanitate tua scriptionem illam meam, vt dicebam, quæ contrarium habet proposito meo sensum. De cucumere deinceps satiuo Dioscoridæ, quum eum præstantium virorum sententia melonem esse nostrum scripsi; nostrum autem cucumerem silentio ab eo prætermissum, authores desideras eius opinionis, quos ego quidem nunc neque in memoria habeo, neque in hac temporis angustia indicare tibi possum. At ipse tamen Dioscorides rem ita habere planè indicat, vires succurendi ijs, qui syncope laborant suo cucumeri tribuens, quibus ex eo fructuum genere nullus præter melonem præditus est, qui solus odoris, ac succi suauitate reficiendis spiritibus est opportunus. Cur autem postremo Auicennę authoritatem coniecturæ meæ subscribere non agnoscis? mihi certè aliquo pacto ea suadet. Si enim consuetudo in melonis vsu fuisset, illum cũ intima, in qua semina sũt; substantia assumendi in cibos, falsum id esset quod primo loco ait Auicennas, melonem difficilè subduci, si interior pars simul sumatur. Si enim iam in more positum erat eius interiora simul cum reliqua carne mandendi, nihil erat opus ea de re admonere, ac quasi in dubium reuocare. Hæc, quæ non ad errorum, si qui sunt, meorum excusationem; sed ad veritatem tecum in obscurissima hac materia è tenebris eruendã dictaui; an tibi satisfaciant, Latine doctissime, reddes certiorem, quum per otium poteris &

opto,

opto, & te exoratum velim. Palæottum Moecenatem meum, quē ex te salutare iubes, salutaui. Ego verò nō modò in te amando persisto; sed candorem, libertatemque tuam, ac modestiam exosculor, & admiror eruditionem. Tu, quod es pollicitus, lucubrationum tuarum, cum licebit, aliquid nobis impartire, & vale. Bononiæ 3. Calendas Nouemb. 1582. Hactenus cum scripsissem in Palæottum incidi, qui explicato fasciculo tuarum litterarum, tū communem nobis epistolam tuam legit, tum tuarum de pepone dubitationum capita communicauit; exemplum sumam, & vbi aliquid nactus ocij fuero non modò rem diligenter expensurum; sed etiam ingenuè meam sententiam prolaturum polliceor. Tu rursum vale.

L. LATINIVS IOANNI COSTAEO S.D.

Suam de Galeni Pepone sententiam confirmat.

QVas ad me litteras, eruditissime Costæe tertio Calendas dedisti, eas hodie quarto Nonas accepi. In primis autem mihi plurimum eo nomine sum gratulatus, quòd libertatem animi mei, quæ tua est singularis humanitas, non ingratam tibi esse cognoui; quæ tamen nonnumquam aliquorum à me animos aliqua ex parte alienauit, quorum ego, & si minus æquitatem probare, aut diligere inuitus planè cogor: beneuolentiam tamen omni studio retinendam mihi esse statui. Quod scribis autem mihi cauendum, ne Galenum tantum virum in nugationis vitium adducam: non video cur id mihi timendum sit. τὸ γὰρ μέλαν quod qualitatis nomen est, non ideo atramenti scriptoris, quod certam substantiam designat, proprium nomen est, quia maximè nigrum est; sed quòd consuetudo communis vni ei rei, qua tamen nigrius inueniri aliquid posse, nemo, opinor, negat, id nominis imponendum esse decreuit. Non ergo qualitatem quamdam pluribus rebus communem: sed certam rei substantiam eo nomine designari Galenus asserit, vt quod περὶ πέπονος probandum proposuit, eo exemplo planum faceret πέπονα scilicet certam fructus speciem tam acerbum, quàm maturum eo proprio nomine censeri. Quod verò addis existimare te Anguriam, melonemque eò quòd vterque non nisi maturus esculentus est πέπονα, & μηλοπέπονα dici: ego quoque in ea sententia semper fui. De humiditate, quod

quod excuſas, libenter accipio. Non ita tamen Natali ſine locuplete ſponſore tutum eſſe fidem habere iam dudum ſtatui. Auicennæ à Serapionis præſidio, quid alijs in obſcura hac quæſtione illuſtranda lucis allatum ſit, neſcio. Equidem mihi fateor nihil omnino ab ijs ad Galeni ſententiam clariorem reddendam opis allatum eſſe, ea fortaſſis de cauſa, quòd eos Scriptores tantum in ijs locis percurri veriùs, quàm perlegi, in quibus de Pepone, Cucumere, Anguria, & Melone apud eorum interpretes tractatur, quorum fidem vt certò ſequar nondum ſatis mihi deliberatum eſt. Hæc ad te nunc maximè grauioribus ſtudijs, curiſque diſtrictum ſtatim decumbens exaraui. Vale, & capita ad conſiderandum à me propoſita, diligenter cum ſatis erit otij, ſi me amas, conſidera, & quod pollicitus es præſta. Roma quarto Idus Nouembris 1582.

IOANNES COSTAEVS L. LATINIO S. D.

Propoſitis quæſtionibus de Pepone egregiè reſpondet.

SI tuas de pepone, melopepone, & cucumere dubitationes, doctiſſime Latine, tunc primùm accepiſſem, quum quid ſentirem ijs de rebus expoſtulaſti, vt ſcriberem: tunc quidem tuo ipſe adiutus ſtudio minori fortaſſe negotio vna opera tibi ſatisfeciſſem. Nunc autem quando idem reuoluendum mihi eſt ſaxum (id quod in tui quidem gratia facio libentiſſimè) da mihi illud ſaltem, ne quæ ſuperioribus litteris ſcripſi, repetere, vel ad ea, quæ tu proponis, ſigillatim eodem ordine, quo à te ſcripta ſunt, cogar reſpondere; imo verò peto abs te id etiam, vt hanc meam ſcriptionem quum accepris, ſi tuis tu quæſtionibus eam comparando, ſingula tamen, quæ exquiris, non præſtitiſſe me cognoueris; at meam tamen in te promptitudinem agnoſcas, qui quod hoc tempore vix poſſum, id meo incõmodo malo efficere, quàm tuis votis omni meo ſtudio non reſpondere. Quum igitur in humilium ſtirpium natura quatuor vulgata ſint genera, quæ fructuum ſimilitudine, figura, magnitudine, copia, atque vſu magnarum arborum aliquarum æmulæ æſtiuis temporibus lenire hominum, & caloris, & ſitis moleſtias ſolent; nempe cucurbitæ, anguriæ, melones, & citrulli; ex his quidem cucurbitæ non niſi coctæ, reliqui verò crudi frequentiſſimè veniunt in cibos. Rurſum

ſum autem cum ex ijs qui crudi ſumuntur citrullus, atque anguria toti ſint in cibum apti detracto tenui cortice externo, melones verò ſola media illa carne, quæ eſt inter craſſum corticem, & intimam ſubſtantiam, cui immerſa ſunt ſemina. Hi quidem quos diximus totos edendo eſſe, non ſimiliter tamen aſſumuntur; ſed anguriæ non niſi maturæ, citrulli verò immaturi maximè vſurpantur. Omnes autem tum hi, tum ſuperiores ſub genere τοῦ σικύου quandoque veteribus fuiſſe cognitos eo conſtat quod, & cucurbitam σίκυον vocabant, & melo Dioſcoridæ σικύος eſt, & anguria, ideſt pepon, vt exiſtimo σικυοπέπων; & citrullus abſolutè σικύος fuit, vt ex Galeni etiam conſtat lectione. At contracto tamen ſenſim eius vocis vſu, & cucurbita quaſi è ſuo genere excluſa κολοκύντης obtinuit nomen; & μηλοπέπονος vox inuenta eſt ad quartam ſpeciem illam ſignificandam, quam nos, vt puto, melonem appellamus. τοῦ σίκυου autem nomen duobus illis fructibus relictum eſt, qui & toti, & crudi manduntur. Ita quidem, & Latinorum cucumis, quæ vox τῷ σίκυῳ reſpondet, de his vtriſque dici apparet, magni, & parui addita differentia; vnde & Thuſcia cucumeris nomine anguriam vocat quaſi digniorem, cui ob magnitudinem generis nomen tribueretur, licet Inſubres in paruo, vt qui frequentior eſt, atque ad cibos vtilior, eam nuncupationē cum latinis maluerint retinere. Quum igitur σικύος Latinorum cucumis tum de eo fructu dicatur, qui maturus tantum aptus eſt ad cibum, tum de eo cuius immaturi frequentior eſt vſus ad harum rerum diſtinctionem acceſſit vox τοῦ πέπονος, quæ verè differentia eſt omnibus fructibus communis, contraria immaturitati. Quare alterum, qui non niſi maturus ſumitur, primum quidem fuere qui σικυοπέπονα vocarint, cuius vocis & Galeno, & Hippocrati abs te citato, & in ſympoſio Plutarcho, & Ariſtotili in problematibus mentio eſt de hoc ipſo fructu (vt putare licet) loquētibus, quem tādem, translata differentia, ad ſpeciei expreſſionem ſimpliciter πέπονα communis vſus appellauit; ille verò abſolutè σίκυος retinuit nuncupationem, qui immaturus edi conſueuit; eſt autem is citrullus, cuius licet vſus frequētiſſimus ſit dum tenerioris adhuc eſt ætatis, quo tempore ſemina lactea ſunt; ſolet is tamen etiam craſſior, ac maturitatem quamdam adeptus egenis hominibus in cibum, maximè autem elixus ſumi; quod facilè in cauſa fuiſſe exiſtimarim, vt eius tum immaturi, tum maturi Galenus meminerit, vbi de ſyca ſeminis maturi voce non eum, vt

puto,

puto, statum intelligens, quo iam abducere semina(tunc enim ineptus prorsus est edendo)sed terminum teneritatis mediocris significans, vt mandi possit; nempe hic quoque, quia non dum absoluta eius semina sunt, immaturus rectè dicitur. Ita vt quod diximus σίκυος, seu cucumis nunquam verè maturus; sed immaturus semper veniat in cibum, quemadmodum contra πέπον nũquam sumitur nisi maturus; licet Aetius immaturi etiam peponis præter Galeni obseruationem, quem in eius rei historia æmulatus non fideliter reddidit. Itaque quomodo peponis vox, quæ differentia erat ad exprimendam speciem, deflexerit, ex his fortasse apparet. Verè autem eam ipsam vocem distinctæ speciei significationem obtinuisse patefecit locus, quem tu affers ex libro Numerorum; imo & quem ex Eustrathio in Homerum, qui profectò cum ait vsu communiori dici πέπονα de quadam specie cucumerum gustatui suauium, qui in cibum seruantur; non modò illam peponis vocem contractam esse ad speciem significandam docet; sed eam quoque speciem anguriam esse, vt ego quoque arbitror, planè aperit, quum ait, seruari in cibum. Nullus enim ex propositis fructibus idem, & suauis est, & sine artificio seruatur diutiùs, hac excepta, maximè verò ea, quam Venetias aliquando Illyricum mittit(videtur enim illa quoque anguriæ species)luteo cortice melonum modo, sed leuissimè tamen striato; carne autem melonis æmula, dulci, & odora; nam hæc ad mediam vsque hyemem seruatur laquearibus appensa; sed & vulgata anguria diutius durat, quàm duret melo, vel cucumis, qui si nihil artis accedat, breuis admodum sunt vitæ, maximè autem melo. Cucumis verò licet seriùs corrumpatur, citò tamen flaccescit, & omnem(quam alioqui exiguam semper habet)saporis gratiam amittit, quam in pepone Eustrathius commendat. Ex hoc autem id quoque intelligamus fortasse quid sit σίκυος ἐδώδιμος. Si enim anguriæ, & citrulli sapores inter se conferamus, quum hic sit prorsus insipidus; anguria autem dulcis; hanc certè edendo illo esse aptiorem, licet non tãti alimẽti, nullus, vt arbitror, neget. Quid igitur mirũ, si peponem, idest anguriam, quæ ipsa quoque vt dicebamus sub τοῦ σίκυου est genere σίκυον ἐδώδιμον vocarint & Aëtius, & Paulus, & Oribasius. Quid verò si eamdem anguriam esse aliquis dicat πέπονα σπερματίαν, cuius meminit Athenæus? Non ego quidem illum valde aberrare crediderim. Quum enim in intima huius carne, quæ maximè ob suauitatem expetitur, dura, densa, ac multa in-

fixa

fixa sint semina, quæ palato infesta de eius fructus gratia non parum detrahunt: ea verisimile est illam illi dedisse denominationem, atque si ipsa ad vomitum excitandum Rufus vtitur, est ipse quoque pepon ad ciendam vomitionem aptissimus, nisi post eius esum probi cibi aliquid sumatur, vt Galenus scribit. An verò idem pepon, seu anguria camerarius est Plinij cucumis? Equidem si camerarij nomine aliquid Plinius intelligit ad topiarium opus aptum, atque elegans, vt puto, anguriæ fructus facie rudes, grandiores autem, quam vt de topiario opere ad maturitatem vsque pendeant, non videntur ea nuncupatione digni. Nobis igitur nonnumquam in mentem venit, camerarium cucumim eum essem, quem alicubi locorum *Pomo d' oro* nuncupant. Planta est hæc folijs cucumeris surculosa ad topiaria opportuna, fructuum feracissima, qui vbi planè maturuere, lutei; at dum maturescunt coloribus varijs, luteo, flauo, viridique elegantissimi, carne, sapore, odoreque melopoponem referentes. Huius igitur fructus an camerarij sint cucumeres non ego quidem statuo, sed suspicor tamen valde. Hactenus tuas ita percurrisse videor, doctissime Latine, quæstiones, licet vt prædixi fore, non eodem ordine, quò fuerant abs te propositæ, vt si ijs, quæ in superioribus scribebam, hæc quoque adijcias, attigisse me fortasse omnem dubitationis tuæ locum putes. Tu si in his meis maiorem scribendi libertatem; imo verò negligentiam, quam vel munus meum, vel res postulet, obseruaueris; fluxisse, hæc tamen ab ingenuo animo intelliges, qui in intricatissima hac re, ad quam extricandam solidiores machinæ desunt, coniecturis etiam dandũ esse locum censuit. Sed quidquid hoc est, quod tuo iussu scripsi, boni consule, vir humanissime, & me ama. Bononia Nonis Martij 1583.

L. LATINIVS IOANNI COSTAEO S. D.

Eius responsiones ad quæstionem de Pepone recipit, laudatque amicum in Medicina doctissimum.

SVperasti longè expectationem simul, ac desiderium meum, Costæ humanissime. Numquam enim ego abs te putaui mihi exigendum, vt ad considerationum à me propositarum capita sigillatim responderes, quòd tibi homini occupatissimo in

 cele-

celeberrimo Italiæ, ac forte etiam Europæ totius gymnasio honestissimum, supremumque locum in medicæ artis disciplina tradenda obtinenti, id oneris imponere imprudentis improbitatis esse omnino existimabam: sed vt quod facilè tibi erat, quid de summa quæstionis sentires, tribus verbis indicares, quò mihi auctoritas tanti viri, si quid, vt alicubi hærerem, occurreret, planè expediret, meque in sua sententia confirmaret; quod video cum prioribus tuis, tum proximis quoque litteris ita abundè præstitum, vt magnas tibi eo nomine à me gratias deberi profitear. Neque enim, si non in omnibus forte vtriusque nostrum vna sententia est (eorum inquam, quæ ad disputationis, sententiæque summam non attinent) idcirco desiderio meo satisfactum prolixè non est: immo verò plenissimè satis mihi factum fateor, cum tria nomina tribus distinctis capitibus à Galeno tribus fructuum diuersis speciebus tributa, non duabus planissimè declarasti. Hoc ego abs te non singula excutienda longo labore, & temporis iactura modestè poposceram. Quare & animi mei, votique rationem, si humaniùs interpretaberis, intelliges profectò & me numquam tibi laborem, molestiamque exhibere voluisse, & quia pro tua benignitate tamen eam libenter, suscepisti, plurimum tibi meritò debere. Vale x. Calend. April. 1583.

L. LATINIVS VINCENTIO PINELLO S. D.

Sicut initio nascentis Mundi cognationis gradus matrimonia non impediebat, sic in primitiua Ecclesia spiritualis cognatio non erat impedimentum in contrahendo matrimonio.

QVemadmodum cogente necessitate factum est, vt initio generis humani matrimonium cum vno, eodemque homine contraheretur. Eadem enim caro Euæ, quæ Adam erat: ac deinceps fratres, & sorores coniugio iungerentur, donec hominum sobole multiplicata, cum ijs, qui longiùs à sanguinis coniunctione aberant, contrahi matrimonia possent; ac demum per Mosis legem quorumdam graduum coniunctiones prohibitæ sunt, quæ omnia ad naturalem sanguinis cognationem pertinent; Ita quoque in spirituali cognatione maximè probabile videtur factum, vt ab initio nascentis Ecclesiæ, cum adhuc pau-

cissimi

cissimi fideles essent, qui inter se contrahere matrimonia possent, nisi ex eorum numero essent, qui vel ipsi susceptores in baptismo fuissent, vel eorum filij: per aliquod temporis curriculum, donec propagata per Euangelij prædicationem fide, numerus fidelium auctus commodè pateretur matrimonia contrahi inter eos, qui nulla huiusmodi cognatione spiritali iungerentur sine vlla legis, aut Canonis prohibitione, necessitate ita cogente, licitè contracta matrimonia habita sunt: ita vt vsque ad Concilium Nicænum primum id coniunctionis genus legitimum putaretur: tametsi certum erat susceptores parentum loco semper ijs fuisse, quos in baptismo, vel confirmatione susceperant. Pari ergo ratione, idest necessitate cogente, vtrumque ab initio licuisse probabile est, quod postea propagata fidelium sobole ita suadente honestate factum est, vt tamquam illegitimum prohiberetur. Hæc ego ita sentio, vt veriorem, tutioremque sententiam, si quando afferatur, secuturum me libenter profitear. xvj. kal. Martij 1583.

E I D E M.

Exponit causam, & originem spiritualis cognationis in Ecclesia Catholica.

SI quis, propositus Platoni scopus in libris de Rep. & de legibus sit, diligentiùs consideretur (vt ego quidem sentio) donec dignius quid, probabiliusque afferatur) is vnus præcipuus existimandus est, vt ciuitas multis, arctisque coniunctionis ciuium inter se, caritatisque mutuæ vinculis colligata pacis, concordiæque fœderibus tenacissimo veluti glutino coniuncta felicissimè, ac diutissimè conseruetur. Quæ res si in quæstione, quam iterum proponis, acriùs expendatur, acutiùsque in scopum propositum Ecclesiæ intendatur obtutus, videbit, opinor, quiuis non sine causa ad baptismum olim competentibus (vtor enim Augustini verbo libenter) susceptorem fuisse adhibitum, quo plures velut tibicines ad recentis ædificij fabricam sustinendam adiuncti firmiorem redderent, & eo vinculo caritatis inter se mutuæ tenaciùs cohærerent, & tamquam vnius corporis membra vnum efficerent ex multis. Id quod summum inter Christianos bonum optauit, rogauitque Patrem, vt fieret,

Iesus Christus Dominus noster. Hæc leniùs, breniùsque attigi, vt tu, qui vir prudentissimus es, atque in omni disciplinarum genere maximè cum summa tua laude exercitatus, cum erit otium, mediteris; atque ad rem non nihil facere statuas Augustini admirandam eruditionis, iudicijque magnitudinem, qui lib. xv. cap. xvi. de Ciuit. Dei, rem non planè ipsam; sed quam proximè ei similem, ita tractauit, vt hominis summi iudicij, ingenijque acumen, cum legeris, admirari satis non possis. Vale, & à me noli expectare magna. Nihil enim scire me verè profiteor, & quæ me quotidie exercent corpusculi iam prope labentis incommoda in dies magis reddunt ad quæuis etiam leuissima meditanda prorsus inutilem. Roma vij. kal. April. 1583.

CAMILLVS PALAEOTTVS L. LATINIO.

Dolet amicum ad studia natum morbo vexari, laudatque eius lucubrationes in Tertullianum ex coniecturis editas.

ACcepi tuas litteras xi. Calendas scriptas, quarum summa est de Terrulliano, de quo est quod mihi gaudeam, tum etiam tibi gratias agam; nam cum persæpe intellexissem, te aduersa valetudine vexatum plerumque lecto accumbere coactum esse, nec absque febricula, angebar planè animo, talem virum ad studia, iuuandosque homines natum, mihi verò coniunctissimum morbo impediri, quo minus posset operam suam ijs, qui valde eam expectant, ac expetunt, præstare, atque alios ad ea, quæ verè contemplatione sunt digna, excitare, stimulosq; quodammodo admouere. Verùm doctissimæ tuæ lucubrationes, locique ex coniectura in eumdem Tertullianum nuperrimè editi omnem antea conceptum tua causa mœrorem penitus mihi absterserũt. Video enim qua industria, ac labore ingenij tui vires in eis enodandis, atque explicandis exercueris, vt minimè sit de tua animi, aut corporis imbecillitate suspicandum. Qua de re cùm equidem plurimum lætor tibi esse quemadmodum cupio, tum etiam grato animo agnosco quãtum tibi iure debeam cum missis ad me duobus nouissimi huius laboris tui exemplis, te mei memoriam nequaquam abiecisse declararis, quo sanè præstanti tuo munere nihil poterat tum Cardinali Fratri, cuius fuit particeps, tum mihi quidquam accidere iucundius. Quod autem

tem me rogas, vt eruditorum virorum iudicia, si qua de his facta fuerint, diligentissimè tibi patefaciam: si quid ad meas peruenerit aures, quod te scire oportere intellexero, te faciam certiorem. Sed tanta est eiusmodi eruditorum hominum in nostra Ciuitate penuria, credo etiam in cæteris, Vrbe excepta, vt quem his de rebus præcipuè consulam, haud mihi constet. At dices qualis igitur est ista vestra studiorum mater? Sic ferunt tempora, vt lucrum malint plerique homines, quàm veram sapientiam sectari. Amisimus proh dolor eum, qui de huiusmodi rebus iudicare poterat; sed nunc non est deplorandi locus. Faciam igitur quod iubes. Tu interim, vt valetudinem tuam cures, meque diligas, te etiam, atque etiam rogo. Vale. Bononiá Calendis Decembris 1584.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTTO S. D.

Deplorat eruditorum hominum penuriam in Italia, modestèque sentit de suis coniecturis in Tertullianum.

MAlè, & nunc quidem est, Palæotte suauissime, apud Italos cum litteris agitur. Si quod gemens scribis, quæ olim gymnasia ita florebant, vt eruditorum virorum numerosa examina singulis penè lustris solita erant effundere, & vltra alpes, & maria ad omnium liberalium artium scientiam disseminandam, excolendamque mittere; nunc ita sunt exhausta, vt ex alijs prouincijs ad nos, non sine ignauiæ nostræ nota, euocandi sint, quorum industria Itala iuuentus, & linguarum scientia, & rerum cognitione imbuatur. Hìc enim (vt audio) qui in vtraque lingua humaniores, quas dicunt, litteras publicis stipendijs conducti profitētur, Lusitani, Hispani Gallique maiore ex parte sũt. Quãquã tibi assentior, non video tamen ad iudicandum de meis in Tertullianum coniecturis tanta eruditione præditos esse oportere homines, vt præter vnum Sigonium in tam fertili bonorum ingeniorum, studiosorumque virorùm Ciuitate nemo facilè reperiatur, qui id præstare possit; certè qui vnus tantum vides, & iudicas, nequaquam imparem te eius muneris honestissimè sustinendi tacitè fateris. Habet Tertullianus multa passim ex Iuris consultorum formulis accepta, quibus magnum pondus ipsius scriptis additur, quæ nisi Iurisperiti non statim facilè intelligant. Tibi autem

tem quid in eo genere obscurum esse posse existimem, qui cum rerum omnium non mediocrem cognitionem comparare semper cum summa laude studuisti, tum domi habes Iuris scientię arcana, si quis vsquam alius hodie est, absolutè callentem? Sed veteris modestiæ tuæ fines, vt sentio, vereris ne transgediaris, si paulò securiùs in eo negotio tractando quicquam de tua industria polliceri alicui forte videri possis. Ego verò quum aliorum de coniecturis meis iuditium quæsiui, nullius tanti momenti apud me statui esse oportere, quanti tuum, & Fratris tui Cardinalis iudiciũ, atque censuram, quorum eruditionem iam pridem planè perspectam habebam. Quare, si me amas, noli de te, tuoque ingenio, ac doctrina tam humiliter sentire, vt & industriæ tuæ, & donis tibi à Deo liberaliter tributis manifestam iniuriam facias. Aude igitur aliquid, perficies profectò, intra modestiæ quoque fines, vt & quod desperas facilè consequaris, si paulò attentiorem animum ad meditationem attuleris, & amico honesta petenti cumulatè satisfacias. Vale, Fratrique tuo Cardinali meo nomine salutem dicito. Roma xiij. Calen. Ianuarij 1584.

FRANCISCVS TVRRIANVS L. LATINIO

Gratias agit, & æquo animo recipit suorum librorum correctionem.

CORrectionem meorum librorum à diligentia tua profectam amplector, & osculor vna cum gratiarum actione, quæ industriæ tuæ, & in me beneuolentiæ debetur. De sententijs Prosperi ab Augustino citatis fieri potest, vt desiderentur aliquæ in nostris codicibus, & in illis fuisse istam. Quomodo enim probabis non ita esse? qua coniectura, quo argumento, quo teste? Et fieri potest vt Lanfrancus à Prospero mutuatus fuerit, licet mutuum non prodiderit. Ego vt maiore auctoritate Volanum, contra quem scribebam, premerem, libenter Gratianum secutus sũ. De verbis Ambrosij lib. 4. cap. 4. de Sacram. Verba Ambrosij, non intelligo, quod nam negotium difficilè faciant Scholasticis, vt aliquid melius ex Lanfranco afferri potuisset. De explicatione verborum, & sententiæ Irenæi satis visum mihi est quod in eo loco scripsi, & ex Irenæo recitaui, illa ex lib. 4. cap. 34. reseruaui, & reieci in locum commodiorem lib. 2. cap. vult. De sermonibus, de Cardinalibus operibus semper existimaui non esse Cypriani, sed

auctoris

auctoris nescio cuius alioqui vetusti; sed quia contra hæreticum non ita limatum, & acrem in discernendis scripturis scribebam, vt maius pondus auctoritas haberet consultò opinione vulgi vsus Cypriano volui tribuere. Perge notare reliqua, & me, vt soles, amicè admone; me enim non pœnitet alieno labore, & industria proficere hac præsertim ætate ingrauescenti, quam langor, & sopor comitantur. Vale in Christo carissime meo.

L. LATINIVS FRANCISCO TVRRIANO.

Canonum, & Sanctorum Patrum varias lectiones proponit.

NOn vnum tãtum caput ex Lanfranco sumptum tribuitur à Gratiano sentẽtijs Prosperi; sed plura. Nam *cap. Cum frãgitur d. 2. c. Nos autem. cap. Hoc est quod dicimus. cap. Semel immolatus.* quæ Prospero tribuit Gratianus, omnia sunt Lanfranci. Error hic manare potuit ex hoc quod antequam Iuo p. 2. c. 9. ex Lanfranco magnam congeriem citet, habet ex sententijs Prosperi in calce cap. 8. citatum locum; ad quem forte intuens quispiam putauit etiam reliqua, quæ nullius alterius nomine citabantur, esse referenda. Irenæi verba tuum hyperbatum, & explicationem nõ admittere, id mihi est argumento, quòd lib. 4. c. 34 prope finem ita scripsit. *Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur.* Caro scilicet, de ea enim agitur. Et lib. v. ea verba sæpius repetita. *Ex qua nostra auget corpora, & Ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia.* &, *Quomodo carnem negat &c. quæ sanguine, & corpore Christi nutitur?* & in fine eius clausulæ. *Quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & de pane, qui est corpus eius augetur.* Semper de carne nostra agit. Ambrosij verba, quæ sunt cap. 4. lib. 4. de Sacramentis eodem modo à Berengario citantur quemadmodũ legimus in codicibus excusis, & apud Gratianum. Lanfrancus verò ita legit. *Quanto magis operatorius est, vt quæ erant in aliud commutentur?* Vt eadem sententia hìc repetatur, quam lib. de ijs, qui init. myst. cap. 9. scripserat, vt est in *c. Re vera* circa finem *De cons. d. 2.* Nam verba illa. *Vt sint quæ erant, & in aliud commutentur,* duram, & molestam Theologis Scholasticis pepererunt quæstionem, quã quia viderat Lanfrancus, non putauit dissimulatione, & conniuentia prætereundam. Cum na-

tura

tura fieri nullo modo possit, vt eodem tempore duæ diuersæ rerum substantiæ in eodem corpore simul sint. Sotus in 4. sent. d. 9. q. 2. art. 4. rem examinat, tuerique nititur lectionem vulgatam. Quid verò perfecit theologorum esto iudicium. De Cyprino nihil addo. Plurimum autem & fidei, & auctoritatis apud eruditos detractum iri tibi non æquo animo patior; Cum per se veritas omnia vincat apud eos, qui sani sunt, sanèque sapiunt. Insanis verò, & deprauatis hæreticis frustra eiusmodi medicina afferatur.

CAMILLVS COLVMNA L. LATINIO. S. D.

Senes etiam in extrema ætate libros edidisse demonstrat.

ACcepi tuas litteras, quibus dum admirationem à me remouere studes, illam magnopere auges. Adduci enim non possum, vt credam hebetes, tardosque esse sensus illorum senum, qui sapientia magis, quàm ætate dici possunt. Cum & quamplurimi in extrema senectute libros aureis (vt ita dicam) sententijs refertos ediderint, & tu ipse, vir optime, in tua epistola, dum me ad gloriam consequendam hortaris, istud tam vehementer effeceris, vt mihi non parum ardoris accesserit ad grauissima iuris prudentiæ studia excolenda. Ego verò nullum aliud meis laboribus proemium cupiens, quàm proemiis me dignum esse (fama enim absque virtute parta inanis est habenda) toto animo conabor, ne quod optas, in me desideres. Sic habeas, nihil te mihi gratius facere posse, quàm crebras ad me litteras dare, idque beneuolentiæ, ac obseruantiæ erga te meæ, cum animum à studijs, contemplationeque relaxare voles, non est vllo pacto denegandum. Vale Pisis Nonis Ianuarij 1585.

L. LATINIVS CAMILLO COLVMNIO S. D.

Modestè suum ingenium, ac doctrinam deprimit.

QVasi diuinaram, proximas ad te litteras meas breuissimas illas quidem, & (quod fatear necesse est) parum sibi constantes magnum tibi ad respondendum argumentum præbituras. Noui enim iam pridem mirum ingenij tui accumen, quod

tibi

tibi cum ætate, & eruditione, honestoque gloriæ studio semper in dies magis creuisse sensi; sed heus tu, quàm multos senes eius notæ sapientes in tam longa sœculorum serie numeras, quorum exemplo reuinci me posse arbitraris; quominus senectutis priuilegio fretus crebras ad te litteras dare, quæ tibi gratæ esse possint, iure videar excusare? Rarissimos eos in omni ætate semper fuisse eorum monumenta palam testantur, qui eos ex infinito penè mortalium numero selectos, & ad commune hominum commodum Dei benefitio, ac benignitate orbi datos, eo consilio nobis proposuerunt, cum vt Deo debitas pro tanti benefitij in nos collati magnitudine gratias ageremus, tũ etiam vt Dei præsidio freti posse nos aliquod Reipublicæ adiumentum afferre, si omni studio in eam rem sedulò pro sua quisque virili incumberet, consideremus. In eorum verò paucissimorum honestissimum album cur me referendum censeas vehementer miror. Et si enim aliquantulam in latinè scribendi ratione facultatem mihi olim iuuenis compararam; tam longè tamen à sapientiæ veræ foribus abesse me profiteor, vt ne mediocris quidem scientiæ particulam assecutum me esse adhuc sentiam. Otiosus quidem certè numquam fui; sed & rei familiaris angustia, & mala corporis habitudo, cum qua iam octo, & quadraginta plus minus annos assiduè luctor, coëgerunt me, si viuere vellem, vt voluntati meæ, cupiditatique frœnos imponerem, atque æquo animo paterer, me infimum in ordinem neque sapientem, neque eloquentem, neque eruditum hominem cogi. Quantulus tamen sum (quando apud te, vt aliquid omnino sim, video amori erga me tuo, tam planè esse persuasum, vt frustra intelligam me conaturum, si vt eam sententiam aliquando tandem mutes vel solidis, firmisque rationibus, vel precibus postremo contendam) totum me tuum esse profiteor. Quare quod reliquum est, tibique gratissimum futurum confirmas, dabo operam, vt desiderio tuo in litteris ad te crebrò mittendis satisfaciam; ea tamen lege, vt vicissim abs te Latinè scriptas litteras accipiam, quibus & segnitia mea excitetur, & tui erga me recenti quadam amoris accessione ob eam rem facta suauissimè perfruar.

Vale. Roma xix Calen. Februarij 1585. idest postridie quam epistolam tuam accepi.

MARCVS ANTONIVS MARSILIVS COLVMNA Archiepiscopus Salernitanus L.Latinio Eruditissimo. S. D.

Coniecturas in Tertullianum ab ipso summo studio editas extollit.

REdditæ mihi fuere litteræ tuæ vna cum coniecturis in Tertullianum, seriùs illæ quidem tabellarij culpa, quàm par erat; sed eò gratiores quò magis præter omnem cogitatum aduenerunt. Non est quòd officia in te mea commemores, cum maiora probitati, eruditioni, ac ætati tuæ debeantur. Debeo ego tibi plurimum vel ex hoc maximè quòd coniecturas has tuas mihi visendas transmiseris; longè enim pluris facere iudicium meum videris quàm illud sit faciendum Vt verò tibi morem geram, legam libenter vigilias has tuas. Sententiam verò meã ne expectes aliam, quam quod vix alter peniciùs coniectari poterat Tertulliani mentem, quàm Latinus doctissimus. Nemo enim cautiùs de re aliqua coniecturam sumere potest, quàm senex; nemo doctiùs, quàm qui acerrimo iudicio sit à natura præditus. Hæc verò omnia tibi, Latine, suppetunt ætate venerabili, litterarum scientia ornatissimo, ac iudicij præstantia oculatissimo. Vale. Salerni Quarto Idus Ianuarij 1585.

L. LATINIVS M. ANTONIO MARSILIO Columna S. D.

Modestè repellit laudes sibi datas pro coniecturis in Tertullianum.

ET si te virum grauem, eruditum, atque in sacrosancto dignitatis gradu collocatum magnopere obseruandum, plurimique meritò faciendum iam pridem mihi esse intelligo, proptereaque testimonio tuo plurimum tribuendum esse fateor; cogor tamen amoris tui erga me vim, magnitudinemque non mediocriter admirari. Quid enim te virum grauissimum, vt de probitatis, ingenij, iudicij, eruditionisque meæ tenuitate tam honorificè sentires, totque tantisque laudibus me cumulares, quarum ne minimam quidem partem vt agnoscam veritas ipsa, & conscientia facit, adducere aliud potuit, quàm effusa quædam

cum

cum humanitatis tuæ singularis in multos, tum maximè mirificæ tuæ erga me voluntatis, beneuolentiæque magnitudo? quam quia ne leuiter quidem accusare mihi fas esse statuo; æquius esse duxi, vt alienis potius, minimèque tenuitati meæ conuenientibus laudibus oneratum me abs te esse patiar, quàm suspicionem fortasse aliquibus dem astutè, id à me fieri, ne propterea tibi quicquam debere videar. Ego verò, Marce, contra, me tanto maiores tibi gratias agere, habereque oportere profiteor, quanto longiùs ab eo absum, vt non dicam tam honestis, egregijsque laudibus; sed ne mediocribus quidem vllis abs te ornari vllo modo merear. Quanti enim tanti viri testimonium boni omnes, eruditique iure optimo sint facturi, cum tu ipse facilè pro tua prudentia intelligere potes, tum nemo sanus, opinor, dissimulare vmquam audebit. Ego quòd in manu mea non est, vt honestissimæ tuæ de me prædicationi respondeam, spero me apud æquos iudices eam veniam facilè impetraturum, vt nullius vel læuissimæ culpæ affici censear, atque idcirco securus dormiam. Tu contra in quod, quantumque discrimen te ipsum volens, prudensque conieceris, nisi testimonij tui fidem veritatis firmitate constantem præstes, vnus omnium maximè oculatus facilè vides. Coniecturas meas quum erit otium, Tertullianique lectione animum relaxare libuerit, considerare, quantique faciendæ sint iudicare poteris. Mihi certè gratissimum feceris, si dum in earum versaris examine, tantisper amoris erga me tui vim inhibeas, proculque abesse iubeas. Vale, & ama, qui te plurimum colit, atque obseruat. Romæ xv. Calend. Februarij 1585.

IACOBVS PAMELIVS L. LATINIO S. D.

Exoptat eius obseruationes in Tertullianum, & Cyprianum.

EXpectaueram per Dominum Antonium Regis, quas mihi promiseras, eruditissime Domine Latini, adnotationes in Cyprianum, & Tertullianum vestras citra editionem vtriusque nostram, atque adeo Niuellium Typographum Parisiensem ea spe distuleram, vt in tertia nostri Cypriani editione coniungi possent illæ tuæ sub tuo nomine obseruationes. Verùm cum ille, nescio quo casu, eas secum non attulerit, neque ego hactenus

ad meas litteras vllum à Tua Dominatione responsum tulerim, non potui non tribus, quod aiunt, verbis earumdem mentionem refricare rogans obnixè, vt saltem illas in Cyprianum proximo transmittere placeat veredario, quò Cypriani iteratæ editioni finis imponi possit cum dictarum obseruationum locupletatione, quas vbi excusas viderit, poterit eadem fide etiam illas in Tertullianum tuum P. Ciaconi committere, nisi malit simul transmittere. Curabit autem ad me deferri tuum litterarum fasciculum Petrus Hiele Romanus. His vale in Christo. Tornaci 16. Ianuarij 1585.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S.D.

Significat se iam misisse coniecturas in Tertullianum. De Cypriani verò notationibus excusari ob infirmitatis impedimenta rogat.

HAec ad te iam pridem scripseram, putabamque ad te ambas litteras fuisse redditas cum coniecturis meis in Tertullianum. De Cypriani varijs lectionibus, paucisque annotationibus in tua in eum scripta nihil tibi præstare possum hoc tẽpore; decumbo enim asiduè, & imbecillis valetudinis meæ rationem cogor habere maiorem, quàm hactenus habui supra septuaginta ætatis annos in corpore iam dudum malè affecto. Quare de Cypriano nihil à me potes expectare ante initium æstatis, quo tempore ad maiorem autumni partẽ soleo meliusculè agere. Doleo equidem vehementer tibi in hac re satisfacere non posse, vt antea scripsi. Excusabis igitur valetudinem meam. Vale interim, & me ama. Hæc ad te eo ipso, quo litteras tuas acceperam die, eidem Petro Hiele mittenda dedi. Idest xvi. Calend. Martias 1585.

IACOBVS PAMELIVS L. LATINIO S.D.

Eius coniecturas in Tertullianum in noua editione imprimendas curabit, expectatque reliquas in Cyprianum.

PRo missis ad me duobus tuarum coniecturarum in Tertullianum nostrum (quorum alterum hesterno accepi die) exemplis iam excusis, est quod gratias ingentes agam, & ha-

beam

beam, vicem redditurus Deo fauente editione secunda, quum eas, quæ mihi probabuntur, aliisque viris eruditis, tuo sub nomine cum nostris etiam nouis quibusdam adiungemus. Interea rem gratissimam, studiosisque omnibus percommodam præstiteris, si placeat maturato in coniecturis Cyprianicis, vt ego eas secundæ, quæ prælo propediem committetur, editioni nostræ intersercre sub tuo quoque nomine liceat. Quod restat quantum per vnius diei horam vnam, aut alteram coniicere potui, inuenio plures tuas coniecturas non contemnendas. De quibusdam Deo fauente aliàs latiùs. Hìc vale in Christo feliciter. Tornaci 26. Ianuarii 1585.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S.D.

Obseruationes in Cyprianum, quam primum mittendas promittit.

GAuisus non mediocriter sum, quod in litteris tuis cognoui ante diem vij. Calend. Februarias coniecturarum mearum in Tertullianum exemplum alterum ad te fuisse perlatum. Commodè ergo poteris quæ tibi, & viris eruditis visæ erunt dignæ, quæ interim, dum vera lectio prodeat, admittantur, in nouas tuas doctissimas notationes referre. Quod autem magnopere cupis, & postulas, semperque repetis de Cypriani variis lectionibus (nam coniecturas nullas optimorum Codicum præsidio adiutus in eo restituendo necessarias duxi) victus assiduis postulationibus tuis id tandem præstare possum, vt Codicem meum, in quem eas conieceram iam ex quo primum die Romana editio prodijt, ad te mittam. Si igitur curare vel poteris, vel volueris, vt ad te deferatur, ego libenter desiderio tuo satisfaciam. Erit forte id oneris Typographis Lutetianis consultiùs committendum, qui minore sumptu, & periculo perferendum cum quibusdam appendicibus ad eam rem pertinentibus curabunt: Ego interim, quum mihi Dei benignitate meliùs erit, vt stratum linquere licebit, annotationes in eum tuas aliquot, in quibus tecum non sentio, percurram, & quid mihi in ijs vel addendum, vel demendum, mutandumque iudicem, bona fide, & qua libertate vti semper soleo, ad te perscribam. Vale. Roma Calend. Martijs 1585.

E I D E M.

Suas obseruationes, & varias Cypriani lectiones mittit.

PErfecisti tandem crebris postulationibus tuis, vt nulla valetudinis meæ habita ratione bidui operam tibi æger, decumbensque nauarem in Cypriani tui olim Coloniæ excusi tribus Epistolis ex duobus, quos vidi codicibus vel restituendis, vel varijs lectionibus indicandis. Adieci præterea ex annotationibus tuis pauca quædam à me iam tum obseruata, cum in lucem venerunt, in quibus abs te vel inuitus meritò dissentire coactus sum. Hæc ad te manu mea descripta per Petrum Hielle mittenda curaui. Quæ in editione mea in Codicem meum retuli variarum lectionum, ea quia plura sunt, & longius tempus postulant ad describendum, propediem spero me per eumdem Petrum curaturum, vt perferantur. Nolui enim expectare dum mihi ad proximas litteras responderes, quod muturè hæc ad te rogasti vt mitterem, cum editionis forte iam incohatæ ratio te nimium vrgeret. Gratulabor labori meo, si quod tibi adiumentum ad Cyprianum illustrandum attulisse cognouero. Vale interim, & reliqua propediē expecta. Roma vij Idus Martias 1585.

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S. D.

Excusat se non posse suam proferre sententiam de Tertulliani coniecturis, quas Lorinio Concionatori tradendas curauit. Gaudet illi gratas fuisse oleas.

ANtequam litteras tuas x. Calen. Februārij datas resignarem, verebar equidem ne me in ijs obiurgares, quòd tuis alteris superioribus diebus acceptis non dum respondissem; ijsdē autem à me lectis agnoui tuam solitam humanitatem, qui etiam in reprehendendo tam molli brachio vteris, vt hæc cunctatio ornamento etiam mihi possit esse, cum in eo quod mearum litterarum non mediocre desiderium prætefers, satis luculentum præbes argumentum non floccipendendi meas quandoque nugas, quo sanè nomine me tibi plurimum debere sentio. Sed accipe excusationem meam, omissa illa peruetusta occupationum cantilena, quam solent plerique ad inertiam suam velandam adhibere viri

viri etiam ociosissimi. Dum ego obtemperādi tibi causa de coniecturis tuis in Tertullianum aliquid scribere cogito; ex mea verò tenuissima penu cum nihil quod vel tibi, vel mihi satis posset facere, depromere valerem, neque eiusmodi onus Cardinali Fratri hoc maximè tempore occupatissimo mandandum esse iudicarem, ad alios me conuertens diligentissimè sum eorum opinionem sciscitatus, & cum nihil adhuc ex animi mei sententia haurire potuissem, tandem Reuerendus Lorinius magnus sanè concionator, & doctus, & probus, qui operam suam tum alias, tum hoc proximo aduentus tempore in hac nostra Cathedrali Ecclesia strenuè nauauit, cum quo de eadem re sæpius egeram, mihi pollicitus est, cum primùm Florentiæ esset, quo in loco assiduè commoratur, suam mihi per litteras luculentissimè expositurum sententiam. Interea dum ego ab illo, vt fidem suam liberet, exopto, dies de die labitur, ac, vt inquit ille, nouæ pergunt interire lunæ, qua ex comperendinatione meritò abs te accusari negligentiæ nomine posse video, nisi tua modestia, atque facilitas omnem meam culpam exuperaret. Habes de litterarum mora. Nunc de oleis, quas cum intinere vectorum incuria naufragium passas audissem, in suspicionem veneram, ne ad te saluæ, & incolumes haud peruenissent, nunc abs te fuisse exceptas, neque iniucundas extitisse certior factus, sanè gratulor; si eiusmodi illæ quidem fuerint, quæ te aliqua ex parte potuerint delectare, ac singularis meæ erga te beneuolentiæ argumentum aliquod repræsenrare; sin minus eidem tuæ modestiæ debeo, quòd tam benignè quæcunque à me proficiscuntur, accipias. Equidem si quid in hac mea villula nactus essem quod tibi probari posse intelligerem, libentissimè tibi copiam facerem; sed cum nihil mihi aliud in mentem veniat quod tibi gratum accidere posse existimem, minimè absurdum putaui eo munere ex eiusdem villulæ fructibus decerpto quotannis te impartire, quod propriè tibi conueniret, ac sympathiam quamdam cum tuis Musis haberet, cum nulla, nisi fallor, sit arbor, quæ tuæ industriæ, ac virtuti in pangendis tot doctissimis lucubrationibus, quæ non huic tantùm sæculo; sed futuris etiam plurimum sint profuturæ, maius adiumentū hac suppeditet. Quare minimè repræhendendus ipse videor, si me hac villula non mediocriter oblectari fatear, quę eiusmodi arbores ferat, ex quarum baccis tanta possint ad homines prouenire commoda; mihi verò tuæ de me sæpius refricandæ memoriæ nō insul-

insulsam prębeat occasionē. Qua in villula cum tuas accepissem nudiustertius litteras, in eadem etiam hæc conscripsi, pridie Calen. Februarij 1585.

L. LATINVS CAMILLO PALAEOTO S. D.

Oleas litterarum sale conditas gratissimas sibi fuisse testatur. In perlegendis in Tertullianum coniecturis orat, ne sit nimis sollicitus. Denique iocosè, & venustè describit olearum immaturitatem.

QVamquam antehac semper verissimum esse credidi quod scriptum est, bona quoque nomina, nisi appelles deteriora fieri solere. Numquam tamen id ita esse tam planè, quàm nuper abs te suauissimis acceptis litteris, comperi. Quid enim te iudice verius ea sententia scribi potuit? Iocari me forte putas? Ego verò (& si veteris consuetudinis licentia hoc maximè tempore iocis vtitur) longè tamen ab ea, ad viros grauissimos tui similes præsertim scribens, vt semper abessem æquum esse omnino statui. Cur tibi autem in eo quod proximis meis litteris scripserā, gratiores multo futuras fuisse oleas Arientinæ villæ, si litterarū tuarum suauissimo sale conditæ fuissent, visus sim negligentiæ te, vel cunctationis arguere voluisse, non mediocriter equidem sum admiratus. Nam vt libertate mea tecum præsertim confidenter fortasse nimium vtor, ita ne cum familiaribus quidem astutè vmquam agere honestum esse existimaui. Quare quod erat verissimum, gratissimo tuo munere gratiores litteras tuas futuras mihi fuisse scripsi. Tu verò, vt te non bonum modò nomen, sed, si dici licet, supra id quod optimum est, esse te etiam non appellatus ostenderes, ita mihi, idest impotenti desiderio meo satisfacere studuisti, vt tibi iure optimo fateor plurimum debere; cum homo tot, tantisque negotijs in Reipublicæ administratione semper occupatus, putaris singulari humanitati tuæ non admodum honestè responsurum, nisi statim ad me longissimas, elegantissimasque litteras exarares, in quibus & diuturnioris silentij tui iustissimam causam verecundè excusares, & de Tertulliani locis cum coniecturis meis collatis, quid viri eruditi sentirent, quod res, tempusque ferebat diligenter admoneres. Ego verò quòd minimum de ea re laboro, peto à te, ne eius rei cogitationem vllam vltra susci-

suscipias; si quid dies obtulerit, id tantùm mihi ne patiaris esse ignotum, rogo. Erunt fortasse aliquorum oculi acutiores, quorumdam solidior quoque eruditio; nonnullorum verò iudicium diligentiore trutina examinatum, quorum opera multa in melius restituta, & tanto scriptori lumen maximum addere, & me ab inscitia mea, & tarditate reuocatum ad meliorem coniectandi rationem traducere facilè possint. Sum enim, si non doctus, certè Dei gratia docilis, cupidusque discendi. Lorinio verò mea causa noli esse molestus; quod sponte quandoque dabit, accipies, & cum erit otium ad me scribes. Sed obsecro te patere libertatem meam. Musas meas cum tot lucubrationibus, quas tibi tam honestis, grauibusque verbis laudare libuit, scito tam aridas esse, quàm sunt oleæ villæ tuæ, quas ante tempestiuitatem suam, vt ego quidem verè sentire mihi videor, immaturas nimium legēdas curasti. Quæ si vsque ad iustum temporis incrementum in sua matre pependissent, & carnis multo plus, & succi mitioris haberent, & quod plurimi plerique omnes faciunt, faciliùs à nucleo post conditurain, citiùsque recederent. Hæc (& si sus Mineruam) decumbens otiosus, solitudinisque fallens tœdium tantisper dū tecum fabulor, adijcere volui. Tu me dilige, amorisque erga te mei libertatem, si non amas, oro te æquo animo tamen patere; & me Fratri tuo Cardinali viro optimo, & prudētissimo de meliori, quod aiunt, nota commenda. Roma v. Idus Febr. 1585.

CAMILLVS COLVMNA L. LATINIO S. D.

Senes doctrina præstantes fuisse demonstrat, eiusque senectutem laudat. Denique litteras prolixas desiderat ab eo.

PRoximæ litteræ tuæ non effecerunt, vt ego de mea sententia decederem; nam & si pauci semper fuerunt, qui virtute, ac doctrina præstantes meritò dici possint; tamen quamplurimos illorum senes fuisse exempla palam testantur, quæ si ego tibi referrem, potius Athenas noctuas mittere, quàm me ipsum in historiis versatum ostendere viderer, cum & horum monumenta non solum tibi perspecta sint; sed etiam exemplum in te habeas. Ipse enim in illorum numero reponendus es, qui cum à senectute maximum decoris incrementum susceperunt, tum etiam senectutem ipsam magis & sapientia illustrem, & aucto-

ritate venerandam reddiderunt. Sed de his hactenus; veritate enim confirmata noua demonstratio superuacanea est. Quid verò præterea dicam? adeo sum ieiunus eloquio, obtusus ingenio, vt nihil litteris tua lectione dignum commendare me posse credam, nisi id vel tui laudatio præclarum efficiat, vel mea addiscendi cupiditas iucundum tibi reddat. Sapientibus enim viris gratum esse debet omnes docere, illosque potissimum, qui gloriæ appetentes, doctrinæque auidi sunt. Cupio igitur, mi Latine, tuorum studiorum particeps fieri, quod facilè me consecuturum spero pro mutua nostra beneuolentia, & tua humanitate, meoque honesto desiderio, atque eò magis, quòd iam à te ipso sine mea postulatione mittens ad me præteritis diebus tuas exactissimas in Tertullianum lucubrationes id facere cæpisti. Nunc autem scire velim quem nam librum tibi familiarem sumpseris, atque rogo vt de eo aliquid ad me scribas littèris quidem longissimis, quas tamen tam longas conscribere non poteris, quin mihi breuissimæ videantur; tanta earum dulcedine capior. Fac vt valeas. Pisis Kalendis Februarij 1585.

L. LATINIVS CAMILLO COLVMNIO S.D

Modestè de se sentit. Adolescētes multa intelligere sibi videntur, quæ postea in senectute melius percipiunt.

HEri summo mane litteras tuas Calendis Februarij datas accepi. Quando autem video te in tua sententia ita confirmatum, vt putes eam verissimam esse, atque omnem in ea demostranda operam esse superuacuam; nolui frustra iterum laborare, vt de me modestiùs sentires, cum præsertim confidam te veriora in dies sensurum. Et si mihi ea viuendi spatia tribuerentur à Deo, quæ olim Simeoni tribuit (cuius hodie festum diem Ecclesia celebrat, fideique, & fortitudinis eius exemplum ad imitādum omnibus proponit) ò quàm te aliter de me sentiētem, maturiùsque de omnibus iudicantem libenter audirem. Ego cum adhuc adolescens oblatam forte bipedalem tabellam, in qua totus terrarum orbis mira artificis industria descriptus erat, magna cum voluptate diutius essem contemplatus, (cohibe, quæso te, Camille risum) quem me vniuersę Cosmographiæ peritiorem inueniri potuisse putas me existimasse? Neminem certè fateor, inter æquales,

les, vt tunc erat, mihi persuaseram de tota ea re veriùs, locupletiùsque differere potuisse quàm me. Cum interim nihil minus scirem, etiam si confidentiùs de tota ea re tractantem nonnulli me attoniti mirarentur, atque suspicerent. Accidit autem non multo post, vt Ptolomei Cosmographi libros, tabulasque tũ summas orbis partes, tum priuatim eius minores particulas complexas magna ex parte percurrerem, totiusque terræ ambitum ad tam multa stadiorum millia protensum ex veterum doctissimorũ Cosmographorum sententia cognoscerem. Quem me arbitraris tunc factum hominem esse? Intellexi enim quàm temere ea mihi ante tribuissem, quæ hodie ignorare me ingenuè, verèque fateri cogor. Quò quis enim ætatis benefitio, rerumque edoctus experientia anteactæ vitæ suæ imaginem velut in speculo acriùs, diligentiusque mentis oculis contemplandam proponit, tanto faciliùs, feliciùsque iudicare potest quantum intersit inter ea, quæ iam senex factus intelligit, etiam si duplicatè vitæ curricula ei concederentur, numquam satis adsequi posse. Hæc ad te illico duxi esse scribenda, ne me pigrum in eo officij genere, quod tibi gratissimum esse confirmas, vmquam possis agnoscere. Vale, & scito me Petrarchæ seniles præsertim epistolas (ita enim vocat) animi gratia hoc anni tempore percurrere consueuisse, in quibus Columniæ familiæ præclarissimas laudes passim libenter lego. Roma xii Calendas Martias 1585.

CAMILLVS COLVMNA L. LATINIO. S. D.

Maximam sapientiam esse profiteri, se nihil scire.

SEnectus adolescentiæ tam contraria est, mi Latine, vt mores, ac sententias, quas quis adolescens toto animo complexus est, senex iam factus prorsus dimittat, ac nouum incipiat vitæ genus, ita vt sibimet ipsi aduersari videatur. Nihil igitur mirũ, si tu in adolescentia quidem multum sapere credebas, in senectute verò parum te scire affirmas. Sed heus tu, quę nam scientia est magis perfecta, quæ nam sapientia magis & iure Diuino, & humano probata est, quàm hoc vnum scire, scilicet, se nihil scire. Profectò qui hoc vnum scit nihil ignorat. Cognoscit enim verè se ipsum, ita vt nihil cogitet, nihil amet, nihil quærat quod non ad se pertineat, & omnia quæ extra se sunt, relinquat, odio ha-

beat, atque reijciat. Quid verò magis nobis proprium est, magisque intra nos est, quàm de præsenti hac vita breui, fragili, ac misera cogitare; futuram verò perpetuam, immortalem, & beatam inquirere. Et quis est hęc cogitans, & inquirens, qui non studeat ita viuere, vt post mortem veram vitam ingredi, æternaque beatitudine frui possit? Hæc ad te properanti calamo scribere volui hac postrema Baccanalium nocte potius ad futuros dies, quã ad præteritos respiciẽs. Vale Pisis Tertio Nonas Mart. 1585.

L. LATINIVS CAMILLO COLVMNIO S.D.

Gaudet ipsum adolescentem cognoscere veritatis vim.

MAne hora tertia redditæ sunt mihi litteræ tuæ tertio Nonas datæ, ex quibus quod sperabam habere in futurum summa cum voluptate cognoui, te scilicet vi veritatis, quæ tanta est, vt sæpe etiam inuitos nos, & aliud agentes ad se trahat, adductum fateri tandem, quod de me tum honorificè sẽtis adolescens, quum ad ætatem maturam veneris, quod commune omnibus est, consultiùs multo, prudentiùsque expensurum, vt quæ ante plurimi feceris, atque admiratus fueris, facilè contemnenda esse iam nunc ante ætatem prouectiorem agnoscas, liberèque fatearis. Quare vides quò te aliud agentem veritatis occulta quidem; sed validissima tamen vis, Camille suauissime, suaui quadam ratione perduxit. Gratulor igitur id mihi ex animi mei sententia multo ante contigisse quod aliquando tandem futurum non augurabar, aut sperabam tantùm; sed planè confidebam. Tu quando properanti calamo, strepentibus Baccanalibus tam copiosè, eleganterque veritatis causam tuendam suscepisti, quid nunc saluberrimi ieiunij tempore in veræ pietatis studijs facere te, non dicam oporteat, sed oportere omnes iudicent, qui & vitæ tuæ institutam rationem norunt, & de tuæ indolis, ingenijque mirifica, singularique bonitate summam expectationem iam pridem conceperunt; tam facilè intelligis, quàm veritas ipsa (vt iam planè ex hac epistola tua cognoui) te sibi patronum, aduocatumque vltro cooptauit. Vale Romæ xvii. Calendas Aprilis 1585.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S. D.

Varias lectiones Cypriani ei mittit, reliquas pollicetur. Aliqua Tertulliani loca corrigit.

ACcepisti opinor iam binas litteras eodem exemplo, simulque varias trium epistolarum lectiones, quas excudendas olim curasti; præterea verò aliquot animaduersiones meas in annotationes tuas in Cyprianum; postremo ordinem Veronensis Codicis, quem libuit id circo adijcere, quòd existimaui tibi aliqua in re vsui esse posse. Nunc quæ ad Romanam editionem attinent varias lectiones à me olim obseruatas vsque ad tertiam penè operum partem suis quasque locis indicatas descriptas diligenter aliena manu Petro tuo ad te mittendas dedi. Spero autem ante octauam Resurrectionis reliquas mittere. In Tertulliani lectione aduersus Hermogenem c. 3. n. 4. l. 9. *Accidentis scilicet rei merito non mentio* legendum puto. Quæ sequuntur autem A. *Quia & Pater Deus est* vsque ad *Argumentari*, vereor ne Tertulliani sint; cum ex priscis Patribus nemo, quod legerim, eum errorem Tertulliano tribuerit, qui tamen si cum reliquis comparetur, omnium pestilētissimus est; quare adiecta ea omnia postea fraudulenter ab Arianis fuisse verisimile videtur. Aduersus Prax. c. 17. n. 105. l. 8. *Illi propriè exiuit sors gētis illius* vt in simili Leuit. 16. B. 9. nam, *excidit*, non videtur conuenire sententiæ. Tandem quod est aduers. Valent. c. 1. n. 8. *Tot suspiria portarum*, vt Codices omnes manuscripti habent, restituendum omnino censeo, quod nescio quomodo in coniecturis colligendis per incuriam omissum est. Vale, & me ama. Romæ xiij. Calendas Aprilis 1585.

EIDEM.

Pontificis obitum diuertit animum à Notationibus in Cyprianum.

DVm minutissima queque à me olim in varia Cypriani operum lectione obseruata bona fide curo, vt diligenter descripta primo quoque tempore ad te perferātur, & subita Pontificis mors, & interregni tempus, quod animos futuri expectatione suspensos non mediocriter afficere consueuit, fecerunt,

Pame-

Pameli, ne omnia, vt cupiebam ad te mittere possem. Creuit enim in duplum labor, dum studeo, ne quid tibi desit ex ea diligentia, quam in conferendis, obseruandisque vetustorum codicum varijs lectionibus ante annos penè vigintiquinque sedulò collocaram. Noli igitur mirari si seriùs ad te reliqua etiam perferantur. De Tertulliano nihil quod præterea addam, adhuc habeo. Vale, & me ama. Romæ vi. Calen. Maias 1585.

IACOBVS PAMELIVS L. LATINIO S. D.

Gratias ei agit pro notationibus in Cyprianum. De diuersis exemplaribus eiusdem auctoris scribit. Notationes in Tertullianum mittit communicandas Cardinalibus Sirleto, & Caraffæ. Denique dolorem suum significat in obitu Gregorij XIII.

QVaternas tuas litteras cum varijs in S. Cyprianum lectionibus, ac in nostras notationes obseruationibus vno, eodemque hesterno accepi die, quas vbi penitus aspicere dabitur otium, iuxta quod postulas, liberè vicissim meas censuras ad te sum missurus. Interea est quod gratias ingentes & agam, & habeam pro tua opera in communicandis mecum laboribus, & lucubrationibus tuis, maximè verò in hac ætate tua tam prouecta, & præterea corpore adhuc valetudinario. Idque eò magis quòd Typographus differre maluit hactenus editionem nouam, donec extremam, quod aiunt, manum adposuero, quàm absque nostris nouis notationibus recudere. Quare rectè facies, si promissis steteris de mittendo eo, quod restat, hisce Paschalibus ferijs, vt ante Pentecosten habere liceat. Ego quidquid operæ pretium inuenero non mihi; sed tibi, vti est æquum, more meo attribuam; & curabo vt vnum, atque alterum mittatur exemplum editionis nouæ, vt primùm prodierit. In primis autem me iuuabunt variæ illæ lectiones tuæ in Epistolam tertiam, vtpote cuius nullum exemplar habuerim manuscriptum; eadem prorsus est ratio de Epistola vigesima prima, & vigesima secunda. Hoc vnum nescio quid velis dum scribis hasce te castigasse Epistolas in Cypriani nostri exemplari Coloniæ excuso, quum non Coloniæ, sed Antuerpiæ prima; Parisijs verò secunda prodierit editio. De reliquis aliàs latiùs, quarum initium video esse paralipomena aliquot scripturarum, & emendationem curationi Ty-

ni Typographorum. Sed ſpero cum ex Codicibus manuſcriptis aliquid adnotabitur, nos iuuatum iri. Ad Tertullianum quod attinet, videris quidem nouas noſtras in illum notationes vidiſſe, quas ad Reuerendiſſimum Dominum Ruremundenſem Epiſcopum tranſmiſi cum Illuſtriſſimis Cardinalibus Sirleto, & Caraffa, & tecum, communicandas, dum nouarum mearum notationum, quas placet adpellare doctiſſimas, mentionem facis. Verùm deſidero magnopere intelligere, an ipſimet Eccleſiæ placeat æquè ac tibi inſtitutum noſtrum, vt ſeorſim edantur, neque ad marginem ſaltem nouæ editionis adnotentur, interim dum (vti rectè ſcribis) vera lectio prodeat ex libris fortaſſe manuſcriptis, quos aliquando nanciſci licebit. Hiſce vale in Chriſto, & me Dominis Illuſtriſſimis Cardinalibus commenda Audemaropoli tertio Nonas Maias 1585.

Anxios nos reddidit triſte nuncium de obitu S.D.N. Gregorij PP. XIII. Faxit Deus, vt illi omnino ſimilis contingat Eccleſiæ præfectus.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S.D.

Alias notationes, variaſque in Cyprianum lectiones mittit.

POſt vi. Calendas Maij bis ad te integra folia variarum lectionum Cypriani miſi, nec tempus habui aliquid addere, quod ad veſperam Sabbati folia acceperam cum decumberem æger. Nunc verò (quod multo prius futurum ſperaram) reliqua mitto. Cupio autem ex te ſcire, an omnes epiſtolas meas cum ijſdem varijs lectionibus adhuc acceperis; nam poſt diem ſextum Calendas Martias, quo die litteras tuas vii. Calendas Februarij datas accepi; nullæ mihi abs te perlatæ ſunt. Quare cogor non ſine ſollicitudine tam longum ſilentium tuum ferre. Feceris igitur mihi gratiſſimum, ſi primo quoque tempore curabis, vt de tota re per litteras tuas certior fiam. Vale Roma Calendis Iunii 1585.

EIDEM

E I D E M.

Eius Epistolas minutissimis characteribus designatas legere non potuit. Pontificis mors promissa retardauit.

CVm frustra Calendis expectassem varias lectiones, quod is, cuius opera in iis colligendis vsus commodè fueram, aliis negotiis impeditus, quod mihi pollicitus planè fuerat, præstare omnino non potuit; hanc moram precor te æquo animo patere. Ego enim dum tibi satisfacere cupio, seduloque enitor, ferè improbus exactor amico factus sum. Vale vi. Nonas Iunii Roma.

Hæc ad te iam scripseram quum xviii. Calendas Iulias ad me litteræ tuæ allatæ sunt Audomaropoli tertio Nonas Maii datæ, ex quibus ægrè potui sententiam elicere, quòd ita minutis characteribus, iisque non plena forma designatis verba plurima legendo adsequi non potui. Quare nihil ad eas litteras nunc quidem à me expectabis. Adhibebo aliquem cuius præsidio quod præstare oculi mei non possunt, omnia diligenter adsequar, & quæ respondenda iudicauero proximo Sabbato expediam. Cum enim multis in dies obortis impedimentis non dum absolui potuerit quod erat reliquum in variis Cypriani lectionibus, tunc ad te omnia spero me planè missurum. Excusabis autem nos non grauatim pro tua humanitate. Magna enim rerum perturbatio, maxima quoque animorum suspensio Pontificis mortem necessariò consequi solet. Ea nisi in hunc temporis articulum nobis ad eam rem impediendam incommodè accidisset, & tu fidem nostram in promisso reddendo religiosam agnouisses, & nobis desideria tua maximæ curæ fuisse res ipsa testata esset. Gulielmus Lindanus de nouis tuis in Tertullianum additionibus ne verbum quidem mecum communicauit; nescio an idem cum Sirleto, & Caraffa Cardinalibus fecit. Quæ nouæ autem istæ sunt notationes? An quas legisse me in editione tua Lutetiana iam pridem professus sum, an recentiores aliæ, quas postea addidisti? At non videtur verisimile tam breui tempore alias te adornasse. Quare vel oculorum meorum culpa factum est, vel minutissimorum characterum epistolæ tuæ, vt eius sententiam non sim omnino consecutus. Vale. Roma xvii. Calendas Iulias 1585.

EIDEM.

Coniecturas in Tertullianum se vidisse, & in Cyprianum retardatas manifestat.

VIx tandem iterata sæpius litterarum tuarum lectione, adhibitisque interpretibus intellexi quid cuperes; primum in Cypriani varia lectione quæ supersunt, vt quam primum fieri posset mitterem, quam enim moram, quæ consecuta sunt post obitum Gregorij Pontificis, tempora necessariò nobis attulerũt, eam tibi maximè incommodam accidisse scribis. Sed ferendum, mi Pameli, quod corrigi non potest, sapientes nos monent. Dabitur sedulò opera, vt cum hisce litteris omnino quod reliquum est ad te perferatur. Quod autem memoriæ meæ peccatum est in editione tua prima Cypriani, cum scripsi Coloniæ, non Antuerpiæ eã fuisse factam; spero abs te facilè condonatum iri. De Tertulliano quod scribis te Ruremundensi Episcopo Gulielmo Lindano nouas tuas adnotationes misisse, vt cum Gulielmo Sirleto, & Antonio Caraffa Cardinalibus, me etiam adhibito communicaret; tantum habeo, quod tibi respondeam, me iam sesquiannũ priusquam Lindanum in Vrbem venisse audirem, annotationes tuas diligenter vidisse, non singulas quidẽ, sed eas tantùm, quas in locis mihi suspectis, seu mendo non carentibus, apponendas curasti, in quibus plurima eruditissimè à te explicata non sine tua summa laude libenter agnoui. Coniecturas autem, quas ad te misi ab eruditis, & abs te præsertim expendendas, quod ad me attinet nihil moror, in margine, an post singulos quosque libros inter tuas notationes, vt adhuc fecisti, indicandas statuas. Longum est enim expectare, dum manuscripti codices certiora nobis afferant. Quare hoc tuum erit in vtramque partem iudicium. Gaudebo quidem plurimum, si ex meis coniecturis aliquot tua industria ita erunt suo loco positæ, et elegantibus tuis verbis ornatæ, vt eruditis viris aliqua ex parte satisfacere possint. Interim vale, & scito Ruremundensem Episcopum pro mirifica sua humanitate ad me visendum decumbentem venire solere. Roma x. Calen. Iulias 1585.

EIDEM.

Loci obscurissimi in Tertulliano ab ipso non explicati in coniecturis; imo prætermissi desiderat explicationem.

TAm rarò scribis, vt verear, ne tibi molestus sim, si petam abs te, vt aliquando tandem multis meis litteris semel respondeas, ne semper ignorare cogar, an ad te peruenerint, quæ sępe à me missæ sunt in Cyprianum variæ lectiones; quas diuersis temporibus per partes deferendas curaui. Redeunte autem ad vos Episcopo Lindano, cuius humanitati, beneuolentiæque erga me plurimum debeo, putaui meum esse, vt ad te scriberem, eo præsertim hortante, quem tanti mihi faciendum puto, quanti etiam boni, & eruditi omnes, qui hominem norunt, faciendum meritò censent. Tu autem lib. 5. aduersus Marcionem capit. 4. Not. 55. in illis verbis. *Alienos enim seruos ne Galba manumisit.* remittis lectorem ad prolegomena tua, in quibus ego cũ semel, iterumque diligenter omnia perlegissem, nihil de ea re notatũ reperi. Quare suspicatus sum idem tibi omnino contigisse quod Tertulliano, quem in Galbæ nomine planè memoria lapsum existimo: tu verò quod statueras de ea prouerbiali loquendi formula notare, prorsus oblitus videris. Locus autem Tertulliani iam diu me valdè torsit, cum nihil viderim à Galba factum, quod sẽtentiæ auctoris lucem afferret. Tandem ante quatriduum cum Adriani vitam percurrerem incidi in memorabile Imperatoris eius factum, ad quod, nisi fallor, Tertullianus omninò respexit. Quare si quid collegeras ad eius loci explicationem, feceris mihi gratissimum, quum erit otium à grauioribus studijs tuis, si ad me scripseris. In epistola de cibis Iudaicis culpa typographorum factum puto, vt *Quisquam* in *Quisque* mutatum sit. Locus est capit. 6. post not. 55. linea 14. Vale. Romæ xiij. Calend. Septẽb. 1585.

De loco Tertulliani accurata explicatio Io: Vincentij Pinelli ad Lat. Latinium.

QVæsitum est quid sit apud Tertullianum quod scriptum legitur lib. 5. aduers. Marc. his verbis. *Ipsum quod ait cum libertate Christus vos manumisit; nonne cum constituit manumissorem, qui fuit Dominus? Alienos enim seruos ne Galba manumisit facilius*

cilius liberos soluturus. An quia Galba quòd salutatus esset Imperator cum tribunal conscendisset, quasi manumissioni ex more vacaturus boni ominis loco id in posterũ habuit, & manumissionibus vsque adeo fauit, vt etiam alienos seruos facilè libertate donaret? Atqui nihil tale de Galba ab auctoribus relatum video; quin potius ciuitate Romana rarò, & paucis ab eo data, vt non admodum verisimile sit tam parcum Principem quasi largissimum libertatis datorem à Tertulliano propositum. Adde quod iure Romano ne Princeps quidem seruum alienum libertate donare potuit, vel dominum vt manumitteret cogere, quod Dio Hadrianum populo in theatro adclamanti per tabellam respondisse scribit. Ego sic à Tertulliano scriptum facilè video. *Alienos enim seruos nec alba manumisit.* atque ita explico. Seruus alienus vindicta manumitti non potest, & siue vt suum, siue vt alienum manumittat nihil cogit; nam regula iuris ciuilis est, volũtatem domini in iusta, directaque manumissione necessariam esse. Neminem alieno nomine lege agere posse. Actus legitimos non suspendi. Itaque nec rati habitione, neque adquisitione, nec solutione manumissio huiusmodi confirmatur; sed iterari eam necesse est, vt iusta cõpetat libertas. L. 4. de Manumiss. vind. L. Si seruo alieno ff. Qui, & à qui. manum. L. 4. C. de His, qui à non dom. L. Penult. ff. Pro dote & Plautus Curcul.

------------ *Ego ne ab Lenone*
Mancupio accipiam? quibus sui nihil est, nisi vna lingua,
Qui abiurat si quid creditum est: alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alienisque imperatis:
Nec vobis auctor vllus est, nec vosmet estis vlli.

Verùm sunt, & alij manumittendi modi, in quibus legis actionum substilitas facilè temperatur, vt inter amicos nominis concessione, mensæ communicatione, & albæ vestis vsu; nam & huiusmodi libertatis à domino concessæ symbolum est, quòd, & Thaledæus Grecus interpres notauit lib. 48. βασίλικ: ad L. 1. C. de Lat. lib. tollen: Et idem ipse iuris auctor Tertullianus in libr. de Resurec. carnis. *Oro te*, inquit, *si famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmatibus obnoxia retro fuerant; idcircone illa eadem pati oportebit? Non opinor. Atqui & albæ vestis nitore, aurei annuli honore, & patroni nomine, ac cibis, mensaque honoratur.* Ergo iuridicè Tertullianus seruos alba manumitti potuisse signifi-

 cat;

cat; à Deo quidem vt alienos; ſed ita vt pretium manumiſſorum dominis ſolueret, atque ita libertas confirmaretur, quò pertinet L. 1. C. de ijs qui à non dom. quæ ad actus legitimos proferenda non eſt, ait enim vt pretium dominis dependat. Hoc eſt quòd addit Tertullianus *Liberos ſoluturus.* ait enim ſi hoc domini elegerint. Itaque argutè admodum ſubdit. *Non decebat manumiſſos rurſus iugo ſeruitutis, ideſt legis adſtringi.* quod in alienis ſeruis per albam manumiſſis euenire potuit, ſi domini ſeruos potius, quàm pretium ipſorum elegiſſent. Et eleganter genus hoc libertatis per albam inter cetera multa vſurpauit alludens ſcilicet ad candidam, ſiue albam baptiſmi, qua quodammodo Chriſtus nos liberat. Quanquam ſi quis acutiùs hæc expendat, & hic quidem Chriſtianis nobis actus legitimus potius eſt, alba verò ſola iure ciuili iuſtam libertatem non tribuit, ſed Latinam, vt cetera ferè, quæ, volentibus dominis, fiunt tamquam à liberis, quò pertinet illæ Quintiliani declamationes 340. & 343. quæ Iuſtinianus conſtitutione ſua ad certos modos redegit, & iuſtam libertatem auxit L. 1. C. de Latin. liber. tollen.

IACOBVS PAMELIVS L. LATINIO S. D.

Notationes in Cyprianum à ſe receptas accuſat.

AD hoc dumtaxat ſunt præſentes literæ, vt ſignificem tuas omnes cum ijs, quas continebant, obſeruationibus tuis ad manus perueniſſe noſtras, exceptis ijs, quæ datæ ſunt ſexta Iulij. Ego verò ingentes gratias pro dictis tuis adnotationibus, & ago, & habeo rogans, vt quod reliquum eſt quantocius mittas. Si qua in re viciſſim tibi gratificari queam, inuenies quamparatiſſimum. Quòd reſtat Deus Optimus Maximus diu vos ſeruet incolumes Audomaropoli xv. Septembris 1585.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S. D.

Aliquas notationes in Cyprianum tabellariorum negligentia, vel malitia perijſſe, ſuſpicatur.

TErtio Idus Nouẽbris breuiſſimas litteras tuas accepi xvii. Calendas Octobris datas. Ex quibus id primum cognoui, quod

quod ſcito mihi gratiſſimum contigiſſe, te bene valere, litteraſque meas, & varias in Cyprianum lectiones ad te perlatas omnes fuiſſe præter eas, quæ 6. Iulij (ita enim ſcribis) ad te datæ erant. Quæ res mihi moleſtiſſimè accidit. Cupiebam enim vniuerſa ſcripta ad te quàm tutiſſimè, & quàm celerrimè fieri poſſet, reddita eſſe. Angit autem me vehementer quòd inire rationem nunc poſt tot menſes non facilè poſſum, quænam variarum Cypriani lectionum portio tabellariorum negligentia, vel malitia perierit, vel conſultò retenta fuerit, dum ipſis annua merces, ſtipendiumque ſoluitur. Audio enim eos eo conſilio aliquot menſium litteras non reddidiſſe, quòd hac ratione ſperarint ſibi de annui forte temporis dilata mercede ſatisfactum iri. Quid ſit futurum diuinare non poſſum; polliceor tamen ego tibi bona fide, quæ ad integram ſummam Cypriani variarum lectionum deſunt, vt perferantur, curaturum, ſimul ac cognouero quænam ea pars ſit. Quod tibi facilè erit ſtatim ad me ſcribere; paginarum enim numeri notati expeditiſſimam tibi rationem oſtendent, vt quæ deſunt (vbicunque illa ſint) de ijs me illico certiorem facere poſſis. *Scripſi per Lindanum Epiſcopum breuem epiſtolam, quam tibi iam redditam eſſe confido.* Vale. Romæ xv. Calend. Decemb. 1585.

IACOBVS PAMELIVS L. LATINIO S. D.

Paginas, quæ in Cypriano deſiderantur, manifeſtat. Deque varijs Cyprianorum nominibus errores prodit.

Litteris tuis, quas primum accepi nudiuſtertius, vt ſatisfaciam ſtatim, adhuc deſidero varias lectiones tuas à pagina 154. editionis Romanæ Pauli Manutij vſque ad paginã 204. Ruſus à pagina 239. ad calcem vſque, quas ſi ſtatim miſeris rem facies & mihi gratiſſimam, & Reipublicæ profuturam; ſed præmittantur priores, poſtea poſteriores, vtpote de ijs ſunt, quæ aliena pleraque ſunt à B. Cypriano noſtro, cui an adiicere conſultum ſit exorciſmum Cypriani Nicomedienſis, ſunt adhuc meo iudicio Magi, cupio quid ſentias intelligere; ad quod procliuior ſim, addito ad maginem antitodo, vbi Dœmonum aliquot habentur nomina, vbi Lugdunẽſes Typographos arguam, qui illum ediderunt nomine S. Cypriani, idque inter baptiſmi,

aliosque

aliosque Romanæ Ecclesiæ ritus tamquam authenticos. Idipsum rectè facturus sumam de vitis Sanctorum Cyprianorum Nicomediensis, & Iustinæ, Pictauiensis Martyris, Abbatis Penagorici, & quod secundo loco nominatum oportuit, Vinzibirensis in Africa Antistitis Martyris, non prætermissa etiam mentione alterius Cypriani, ad quem epistola 15. Hieronymi, & omnium eorum, qui nomine Cypriani aliquid publicauerunt, quorumque doctrinæ, aut eruditionis aliquid extat monumentum siue sub fine operis, ibique appendicis loco. In quo si quid ex nostris istis Codicibus me queas alienare operę pretium erit. Audomaropoli xx. Martij 1586. Hrabanum in libros Regum iamdududum habeo, aliaque in vniuersam Scripturam.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S. D.

Deperditas paginas in Cyprianum rescribendas, ac mittendas curabit. Aliqua opera non esse Cypriani Carthaginensis concedit; Hrabani tractatus desiderat.

TAndem aliquando peruenerunt ad nos minutissimæ litteræ tuæ Audomaropoli xiii. Calend. Aprilis datæ. Ex quibus cognoui aliquot litteras meas cum varijs Cypriani lectionibus intercidisse. Quare statim curaui easdem describendas, simulque ad te mittendas. De Cyprianis multis, ne sit procliuè imperitis errare, laudo consilium tuum, modo ne in eo ansam reprehendendi aliquem studiosè quæsisse videaris. Quæ Cypriani Chartaginiensis non sunt ab eruditis habita, in eis emendandis nolui operam perdere. Hrabani tractatus aliquot valde vtiles, si vel tua, vel aliorum opera aliquando possemus habere, mihi gratissimum esset; cæteræ in Sacræ Scripturæ expositionē, quod in librum Ecclesiastici sum expertus, possunt sine incommodo desiderari. Quid enim ab homine linguarum peritia nulla prædito potest expectari in eo scribendi genere, quod hoc præsertim tempore tam eruditis auribus, iudicijsq; satis faciat? Habes non quid tibi, aut alijs præscribendum statuam; sed quid pro captu meo tenui sentiam. Lindano Episcopo ad vos redeūti litteras ad te dederam, quod ille à me, vt facerem, & magnopere contendit, & tibi gratissimum fore affirmauit. Eius humanitati plurimum me debere iam pridem professus sum; & nunc,

nunc, si meo nomine salutandum sedulò curabis virum optimum, atque doctissimum, magnam à me gratiam inibis. Vale. Romæ vi. Idus Maias 1586.

HANNIBAL DE CAPVA ARCHIEPISCOPVS Neapolitanus L. Latinio. S. D.

Laudat eius coniecturas in Tertullianum.

LIbrum coniecturarum tuarum in Tertullianum perlibenter & accepi, & legi. Satis enim perspexi tum ingenium, tum beneuolentiam erga me tuam. Verùm quemadmodum eius ingenij tui maiores in dies expecto fructus, ita & beneuolentiæ illud carissimum argumentum exopto, vt animi mei erga te propensione, studio, & opera, quandocunque opus fuerit, vti non prætermittas. Franciscus Lombardus noster adhuc viuit; tametsi tenui, & imbecilli valetudine, cui alterum exemplum coniecturarum tuarum, vti scripseras, dedi. Vale, & me, vt amasti, ama. Neapoli v. kalend. Aprilis 1586.

L. LATINIVS HANNIBALI DE CAPVA Archiepiscopo Neapolitano. S. D.

Gratias ei reddit quamplurimas pro honorificis verbis in epistola sibi delatis.

AD vii. Idus Aprilis redditæ mihi sunt litteræ tuæ v. kalendas datæ; ex quibus illud primum cognoui coniecturas meas tandem aliquando ad te perlatas esse; deinde (quod plurimi à me faciendum est) egregiam tuam erga me voluntatem honorificis maximè verbis tam prolixè, amanterque oblatam & amaui, & amabo, & sicubi sese offeret occasio, non committam, vt eam frustra mihi abs te delatam esse intelligas. Vtar enim libenter, quòd eo nomine cupio me tibi plurimum debere. Non est autem quod à me quippiam expectari amplius possit post annos septuaginta tres, cum iam ante annos octo, & quadraginta Iuris ciuilis studijs coactus sum nuntium remittere ob infirmam corporis valetudinem, quam licet adhuc magna cura tueri studuerim; nunquam tamen magnum aliquid aggredi me

possa

passa est. Tertulliani tamen amor illexit me, vt si quid mihi iudicij vel ætas, vel virorum eruditorum longa consuetudo contulerat, in eo emendando effunderem. Quare quid vltra à me sperandum sit, vides. Lombardi viride adhuc lignum agnoui libenter in libro M. Antonij Marsilij Archiepiscopi Salernitani ex Græco epigrammate; aridum autem meum vt ille vicissim agnoscat mitto epistolam versibus scriptam, in qua & senum naturales dotes, & meum statum, vt potui breuiter descripsi. Reliquum est vt tibi pro mirifica tua erga me benignitate gratias meritò agam, oremque vt mei tui studiosissimum pergas amare, vt fecisti. Vale. Roma Tertio Idus Aprilis 1586.

CAMILLVS COLVMNA L. LATINIO. S. D.

Eius carmina laudat à viris doctis probata.

ET si sæpius ad te scribere institui; tamen cum nihil in mentem venerit quod scriberem, aliquo negligentiæ nomine accusari me posse malui, quàm inanes litteras dare, atque in veram negligentiam incidere. Accessit etiam tuarum litterarum meum desiderium, quibus mihi scribendi materia daretur, vt ex vberrimo tuæ sapientiæ, ac eloquentiæ fonte aliquem riuulum in meum tenue, ac prope aridum ingenium deriuarem. Sed hæc omitto, ne superioris anni quæstio reuocetur. Tu enim ita impatiens es tuarum laudum, vt iam nihil in hac parte attingere audeam. Patere saltem obsecro, mi *Latine*, vt versiculos illos (*sic enim appellas*) quos ad me *misisti*, pulcherrima carmina censeam verbis, *sententijsque* grauissimis ornata, quibus tam *feliciter Senecam imitaris*, vt dum illum commendas, Seneca semetipsum laudare videatur. Id verò ne credas meo tantum iudicio; verùm quamplurimi eruditissimi viri, quorum hìc familiaritate vtor, ac præcipuè Lucas Valerius amicus tuus summopere carmina probarunt, & tuo excellenti ingenio digna existimarunt; maximè quod non eius generis sunt, vt ipsorum tantùm breui *lectione*, vt in ceteris euenit, frui possimus, cum sententiæ, *quæ in ipsis continentur* perpetuò nostris mentibus ita inhærere debeant, vt *quod oculis* legimus, mente intelligamus, animo sentiamus, etiam operibus exequamur. Quod, & si durum est, atque difficile, tamen tam eleganter, tam suauiter tuis carminibus

minibus præcipis, & ipsorum lepore allecti iam ad perficiendum quod iubes, hoc præsertim vrgente tempore alacri animo aggressi sumus. Concedat nobis Deus, vt rectè proficiamus; tibi verò Nestoreos annos amicorum communi, & meo præcipue beneficio. Vale, & me ama. Pisis 4. Nonas Aprilis 1586.

L. LATINIVS CAMILLO COLVMNIO S. D.

Gratias ei agit pro litteris honorificis sibi datis.

ACcepi mane litteras tuas suauissimas illas quidem, & de me honorificè scriptas, quam consuetudinem quando nulla ratione fieri posse video, vt à te eripi patiaris, amplector libẽs, & osculor. Quid enim tantam tuam erga me voluntatem non admirer, non plurimi faciam, etiam si de me, supra id quod sum honestissimè sẽtiat? Patiar ergo nõ inuitus à te laudari adolescẽte non tantùm optimæ indolis, & spei; sed rerum optimarum studiosissimo, quem non aliquorum monita, adhortationesque ad ea sectanda inflammant, quæ nobilitatem maximè ornant; sed insita natura ipsa, idest Dei munere, animo tuo probitas impellit, & vrget. Ad hæc quoque non mediocre calcar accedit Maiorum tuorum præclara gesta, quorum exemplis, vt video, in dies magis excitaris, non vt par illis effectus honestum inter eos locum obtinere meritò censearis; sed vt nisi eorum laudes tua virtute superes, degenerem te esse, ignauumque planè tibi persuadeas; quæ animi tui sublimitas quò tandem prouehere te facilè possit, & tu pro singulari tua prudentia planè intelligis, & ego iam augurari posse videor non vanis, vt solent aliqui, assentationis somnijs adductus; sed iactorum fundamentorum adhuc soliditate nisus, quæ ad summi ædificij culmen aliquando tandem peruentura, vti sperem, atque optem, Christi benignitas, amorque aduersus sponsam suam Eclesiam facit. Ad culminis huius scopum perge, Camille, omni vitæ tuæ tempore actiones, cogitationesque tuas omnes dirigere, & me quod prolixè facis cum Valerio tuo dilige. Vale. Roma Tertio Idus Aprilis 1586.

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S.D.

Laudat eius carmina à Cardinali Fratre probata, mittitque Sigonij libellum de Episcopis Bononiensibus.

VArijs occupationibus distentus haud equidem potui adhuc tuis litteris, quas ad me cum carminibus nuper à te exaratis misisti, respondere. Gratissimæ mihi sanè fuerunt, vti sunt omnia ea, quæ tuo nomine ad me deferuntur. Nam quòd superioribus diebus me per Andream Zanium perbenignè salutandum duxeris, quas debeo, ago, habeoque gratias. De ipsis autem carminibus valde te amo, eaque, vt iussisti, Cardinali Fratri meo ostendi, ab eoque probari sensi. Quid enim potest ab homine doctissimo, & in quocunque virtutis genere exercitatissimo proficisci quod non summa sit commẽdatione dignissimum? Et quoniam in tuis grauissimis studijs, atque occupationibus tãtum tibi superesse otij cognoui, vt his etiam mãsuetioribus Musis interdum vaces, nonnulla quoque carmina, quæ in celebrãda hac prouinciali Synodo edita fuerunt, cum his litteris coniũgenda putaui, vt ad te mitterem vna cum Sigonij libello de nostris Episcopis, quæ si non iniucunda tibi fuisse intellexero, dabo post hac operam, cum sese offeret occasio, vt in eiusmodi rebus meam haud possis diligentiam, aut beneuolentiam desiderare. De ipsa autem Synodo ab alijs nunc malo te, quàm à me certiorem fieri. Vale v. Idus Maij 1586.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTTO S.D.

Sigonij librum de Episcopis laudat, virisque doctis salutem dicit.

BIduo ante accepi litteras tuas cum libello de Episcopis Bononiensibus, ac magna hymorum copia in translatione primorum Episcoporum, quos libenter legi, & magnopere sum delectatus cum rerum varietate, tum tot florentium ingeniorum vbertate, quę, nisi fallor, Bononia bonarum artium nutrix protulit, & expoliuit. Quare ego tibi gratias, gratulorque vehementer & patriæ tuæ, & Fratris tui Cardinalis dignitati, atque auctoritati; parum abfuit quin adderem, & gloriæ; sed absit, vt suspicer vmquam in tantam animi probitatem cadere quicquam posse,

posse, vt ad eam vel minimum spectare videatur. Gaudeo verò non mediocriter, versiculos meos non contemnendos videri viris & doctis, & piis; quales non ego vnus, sed eruditi omnes meritò vos esse existimant. Zannium meum vnicè diligo; Costęum, & Manutium nihilo minus. Quare eos tibi mea causa caros esse & cupio, & opto. Vale, & Fratri tuo Cardinali salutem meo nomine reuerenter dicito. Roma xij. Calendas Iunij 1586.

Latini Latinij Responsio de sententia Honufrij Panuini, quam probat iussu Sixti V. in quæstione Cathedræ S. Petri Antiochenæ, & Romanæ.

Reuerende Admodum Pater.

QVamquam me nunquam in eorum numerum referendum putaui, qui eruditione aliqua præditi de rebus grauibus, quęstionibusque obscuris, impeditisque ad Catholicam religionem maximè spectantibus aptè disserere, & prudenter statuere aliquid possent; non recusaui tamen imperium. Iussus enim abs te, vt quid de Honufrij opinione sentirem, breuiter indicarem, in eo dumtaxat capite, in quo hęreticis respondens, Petrũ Romã venisse, & Nerone tandem iubente cum Paulo ibidem occisum esse, nisus est & rationibus, & auctoritate Patrum probabiliore statuere, qua in re quia à multorum sententia discrepat, Summus Pontifex Sixtus de Honufrij sententia amplius inquirendum mãdauit. Vt paream igitur pro tenui meo captu tuo, & Pontificis præcepto; primùm profiteor me imparem ad tantæ quæstionis nodum dissoluendum esse, deinde quicquid à me profectum erit, quod eruditorum aures offendat, id omne me ex ipsorum præscripto reuocaturum, & correcturum.

Ex historia Act. Apost. de Petri apud Antiochiam Cathedra, simulque de aduentu ad Vrbem nihil colligi posse videtur, quod in vtramque partem trahi commodè disputando non possit. Nihil enim aliud ex historia de Petro (quod ad hanc quæstionem attinet) certum habemus, quàm post carceris liberationem Concilio Apostolorum interfuisse. Coniecturis igitur Honufrius eam rationem secutus videtur; qua, nisi fallor, etiam si nullam cum hæreticis contentionem suscepisset, expeditior exitus ab obscura,

 & in-

& inuoluta quæstione pateret. Si enim Petrus annos xxv. Romæ Cathedram tenuit, quod omnes ferè Scriptores fatentur, initiũque eius anno secundo Claudij Imperatoris fuit, idest anno post Christi adscensum x. aut etiam xi. qui simul collecti summam faciunt saltem ann. xxv. manifestò constat id temporis interuallum ad vltimum Neronis Imperatoris annum extendi, ideoque ad septem annos Antiochenæ Cathedræ tribuendos ex prædicto numero nihil posse decidi; Superaddi verò quicquam non posse. Quare Honufrius cum ex Actis Apostolorum non videret se prohiberi, quò minus probabili coniectura locum difficilè dissolueret; existimauit Petrum Apostolum quum iam quadrienniũ Romæ euangelium prædicasset, atque edicto Claudij ex Vrbe cum Iudæis pulsus esset, in Orientem reuersum Antiochiæ constitisse vsque ad Claudij mortem, quod spatium annorum septem fuisse quiuis facilè intelligit. Hæc Honufrij coniectura, si quis, vt ego sentio, diligenter consideret rem, de qua agitur, non absurda, non leuis; sed maximè consentanea, atque probabilis censeatur necesse est. Antiochiæ enim Cathedram fundatam à Petro intra id temporis spatium, quòd vsque ad secundum Claudi annum fluxit, quo tempore ex Iudæa Petrum vix pedem extulisse ex Lucæ historia apertè constat, non facilè quisquam probabit. Ea verò res vt maximi alicuius momenti à Luca commemoranda esse videbatur, non silentio prætermittenda. Quare in aliud tempus, quàm in ipsũ xxv. annorum curriculũ septennium Antiochenæ Cathedræ incidere commodè non posse Honufrius statuit. Neque id solus, vel primus ausus est affirmare. Si enim quæ scripsit Bedas Venerablis in cap. xiii. Act. Apost. vera sunt, necesse est, credamus Apostolos ex Christi precepto annos xii. in Iudæa Euangelium prædicasse, vt refert ipse ex Ecclesiastica historia constare. Quare non video cur hanc Honufrij opinionem vt absurdã, aut à sacra Scriptura alienam accusare verè quisquam possit, etiã si cum multorum opinione pugnare videatur contrarium asserentium, quos si omnes cum Bedę diligentia conferamus in ratione temporum expendenda, æquum fortasse videri poterit in hac quæstione nihilo maioris auctoritatis habere, quàm Bedæ ab omnibus tributum legimus. Ego ita sententiam meam hactenus cum Honufrio congruentem secutus; si qua probabilior proponetur, eam libenter amplectar, & sequar. Operæ pretium autem esset non solùm ad huius quæstionis explicationem, sed ad multa quo-

sa quoque historiæ Ecclesiasticæ capita vsque ad Traiani Imperium valdè impedita, & controuersa examinanda, & expedienda, consulere eiusdem Honufrij historiam Ecclesiasticam vsque ad id tempus, & vltra, vt audio, absolutam, quæ cum plurimis eius scriptis penes Iacobum Cardinalem Sabellum seruatur. Vale, & me ama; simulque valetudinem meam excusa. Scripsi enim decumbens catharro, & interdum febricula laborans. Ex ædibus Quarto Idus Maij 1586.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S.D.

Reliquas obseruationes in Cyprianum, mittit, rogatque vt duas veteres Tertulliani, & Cypriani lectiones restituat.

QVas angustia temporis exclusi non potuimus ad te, quæcũq; reliquæ erant in Cyprianum, varias lectiones superiore Sabbato mittere, cum his litteris accipies, quas ad te perferendas Petro Mielle dedi. Cum autem occasio inciderit de lectione Tertulliani, quæ est lib. de pudicitia cap. XXI. dubitare. vbi Matt. verba cap. XVI. affert, sint ne illa plurali numero, vt omnes adhuc editiones præter tuam, legenda; an singulari, quod non modò censuisti in Scholijs, verùm etiam in contextum retulisti. Sum admiratus vehementer, te contra fidem Codicũ tantum ausum esse, quod si ita multis liceat, atque in multis audere, mirum quãtum in aliam formam à natiua degenerasse veteres Scriptores fateri cogeremur. Quare si me audis in secunda editione pristinam lectionem reponendam curabis. Tibi verò integrum erit in Scholijs quicquid probaris magis, apertè indicare. Est etiam in tractatu de duobus montibus Sina, & Sion, quem veteris Scriptoris ante Cyprianum nati fuisse opinor, locus à te malè distinctus in enumeratione trium vocabulorum, Iesu carnem, & humanitatem significãtis, Spiritus Sancti diuinitatem, atque Christi mixtam cum humanitate diuinitatem, quem cupio à te ita restitui, vt vetus lectio scriptorum Codicum, & vulgatæ editiones habent. Vale. Roma XVI. kalend. Iunias 1586.

CAMIL-

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S. D.

Salutem per amicum mittit, postulatque aliquas compositiones pro sua villula.

PRoximis his superioribus diebus cum Luigio Amorinio tui amantissimo, mihique ob perspectam multis in rebus singularem eius fidem, & in obeundis Cardinalis Fratris mei negotijs dexteritatem, ac diligentiam carissimo, egi vt te istùc rediens meo nomine salutaret, ac quæ inter nos de tuis studijs, præstantique doctrina, meaque in primis erga te beneuolentia sumus collocuti, tibi significaret, quod an fecerit, nondum ex ipsius perspexi litteris. Tu verò si forte propter negotia eum comperendinari senseris, gratissimum mihi erit, si hominem vrgebis, eoque ad te accersito, vt mandata mea quàm primum exhauriat, curaueris. Cognosces nempe de omni statu nostro; & quoniam me in villa mea rusticantem offendit, ibique nonnullos dies commoratus est, audies quoque de ea, quæ tibi non ignota esse valde cupio. Quod si tibi vnquam in mentem venerit, tantumue otij suppetierit, vt ad eamdem ornandam aliquibus tuis lucubrationibus animum adiicias, cæterorum laqueata tecta, marmoreaque pauimentã facilè contemnam. Vale ex Arientino rure xv. Calend. Decembris 1586.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTTO S. D.

Eius villulam describit, præcipuè verò aluearia vitrea mirificè elaborata ad contemplandas apum operationes.

BIduo ante litteras tuas xv. Calend. ex Arientina tua datas Ludouicus Amorinius vtriusque amore dignissimus ad me attulit, in quibus id primum me mirificè delectauit, quòd curasti diligenter, vt is villæ tuæ delitias mirum in modum quotidie auctas luculenta oratione mihi describeret, atque ob oculos penè singulas eius opes, atque ornamenta poneret. Vnde animi tui magnitudinem, ac singulare studium in conquirendis vndique nobilium plantarũ generibus quiuis facilè possit agnoscere, cum præsertim nec laboribus, nec sumptibus parcas, et quæ peregrina, ac rara sunt ita villæ pulchritudinem admirantibus

tibus commendant, vt fateri ingenuè cogantur diligentiæ, & industrjæ tuæ etiam quæ cogitatu, ne dum factu difficillima sunt, parere didicisse. Quis enim, vt cætera taceam, arbusculas perpetua fronde virentes ita dispositas, & consertas, vt miro artificio topiario opere armatarum triremium imaginem exprimant, naualisque pugnæ faciem repræsentent; Quis inquam vitrea aluearia apibus paranda ante te excogitauit, vt naturæ arcana in earum Republica domi gubernanda, in melle, ceraque conficienda, in fœtu edendo, in prole educanda, in curandis inualidis, in mortuis efferendis, in regis maiestate adoranda, atq; tuenda cognoscere, oculisque singula officinæ earum munia, ac ministeria rimari, atque explorare quouis anni tempore posset? Quid ad hæc insani in mutis statuis, signisque sumptus. Vnus (ita me Christus amet) vitrei aluearij angulus pluris apud me meritò æstimabitur, in quem corporis purgamenta congerunt, quàm pretiosissima quæque mortua monumenta ambitiosorum hominum, quorum omne studium in ijs rebus collocatur, & ponitur, quæ pretio parari facilè possunt; cum tamen ad naturæ secreta scrutanda, atque inuestiganda ne leuissimam quidem cogitationem vnquam susceperint. Sed quo rapior? Solus sum decumbo, da veniam senectuti. Reliquum est vt agnoscas Amorinij diligentiam in mandatis tuis magno cum fœnore expediendis, atque, vt scribis, exhauriendis, quæ mihi mirificam voluptatem attulit. Quamquam, quod plurimi facio, super hæc omnia quoque nomine me illi arctissimo obligationis vinculo constrictum profiteor, quum plane noris, fateberis summa Dei prouidentia ad me hoc tempore Amorinium cum litteris tuis adijsse. Vale, & ad nos cum Fratre tuo Cardinale incolumi incolumis ipse, expectatusque venito. Iterum vale. Roma x. Calend. Decembris 1586.

IACOBVS PAMELIVS L. LATINIO S. D.

Gratas sibi fuisse significat animaduersiones in Tertullianum, & Cyprianum.

QVas ad me dedisti cum reliquis Cypriani varijs lectionibus litteras xvi. Calen. Iunias (nescio quo casu) non nisi octauo ab hinc die has accepi litteras. Est autem quod ingentes gratias

tias agam, vtpote qui iam perficere potero tertiam illam, quam Deo fauente, adorno operum ipsius editionem, in qua adlaborabo vbi primum Audomaropolim ex hac Synodo Prouinciali Cameracensis Prouinciæ circa festum Omnium Sanctorum Dei gratia domum rediero. De cætero rationem habiturus sum tum eius, de qua postremis tuis, tum aliarum animaduersionum tuarum, tam in Cyprianum, quam in Tertullianum nostros, vtpote qui quàm libentissime admonitores feram quanto liberiores, tanto amicos magis. Quo fit, vt rem mihi gratam facturus sis, si qua cœpisti libertate, eadem erga me vti pergas. Rogo autem Deum Optimum Maximum, vt te diu seruet incolumem. Montibus Hannoniæ vi. Idus Octobris 1586.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S. D.

Cypriani tertiam editionem desiderat, eumque certiorem facit de Baronij Notationibus in Martyrologium Romæ impressis.

HEri sub vesperam accepi litteras tuas Montibus Hannoniæ vi. Idus Octobris datas, ex quibus tandem aliquando postremas meas cum reliquis in Cyprianum varijs lectionibus ad te perlatas esse magna cum voluptate cognoui, teq; prope diem domum reuersurum sperare, operamque daturum sedulò, vt tertiam Cypriani operum editionem multis (vt planè mihi videor posse polliceri) doctissimis tuis scholijs, & notationibus locupletatam, atque politam. Id quod vt præstare etiam in Tertullianũ per alias occupationes tibi liceat vehementer cupio, & opto vehementius. Miratus sum autem Lindanum ad vos nondum peruenisse, aut litteras saltem meas non curasse ad te perferendas. Exierunt nuper apud nos excusæ Romæ Notationes in Martyrologium eruditissimi viri Cæsaris Baronij, in quibus cum sæpe honestissima tui mentio fiat, tum alicubi leuiter perstrictum legi, quòd Rhenani sententiam securus amplecteris; occurrit nunc mihi locus die vltimo Ianuarij vbi in explicatione nominis *Paganus* non satisfeceris. Quamquam autem iam Lutetiæ excusa eadem, & ad vos perlata confido: curabo ego tamen ex amicis venari quotquot erunt aduersus te in ijs notationibus scripta. Ego enim nec multa legere possum, nec libet, neque

que licet frequentius operam libris dare, quòd corporis vires, oculorumque præsertim ita debilitatæ sunt, vt cogar & inuitus decumbere, & ab ijs studijs abstinere, quorum assidua exercitatione mirificè olim recreabar. Vale, & vt omnia tibi ex animi tui sententia succedāt Christi Domini nostri clemētiam semper precabor. Romæ Calend. Decemb. 1586.

L. LATINIVS IACOBO PAMELIO S. D.

Eius obseruationes in Tertullianum de Baptismo non approbat.

CVm ante triduum inter amicos quosdam me præsente incidisset sermo de Sacramento Baptismatis, deque eius in Catholica Ecclesia non semper vna, eademque forma seruata; forma, inquam, non conceptorum verborum, sed solemnitatis, atque ritus. Ad Tertulliani locum de Baptismo, qui cap. xviii. editionis tuæ continetur, deducta res est, miratique ex iis aliqui mecum vehementer sunt, cur cum Gagnæo verbum *Simonem*, commutaris in *Iudam*, cum potius Ananiæ manibus Saulus baptizatus fuerit. Ei enim reuelatum à Christo fuerat illum vas electionis esse. Præterea quod statim sequitur Not. 126. post verba. *Quid enim necesse est. Si non tam necesse*. quatuor hæc verba ex Gagnæo addidisti nulla necessitate suadente, cum Tertulliani sententia libera ab omni conditione, aut exceptione ita decurrat, vt baptismum infantibus non dandum statuat; ferèque id ipsum in more Africanis (nisi quoque alijs) positum fuisse asserat Augustinus Confess. lib. 1. c. xi. vbi vulgari sententia iactatum vndique audiebatur. *Faciat quod vult; non dum enim baptizatus est*. Hæc cum vidissem multis non probari, putaui amoris erga te mei officium esse, vt de tota re certiorem te facerem. Vale ix. Calend. Ianuarij 1586.

L. LATINIVS VINCENTIO LAVRIO CARD. S. D.

Mittit suam sententiam de S. Martini vita.

CVm nuper in Martyrologij notationibus de B. Martini Turonensis Episcopi vita non Baronij eruditi viri tantum, sed aliorum quoque sententias vehementer fluctuare vidissem,

ea tan-

ea tantum, vt opinor causa, quod Seueri Sulpitij auctoritatem, & fidem multo grauiorem omnino esse oportere statuerunt, qui cum B. Martino æqualis tempore fuerat, quàm Gregorij Turonensis Episcopi. Veritatis eruendæ studio inflammatus tentaui, si quid industria mea ad eam rem lucis afferre posset. Scripsi itaque otiosus, decumbens quæcunque mihi diligentissimè à viris eruditis consideranda visa sunt. Ea tibi non petenti vltro strenæ loco mittenda esse censui, quippe quem ex ijs, qui ingenio, iudicio, eruditioneque hodie præstant, præstantissimum iam pridem norim. Peto igitur abs te, quum erit otium, vt omnia examines, existimesque me in singularis beneficij loco positurum, si quæ tua de tota re sententia sit, humanitatis, benignitatisque erga me tuæ esse putaris, vt me quandoque quinque saltem verbis certiorem facias. Vale, & me ama. Ex ædibus, vel cubili verius. Pridie Natalis Domini 1586.

L. LATINIVS HIERONYMO ROBORIO CARD. S. D.

Gratulatur ei Cardinalitiam dignitatem, mittitque strenæ loco suam sententiam examinandam de S. Martini vita.

SI ego hodie non vni tibi, sed Apostolicæ Sedi, sed vniuersæ Reipublicæ Christianæ, si denique amicis, tuique studiosissimis omnibus gratularer; erit ne & seræ gratulationis nomine, & quod cum multorum quoque societate coniunctum est, id genus officii à me susceptum, & præstitum, minoris apud te momenti censendum? Nam vni tibi natus honestissimam hanc Cardinalitiæ dignitatis accessionem putabis hoc præsertim tempore Dei prouidentia factam, vt res tuas tantum cures, quando etiam cum priuatam vitam ageres, vniuersorum te commodis natum non animo tantum, & voluntate, sed operum quoque præclaro testimonio bonis omnibus testatissimum planè esse contenderis? Gratulor itaque tibi multis nominibus. Et ne vacuus ad te per litteras adeam, strenæ loco mitto quæ nuper de B. Martini vita veritatis illustrandæ gratia consideranda collegi, cum multorum in ea re sententias maximè varias inuenissem. Gaudebo non mediocriter si tibi viro eruditione, & iudicio singulari commentationes meas aliqua ex parte probatas esse cognouero. Vale, & Latinum tui cupidissimum dilige. Roborio,

vel Roboriano, quod in Francisco appellando ante annos sexaginta placuisse eruditis aliquot iam pridem didici, mauis, an de Ruuere, libenter scirem. E cubili pridie Natalis Domini 1586.

De vita B. Martini Episcopi Turonensis sententia Lat. Latinij.

QVæsitum à me nuper est, vtrius Scriptoris in vita B. Martini scribenda testimonio magis stãdum censeam, Seueri ne Sulpicij, an Gregorij Turonensis Episcopi. Ego verò æquum esse statui, vt non prius sententiam indicarem, quàm vtriusque scriptis examinatis aliqua ex parte veritas elucesceret. Seuerus B. Martini genus, patriam, baptismum anno ætatis xviii. susceptum, missionem militiæ anno xx. impetratam à Iuliano Imperatore in Gallijs agente, conuiuio Reginæ, exceptũ lxx. annos natum, qui annus Domini numeratur 386. atque in Episcopi munere fungẽdo annos xxvi. peregisse scripsit. Præterea quo tempore natus, quando Episcopus electus, quibusque Consulibus ne verbũ quidem; itaque quod præcipuum, necessariumque in omni historia est, idest temporum rationem nullam ab eo habitam fuisse manifesto appareat. Gregorius contra ortum eius xi. Constantini Magni Imperatoris anno scripsit, genus, & patriam cum Seuero eadem. Annus autem xi. Constantini Annus Domini fuit 316. hoc scripsit libr. 1. hist. Franc. c. 39. & libr. eod. c. 39. Prodidit xix. Costantij iunioris (non autem Constantini iunioris, vt perperam legimus; cum vix quadriennium Constantinus iunior imperarit) in Galijs miracula multa patrasse; fuit is ann. Domini 356. & lib. 10. in Catalogo Episcoporum scripsit B. Martinum Episcopũ factum anno viij. Valentiniani Imperatoris; numeratur is ann. Domini 371. vixisseque in eo munere Gratiano II. & Petronio Consulibus annos xxvi. in qua re cum Seuero conuenit; mortuũ verò scripsit Attico, & Cæsario Consulibus, qui fuit ann. Domini 397. quod lib. 1. c. vlt. antea scripserat.

Seuerus (vt probabile est) cum sibi scopum proposuit, vt virũ admirãda vitæ sanctitate, atque miraculorũ gloria clarũ, quocũq; posset laudũ genere meritò celebraret, cumque vir minimè stupidus intelligeret ea quæ gesta narraret non se vidisse, sed ab alijs audisse, quod ingenuè fatetur; maluit ea aliorum potius fide, quàm sua omnino stare, atque id circo plura in dialogis, quàm in vita tractauit. Conferatur nunc vtriusque Scriptoris diligen-

tia, & fides in historia B. Martini describenda, & nisi fallor, vter veritatis scopum attigerit facilè apparebit. Quamquam autem Seuerus plurima omisit ad historiam texendam necessaria, parũq; sibi constet alicubi; exciderunt imprudenti, atque aliud agenti quædam, quibus maximè veritatis vis, quæ per rimas tenuissimas plerumque effluit, ostenditur, & confirmatur. Vbi enim B. Martinum, qui mulierum congressum religiosè vitare consueuerat, conuiuio Reginæ exceptum, eamque illi sedenti sedulò ministrãtem narrat, vi veritatis coactus Martinum septuagenarium tũ fuisse ingenuè fatetur, quæ veritas ita cum Gregorij scriptis cõsentit, vt omnia eius capita vna tantùm hac veritatis confessione confirmentur. Nam cum anno Domini 386. constet B. Martinũ conuiuio exceptum, si tunc septuagesimum annum agebat, natũ anno Domini 316. asserere eum necesse est. Si annos XXVI. in Episcopatu vixit, idest si post annum ætatis quinquagesimum sextum factus est Episcopus, constat annum octuagesimum primum egisse Attico, & Cæsario Consulibus, itemque Reginæ conuiuiũ annnis XI. Denique mortuum anno Domini 397.

De militiæ autem missione quàm parum temporis ratio Seuero constare possit ex superiore annorum confessione palam ostenditur; vt omittatur verissima quoque alia ratione colligi, fieri nullo modo potuisse, vt primo penè stipendio, instante conflictus cum hoste potentissimo, ac metuendo die, missionem impetraret, cum vix viginti annuis stipendijs emeritis legitima missio concedi soleret, vt notissimi tum moris, tũ iuris fuisse nemo ferè ignorat. Fuit ergo non missionis, sed militiæ initium Martino annus ætatis vigesimus, militauitque sub Constantino, Constantio, ac deinceps sub Iuliano annos viginti, missionem legitimam suo tẽpore postulauit, atque obtinuit, quum quadraginta annorum esset, qui annus incidit in ann. Domini 356. cum verè in Gallijs Iulianus Cæsar declaratus res ageret, tum quasi prophetico spiritu à B. Martino dictum est Iuliano, eatenus se sæcularis Principis militia functum, reliquum se Christi militiæ debere: reliquũ autem erat tempus annorum item quadraginta.

Præterea Gregorium quæ ratio, vel consilium adducere potuit, vt de Sanctissimi viri vita tam distinctis temporum articulis falsa scriberet, in ea præsertim Ecclesia, in qua multa partim per manus posteris tradita seruarentur, vt lib. 2. c. 1. histor. Gregorius asserit, ex quibus facilè mendacij argui posset, si non eisdem cõsen-

sentanea prodidisset? Hoc autem Gregorio ex gestis in Turonensi *Ecclesia* publicè seruatis facillimè compertum fuit. Quare nulla erat causa cur quicquam fingeret ex arbitrio in adulteranda veritate historica. Constare igitur ex his arbitror, vtrius fidem in hac historia potiorem quiuis sit iudicaturus, cum vtriusque scopus & diuersus appareat, & veritas veritati suffragetur vbique. B. Martinus natus an. Domini *316.* militari sacramento dixit anno ætatis vigesimo, idest an. Domini *336.* Missionem legitimam post annua viginti stipendia impetrauit anno ætatis quadragesimo, qui fuit annus Domini *356.* Episcopatum adeptus an. *371.* cum annorum esset *56.* Exceptus est Reginæ conuiuio an. *386.* cum annum septuagesimum ageret. Administrauit Ecclesiam annis XXVI. obijt octuagesimum primum annum agens Attico, & Cæsario Consulibus an. Domini *397.* quæ omnia ex Gregorio diligentissimè consignata litteris, non video cur non debeant censeri verissima. Quod verò quidam Gregorio obijcit, Attico, & Cæsario Consulibus B. Martini obitum incidere non potuisse, quia Dominico die id factum asserat, ijsque Cõsulibus anno Domini *397.* vndecima Nouembris dies quinta feria venerit, idq; verùm esse constat. Facilè quiuis hanc obiectionem eludet, qui norit vix dum apud recentiores (quorum industria, & labor in fastis consularibus recensendis, atque repurgandis maximè enituit) ita certum statutum tempus esse, vt in id vniuersi consentiant. Quid igitur mirum si Gregorij tempore in assignando Attico, & Cæsario Consulibus anno in vnius tantùm anni calculo communis opinio errauit? Consulatur B. Hier. Chronicon, itẽq; B. Prosperi post Eusebium multo longioris, quàm vnius anni interualli error reperietur, quem tamen æquum est excusare in re implicata maximè & Scriptorum diuersa sentientium maiore difficultate, & tenebris inuoluta, & obscurata. Quare in hac sententia profiteor me esse, mansurumque dum ab ijs, qui plura, ac firmiora collegerint in lucem proferantur monumenta iam diu expectata.

CAMIL-

CAMILLVS COLVMNA L. LATINIO. S. D.

Eius lucubrationes de Presbytero Pœnitentiario mittit examinandas Carolo Beſcapeo, exponitque ſua ſtudia.

ACcepi à te quod mihi pollicitus eras duplex tuarum lucubrationum exemplum. Itaque alterum miſi Mediolanũ ad Beſcapeum Carolum clericum regularem virum doctiſſimũ, & Chriſtianæ antiquitatis peritiſſimum, vt ipſe ad me quicquid de tua hac diſputatione ſentiat planè, accuratèque ſcribat. Hãc ego quidem non vereor, ne non omnes ſapientiores ſummopere probent. Vt enim quiſque rerum veritati inquirendæ maximè eſt aſſuetus, ita nouitate minimè commouetur. Qui autem ex veteribus monumentis res obſcuriſſimas ſatis ſibi perſpectas arbitrantur; ij dum ſe omnia ſcire profitentur, ſi quid audiant noui, admirationis teſtimonio inſcitiæ coarguuntur. Quod puto te de meorum ſtudiorum ratione, atque progreſſu certiorem fieri debere: ſcito me poſtquam alterum annum iuri ciuili operam dedero, conſtituiſſe reliquum ætatis meæ florem in philoſophiæ, ac theologiæ ſtudijs conſumere. In mathematicas verò diſciplinas ſic vehementer incumbo, vt ad decimum iam Euclidis librũ duce Luca Valerio peruenerim, qui liber cũ plerisque difficilis, atque formidoloſus ſit, mihi omnium iucundiſſimus videtur, neque minori ſtudio, ac voluptate quotidie audio Thucydidem mira verborum grauitate, ſententiarumque acumine Lacedœmoniorum, Athenienſiumque res geſtas exponentem: cumque Demoſthenis acri, forenſique pugna, tum Iſocratis muſarum ore digna ſuauitate delector; omnino in hoc ſum totus, vt ſolutæ Græcæ orationis vim optimè calleam, nam ſic ad Homeri ῥαψῳδίαν, & ceteros ἐπεγγλώσσους animus properat. Longior eſſe vellem; ſed quod mihi ferè accidit ad te ſcribenti deeſt non modò materies, ſed etiam verba; credo quod pauca eorum, quæ mihi occurrerunt tuis auribus digna eſſe videantur. Fac tamẽ, mi Latine, vt me tuis litteris laceſſas quàm ſæpiſſime. Incredibile eſt enim, quàm illæ meum tui deſiderium abſentis lenire poſſint. Vale. Ticinio tertio Idus Octobris 1587.

L. LA-

L. LATINIVS CAMILLO COLVMNIO S.D.

Gaudet suum opusculum de Presbytero Pœnitentiario à Pontifice iam approbatũ traditum fuisse Bescapeo viro eruditissimo. Rationem reddit de suis studijs.

OPinionis meæ quam firma iecerim fundamenta non dubito quin tibi adolescenti acri ingenio ; & non mediocri in ista ætate eruditione prædito , aliqua ex parte iam exploratum sit . Quæ me verò causa ad eam litteris prodendam impulerit , quòd te scire, arbitror cupere, ne iterum in ea explicanda laborem, mitto ad te duarum epistolarum exempla , quæ Bononiã, Patauiumque mittenda esse curaui , vt totius rei historiam viris mihi amicissimis cognitam, per eos alij quoque, qui in publicis gymnasijs celebrioribus versantur , discere aliquando possent. Ad hæc putaui tibi etiam gratissimum fore, si quod de ea opinione fuerit Summi Pontificis iudicium , certiorem te facerem . Is ergo laudauit omnia præter inscriptionem; maluisset enim , non opinionis , velut infirmi nominis vocabuli titulo ; sed firmioris, certissimæque sententiæ significationem præferente scriptũ meũ initio communitum . Ego & si honestissimè de me sensisse Summum Pontificem non mediocriter mihi placui ; non putaui tamen quicquam mutandum esse . Admonitus enim ab Antonio Carafa Cardinale, qui lucubratiunculam meam Patrono absente, meque decumbente Pontifici obtulit, ab eoque quid de ea sentiret coram acceperat, studui statim illi consilij mei rationem explicare ; & quia in villam suam Tusculanam secesserat, scripsi breuiter quæ existimaui non vni Summo Pontifici, sed æquis iudicibus omnibus satisfacere posse . Erit igitur tertium epistolæ eiusce exemplum adiunctum superioribus . Reliquum est, vt quãdo vno tempore tot , tantisque rebus cognoscendis operam nauas, atque libenter in eis dies, noctesque versaris , æquum esse ducam, ne te pluribus detineam; quamquam mei tam amantem, vt cupias crebras à me litteras accipere . Quod ego tamen, vbicunque res postulabit, ita diligenter facturum me tibi bona fide polliceor, vt quanti te , tuamque erga me tam egregiam voluntatem faciam, planè omnes intelligant. Vale . Scito malle me ἱεϱογλώσσυς te quàm ἐπεϱογλώσσυς euoluere, & familiares tibi reddere. Romæ Septimo Idus Nouemb. 1587.

MAT-

MATTHAEVS COLLIS MARSORVM Episcopus L. Latinio S. D.

Testatur se recepisse opusculum de Presbytero Pœnitentiario, laudatque eius ingenium.

EPistolam tuam iucunditatis plenam, & plenissimum doctrinæ, pietatisque opusculum accepi, cum altera de valetudine, & beneuolentia tua me certiorem reddat, alterum verò doctissimi, & Sanctissimi Chrisostomi sententiam planam faciat, quæ multis fortasse eruditis viris offendiculum prius erat. Qua propter dies in eo legendo, nedum horam, terendos esse statui. Gratias tibi ago maximas vna cum F. Siluerio Albertonio carissimo Theologo meo, cui, sicuti scribis, aliud exemplum dedi, & mecum scientiam, & ingenium tuum laudat, & admiratur. Saluti consulas oro, atque obsecro, vt publicæ vtilitati, veluti mos tuus est, incumbere queas, memorque semper sis mei in te amoris, & obseruantiæ. Piscinæ pridie Idus Octobris 1587.

L. LATINIVS MATTHAEO COLLIO EPISCOPO S. D.

Gratias illi agit pro lectione sui operis, queriturque de sua infirma valetudine.

SVb horam nonam litteras tuas accepi mihi gratissimas, quibus significasti opinionis meæ ad te exempla duo, quæ miseram, accepisse, libenterque te in ea perlegenda non horam; sed plenos dies esse positurum; tanti enim scripta mea facienda esse iudicasti. Ego, qui mihi non tantum sumo, vt digna esse scripta mea tanto lectore, & approbatore statuam, magnas tibi gratias agere debeo, quòd amoris me tui gratia dignum arbitraris, quo fit vt rerum mearum admirator cum tuo Albertonio supra modum industriam meam laudandam esse censueris. Ego, quod ad valetudinem attinet, decumbo doloris capitis non magnitudine, sed molestia tamen continua vexatus; quam nisi fallor, stomachi imbecillitas ab eo die, quo frigidius cælum sensimus liberaliter auxit. Parco igitur de medicorum consilio lectioni, & scriptioni, quæ res non mediocri afficit me molestia in ea solitudine, qua nosti me iam diu versari, & viuere. Sed omnia

nia

nia tamen æquo animo propter melioris vitæ ſpem (quam proximè futuram expectem neceſſe eſt, propitio Chriſto) fero, atque ſuſtineo. Vale, & me, quod facis, ama. Roma pridie Nonas Nouembris 1587.

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S.D.

Hortatur amicum vt in illa ſenili ætate ſtudijs parcat, laudatque orationem à Mercuriali habitam in publico Gymnaſio:

BInas à te accepi eodem ferè tempore litteras, mihi quidem, vt tua omnia eſſe ſolent, iucundiſſimas; illud tantum acerbi; quod de cubili eas abs te ægro dictatas fuiſſe cognoui, cuperem namque de te ſemper omnia ſecundiſſima audire, illudque in primis te firmo eſſe corpore; Sed vereor, cum ſecus tibi euenire intelligam, ne hoc ſit proprium eorum, qui præſtanti valent ingenio, nec ſibi in laboribus ſtudiorum parcunt, vt imbecilla plerumque vtantur valetudine. Quare te rogo, vt cum te ſenem eſſe recorderis, viuas vt ſenex, ideſt à laboribus tum animi, tum corporis te ipſum temperes, neque omnia, quæ tibi in mentem veniunt, licet ſpecioſa ſint, aut ab aliis etiam tibi impoſita, amplectaris. Quis enim quæſo, iſta præſertim ætate tantum de ſe polliceri audeat, vt & Martyrologij notationibus, & nouo indici ampliando, & Gregorii epiſtolis colligendis par eſſe poſſit, æſtiuoque etiam, ac ſolſtitiali ipſo tempore? Quid igitur mirum ſi tibi tot vigiliis, ac laboribus defatigato poſtea per aliquot dies in lectulo decumbendum fuit? Id ne ſæpius tibi accidat, diligentiſſimè eſt cauendum. Quod verò ad ea ſcripta, quæ typis impreſſa ad me miſiſti, ea equidem libenter perlegi, tum vt mandata tua exhaurirem iis, quibus iuſſiſti diſtribui, quos cum nouerim ſuam de eiuſmodi re opinionem iam tibi ſignificaſſe, temeritatis notam ſubirem, ſi meum cum tantis viris iudicium interponendum eſſe putarem. Nihil igitur ex me addo, illud tantum, tua omnia mihi ſemper tantopere probari, vt ſcribendi candorem vehementer laudem, ingenium, & eruditionem maximè admirer. Nunc audi de Mercuriali tuo, vel potius noſtro. Is heri, quæ prima fuit illi hoc in gymnaſio, habuit orationem audiente Illuſtriſſimo noſtro Legato, nonnullis

Antistibus, Senatorum magna parte, compluribus Doctoribus, Scholasticorum, ac Ciuium ingenti frequentia. Quid quæris? Subsellia ipsa, quamuis latissima, tantam nobilium virorum multitudinem capere haud poterant. Horulæ spatio perorauit, tanto nempe eorum, qui aderant, silentio, vt Harpocrates omnes viderentur; Orationis verò candore eos etiam, qui hanc dicendi artem profitentur, si non superasse, at æquasse saltem fuit iudicatus: Quare sæculo nostro lætandum est, quòd hoc tempore medicinæ professores latinè loqui incipiant. Tu velim Gigantem meo nomine saluere iubeas, meque mutuò diligas. Vale pridie Nonas Nouembris 1587. Bononia.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTO S. D.

Probat senes non posse diuelli à studijs, quibus ab adolescentia delectati sunt. Mercuriali gratulatur. Denique optat admoneri quid sentiant viri eruditi de opusculo Presbyteri Pœnitentiary.

QVàm difficile ab inueteratæ consuetudinis imperiosa tyrannide, quam sibi quisque volens imposuit, liberare nos, vindicareque possimus, quis est quin proprio experimento didicerit, palamque fateatur? Nimirum omnes ita comparati sumus, vt quibus studiis ab adolescentia assueuimus, etiam senes, & inualidi ita oblectemur, vt quamquam saluti maximè noceant; ab ijs auelli tamen minimè patiamur; omniaque prius aduersæ valetudinis nostræ causam fuisse fateamur, quàm ea studia, in quibus cum voluptate consenuimus. Quare vereor ne ab ea tyrannide prius me, quàm ab ipsa vita exoluam. Quid enim agam? Num me viuentem adhuc sepeliam? Huius consilij non puto te vnquam mihi auctorem futurum, dum viuo ergo viuum esse me aliquo documento necesse est omnibus probem. Sed hæc hactenus. Gigantem ante biduum vidi non apud me tamen; sed apud Marcum Antonium Columnium Cardinalem, cum ille officij gratia Fratri tuo Cardinali comes factus in frequenti aulicorum conuentu me complexus excusauit necessarijs, assiduisq; impedimentis factum, vt ad me raro adiret. Fratris enim tui Cardinalis industria, atque auctoritas tam multis, grauibusque negotijs examinandis, expediendisq; adhibetur, vt breuissimum

tempus

tempus ei reliquum fiat domi quiescendi, quod ex Gigantis ipsius litteris sæpe te cognouisse confido. Mercuriali nostro simul, Bononiæque tuæ vehementer gratulor: vtriusque enim gloria mirificè afficior, speroque futurum, vt meritò quiuis ambigat, vter alteri quandoque in ea augenda, & propaganda superior censendus videatur. De opinionis meæ firmitate quid eruditi apud vos sentiant cupio magnopere quandoq; per tuas litteras cognoscere. Vale. Romæ xviij. Calend. Decemb. 1587.

MATTHAEVS COLLIS MARSORVM EPISCOPVS L. Latinio S. D.

Hortatur, vt sanitati propriæ consulat, mittitque munusculum pro domesticis.

MOerore afficior; affectum enim te capitis dolore intellexi. Et si alterum Gregorium te esse scio, vt non cesses mundo (quamuis incommodo valetudinis labores) plurimum proficere, tamen amor in te meus sollicitus, & anxius est de vita tua, quam in solitudine ducere scribis, dum nemo in meliori turba viuit, si Sanctissimorum Patrum, aliorumque omnium bonorum opera in manibus semper habes. Consule medicos rogo, ne, vt arbitror, capitis dolor ob excrescentiam caloris hepatis proueniat; nam à cælo frigidiori proprie coryza euenire solet. Munusculum in vsum domesticorum tuorum libenti animo accipito. Vale, atque iterũ vale. Piscinę tertio Nonas Nouẽbris 1587.

L. LATINIVS MATTHAEO COLLIO EPISCOPO S. D.

Pro duplici munere gratias agit.

QVod iam pridem multis argumentis planè perspexeram, me abs te (quæ tua est humanitas) non modò mirificè diligi, sed mea quoque omnia tanti fieri, vt inter eruditos nostri sæculi honestum locum obtinere me statueres, parum grato animo erga te, tuamque adeo honorificam de me opinionem videri possem, nisi tibi eo nomine maximas gratias agerem, omnique studio operam darem, vt apud omnes testatum relinquerem eorum, qui tibi plurimum debeant, me vnum esse præcipuum, ita vt quo-

 cunque

cunque officiorum, atque obseruantiæ genere possim, eam tibi gratiam habere saltem me, si non referre, facilè omnes intelligant, sedulò semper conatum esse. Quare quòd duplici munere me nunc cumulasti gratias iterum ago. Consilij munus quod per se plurimi æstimandum censeo, adiuncto altero sapidissimo gratissimum mihi fuisse scito. Vale, & me ama, quia ego te cum colo meritò, & obseruo, tum tanti facio, vt tui ordinis paucissimos tibi præferam, ne dicam neminem. Vale iterum. Roma xiij. Calendas Decembris 1587.

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S. D.

Otium aliquando sapientibus necessarium esse demonstrat, & Mercurialis virtutes prædicat.

QVod te ab ea tyrannide, quę ab ineunte vsque ætate in studijs obstrictum adhuc te detinuit, auelli nequaquam patiaris, lætarer equidem, inuiderem quoque, si illud absque tuæ valetudinis detrimento tibi euenire intelligerem, sed cum sæpè de ea queraris, ac propterea in lectulo diu decumbas, admonitore potius te egere censeo, qui recta suadeat, quàm vt ex ea re laudem aliquam consequaris. Equidem semper illa Ciceronis sententia non mediocriter sum delectatus, quæ ait, Bonis viris, sapientibus etiam licere quandoque nihil agere. Tu si aliter iudicas, liber cum haud quaque sis, non est cur inuideam. Quod ad Gigantem nostrum attinet, tuam erga cæteros omnes laudo mansuetudinem, illo tantùm excepto; agitur enim de re mea, quòd te raro inuisat, quando sæpius de te ex ipsius litteris audire solebam, cum tuas ædes frequentiùs adibat, nunc mirum ab eo silentium. Quare vrge, quæso, hominem, ac sæpius & tuo, & meo nomine saluare iube, vt sui erga te officij nequaquam fiat immemor. De Mercuriali quid quæris? in ore omnium versatur, diligitur, & de singulari eius virtute & loquuntur omnes, & sentiunt. Quod verò in ima epistolæ tuæ parte à me petis, vt quid de opinione tua nuper edita eruditi sentiant, tibi significem; an nescis illud quot capita? Equidem quoniam de eiusmodi re iudicare nequeo, ad illos te antea reieceram, nunc quoniam illud idem flagitare non desistis, facere non possum, quin tibi morem geram; sed malo te ex ipsorum scriptis, quæ ad te mitto, quàm

ex meis litteris certiorem fieri. Vale ex Arentina villa Nonis Decembris 1587.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTTO S. D.

Fatetur se non esse commotum confutatione suæ opinionis de Presbytero Pœnitentiario, quam Pontifex probauerat.

SI quis à me ante annos quadraginta petijsset quid de Socratis, & Sozomeni historica fide sentirem, id ipsum arbitror me fuisse omnino responsurum, quod sentit eruditus Theologus, cuius ad me satis longam opinionis meæ confutationem curasti perferendam, quem virum, vt facilè intellexi, cum dialecticorũ subtilissimis præceptis, tum Theologorum (quos Scholasticos vocant) decretis egregiè imbutum, atque munitum ita certo futurum spero, atque auguror, vt post annos quadraginta opinionis meæ coniecturas, si non veras omnes, & solidas; maiore tamen ex parte tam probabiles agnoscat, vt facilè sit eis adsensurus. Hanc meam spem auget non modò hominis ingenium, atque eruditio præsens; sed cum ætatis maturitate coniunctum acrius iudicium, & profundæ quæstionis plus in recessu difficultatis habentis, quàm prima fronte ostendat tempestiua consideratio. Quare noli putare me, suauissime Palęotte, vel leuissimè eius Theologi confutatione commotum. Non enim desunt hìc insignes Theologi & doctrinæ, & auctoritatis præstantia in omnibus ordinibus iampridem clari, quibus opinionis meæ, & si forte simplices, & rudes coniecturæ, & rationes visæ sint, nẽpe hominis, qui nũquã dialectices elementa didicerit, & theologiæ Scholas ne semel quidem ingressus fuerit; probantur tamen adeo, vt fateantur non vulgare adiumentum ad difficillimam quæstionem dissoluendã per eam opinionem allatum esse, atque ita Summum quoque Pontificem sensisse. Gigantem nostrum biduo ante tuo nomine salutaui, eique epistolam tuam perlegendam tradidi, quò faciliùs intelligeret, & quanti eum facias, & quanto desiderio crebras litteras ipsius expectes. De me autem nihil habeo tibi amplius dicere. Decumbo dum frigus est, vt saluti consulam, atque id agã quod me facere & amanter, & prudenter mones. Pareo itaque libenter consilijs tuis, atque interim meditor aliquid, & scribo. Vale, & me ama. Romæ xiv. Calend. Ianuarij 1587.

L. LA-

De ea historiæ Socratis, Sozomenique parte, qua Nectarij Episcopi factum de Pœnitentiario Presbytero continetur.

L. Latinius Sacrae Theologiae studiosis S. D.

QVae longo temporis curriculo tacito quodam hominum suffragio probata sunt, ea siquis temere infirmare conetur, id vnum facilè consecuturus est; vt, cum arrogantiae nomine apud omnes malè audiat; tum, vt in ijs, quae singulari diligentia, & fide tradiderit, eius testimonium nemo recipiat. Quod ego vitium, vt à me longe alienum esse quiuis intelligat, dedi operam, ne in infirmanda veterum Scriptorum fide, quicquam prius auderem, quàm examinatis sedulo, matureque singulis rebus, quae in eius generis scriptis merito consideranda sunt, veritatis mihi lumen, suboscurum licet, certum tamen aliquando Deo volente, affulsisset. Hoc veritatis lumen, si qui eruditi sunt rationibus, argumentisque à me allatis, tamquam face praelucente, videbunt; non temere a me quicquam tentatum gaudebo. Sin minus, cum homo sim, aequo animo feram errores meos palam argui: atque eo nomine me non mediocrem gratiam bonis omnibus habiturum esse polliceor. Valete. Romae, Idib. Sept. M.D.LXXXVII.

OPINIO.

SI quis post ea, quæ acri iudicio considerata, diligentique studio notata, atque collecta sunt à Iacobo Billio, viro doctissimo; lib. 1. cap. 26. sacr. obseruat. Quæque breuissime attigit Melchior Canus lib 11. cap. penult. in fine de locis theol. de Socratis Scholastici historiæ scopo amplius quærendum postulet; operæ pretium (vt ego sentio) non mediocre facturus videbitur. Cum enim is callide quæ scripsit, non facilè se probaturum bonis omnibus suspicaretur, in ijs præsertim gestis, in quibus Nouatianorum laudes explicantur, id in primis summo studio conatus est assequi, vt Lectorem sibi conciliaret, omnemque suspicionem amoliretur, nihil à se proditum iri, nisi exploratum sedulò, atque compertum. Idque frequenter protestatur, ac repetit veterator eximius, quò scriptis suis faciliùs impetret firmiorẽ fidẽ.

Con-

Conſcius enim fraudis non putauit ſibi ſimpliciter progrediendum. Ea verò ratione, fraudolenta illa quidem, ſed non facilè ab omnibus intellecta, auſus eſt nonnulla Nouatianorum ſuorum geſta frequenter inſerere, eaque tamquam ab alijs commendata recenſere, vt aliorum fide hiſtoriæ auctoritas niteretur, in quos nullum partium ſtudium vel leuiſſima ſuſpicione cadere videretur. Cum igitur ſenſim, quaſi per cæcos cuniculos eò progreſſus eſſet, vt ad ſumma, quę callide perſuadenda legentibus moliebatur, iam patefactum aditum arbitraretur, ineptiſſimam fabulam commentus, contra omnem hiſtoriæ veritatem ſcriptorum ſuorum monumentis impudentiſſimè prodere auſus eſt. Eam, ne quid ex me additum, imminutum, immutatumue ſuſpicari quis poſſit, ijſdem verbis hìc deſcribendam curaui, quibus ante annos plus minus xx Ioannes Chriſtophorſonus Anglus Ciceſtrenſis Epiſcopus Socratis huius, & aliorum quattuor Eccleſiaſticam hiſtoriam Latine reddidit. Ita enim ſcriptum legimus. *Per idem tempus, &c.* quæ integra deſcribētur infra. Præſtat enim ſingula eius verba maturè expendere, vnde commentitiæ fabulæ ſiaus faciliùs intelligi, planeque manibus teneri ab omnibus poſſit. Nam præterquam, quòd falſum planè fundamentum confidentiſſimè duriſſimæ frontis homo iecit, tum ipſa ſecum fabula pugnat, tum veritatis in ea caput nullum, pes nullus apparet; præter illud vnum, cuius gratia tota hæc egregia fabula ficta eſt; vt Nouatianorum impiam ſententiam decepti ſpecie boni Catholici quique probarent, atque amplexarentur. Sed neceſſarium eſt, vt quam proſpicio difficilem ſalebram mihi initio oppoſitam, ſtudeam primùm iuuante Chriſto ſuperare. Quis quantuſque vir fuerit Ioannes Chryſoſtomus, omnes norunt, quanta eius in Catholica Eccleſia auctoritas omnia monumenta teſtantur. Is autem, ſi vera legitimaque eius ſcripta ſunt, quæ olim à Petro Lombardo, Sent. 4. d. 17. nuper verò a Xyſto Senenſi Biblioth. lib. 5. cap. 175. vberius collecta, & notata ſunt vel inconſtantiæ non mediocris, vel parum orthodoxi dogmatis nomine meritò arguendus videtur, quod ego tamen nunquam facere auſim, ac propterea in eam ſententiam libentius venio, vt vel non eſſe Chryſoſtomi ea ſcripta putem, vel ſi eius eſſe concedā, ab hæreticis Nouatianis præſertim ea omnia fraudulenter inſerta fatear; quæ cum aliis eius ſcriptis pugnare palam videntur. Ex Chryſoſtomo autem (vt probabili coniectura colligere quiuis faci-

facilè potest) commentitiæ fabulæ argumentum Socratem cum Sozomeno sumpsisse, concinnasseque opinor. Cum enim ille sæpe testetur, se non hortari quemquam, vt in publicum prodeat, atque in theatro delicta sua confiteatur, aut alteri publicet, sed Deo soli; occasionem arripuisse videntur affirmandi olim in Catholica Ecclesia ritum odiosum fuisse, vt quis tanquam in theatro præsente Ecclesiæ multitudine peccata sua pronũtiaret. Quia verò in hac parte Socratis historia decurtata omnino, & manca manifestò apparet: eam ex Sozomeno integram adscribendam curaui: ex vtraque verò, quæ diligenter examinanda visa erant, commodè suis locis inseram. Sozomeni verba hæc sunt. Lib. 7. c. 16. hist. Eccl. *Hoc tempore presbyterum, qui pænitentibus deputatus esset, esse non amplius passus est omnium primus Nectarius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus, quem omniũ ferme* Ecclesiarum *Præsules imitati sunt. Quid autem hoc sit, aut vnde originem sumpserit, aut quam ob causam sublatum fuerit (alij fortasse aliter referunt) ego autem quid mihi videatur explicabo. Etenim cum prorsus non peccare naturæ sit humana superioris, pænitentibus autem quamuis frequenter deliquissent, veniam dari* Deus *iusserit, & ad impetrandam denique veniam confiteri peccata necessarium sit: odiosum (vt credibile est) sacerdotibus ab initio visum fuit, tamquam in theatro audiente* Ecclesiæ *multitudine delicta pronuntiare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quàm maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem huic officio præfecerunt.* Socrates autẽ ita narrationem instituit: Lib. 5. cap. 19. hist. eccl. *Per idem tempus (*inquit*) visum est Ecclesiæ, vt presbyteri, qui in singulis Ecclesiis pænitentiæ præerant, tollerentur. Idque hac de causa. Ab illo tempore, quo Nouatiani se ab Ecclesia seiunxerant, recusauerantque cũ ijs, qui tempore persecutionis regnante Decio concitatæ lapsi erant, communicare;* Ecclesiarum *Episcopi Canoni adiunxerunt, vt in singulis* Ecclesiis *presbyter quidam pænitentiæ præesset; quò qui post baptismum lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur. Iste Canon adhuc apud alias sectas ratus, firmusque manet. Soli autem qui fidem Consubstantialis tenent, cum Nouatianis, qui cum illis in ea fide consentiunt, Presbyterum pænitentiarium reiecerunt. Nouatiani verò ne initio quidem istam quasi appendicem admiserunt.* Episcopi *qui iam præsunt* Ecclesiis, *quamuis ad longinquum temporis spatium hoc tenerent institutum, temporibus Nectarij* Episcopi *immutarunt: propter huiusmodi facinus,*

quod

quod forte fortuna in Ecclesia tum admissum est. Hūc scopum fraudulenti viri considerent mecum eruditi. Hæc enim scena & apparatus totius fabulæ expendatur prius necesse est, quàm fabulæ argumentum attingimus. *Visum est* (inquit) *Ecclesiæ*: quam hic veterator Ecclesiam designare potest, præter catholicam? At eā nunquam tale quid fecisse auditum, aut scriptum est. Ante enim Nouatiani schisma scripserat Tertullianus inter Latinos de pœnitentia volumen egregium; scripserat de ea passim multa inter Græcos Origenes, Homil. 2. & 15. præsertim verò in Leuiticum de eius necessitate, & vsu disseruit. Erat iam tum igitur in Ecclesia vetustissimus pœnitentiæ ritus institutus, sacerdotes electi, & forma quædam non modò peccata Sacerdoti secreto confitendi, sed etiam pœnitentiæ præscriptus pro qualitate, & quantitate peccatorum modus: præsertim in grauioribus, publicisque delictis, quæ etiam publica pœnitentia expiabantur. Deinde quænā ista fuit Ecclesia, quiue Episcopi; quibus visum est canonem pro re nata necessarium statuere? Vbi locorum coacta synodus, quo indicente, quo imperante, quibus Coss. quo scriptore prodente? An hæc omnia omissa fraudem non palam indicant? an non conficta omnia manifestè clamitant? Quænam igitur commentitia hæc fuit Ecclesia, quæ post Nouatiani schisma statuit pœnitentiarium presbyterum instituendum, & Nectario Episcopo præsidente post annos pene centum quadraginta eundem esse tollendum? profecto nemo facilè dixerit; quin imo contra audacter, ac verè affirmare poterit in Ecclesia catholica, & ante Nouatianum semper, ac deinceps, tum peccatorum confessionem sacerdotibus fieri, tum ab eis pœnitentiæ modum imponi consueuisse. Si quid autem videri nouū potuit accidisse post Nouatiani schisma, id vnum certe fuit; quod peccatorum licentia in dies magis aucta est, sublato cōfitendi pudore, ac laboriosæ pœnitentiæ actione conculcata. Quod ipsemet Socrates, & Sozomenus, ac Nicheporus ingenuè fateri diuina veritatis vi coacti sunt, vt infra ostendemus. Non fuisse autem ab Ecclesia Catholica ritum aliquem innouatum circa lapsorum pœnitentiam post Nouatiani schisma docent nos eiusdem Ecclesiæ firmissimæ eius temporis columnę Cornelius Rom. Pont. Cyprianus Carthaginensis, & Dionysius Alexandrinus, quorum Epistolæ ab Eusebio Cæsariensi recitantur, Lib. 6. cap. 35. hist. eccl. in quibus Nouatiani vita, scelera, schismaque describitur, eiusque inhumana crudeli-

tas condemnatur. Cypriani verò plures *Epiſtolæ* ad Cornelium Papam, ad Confeſſores, & liber de lapſis palam declarant, nihil innouatum in Eccleſia propter lapſos, aut Nouatiani ſchiſma, & Nouati hæreſim fuiſſe; ſed tam in Concilio LX. *Epiſcoporum* Romæ à Cornelio habito, quàm Carthagini Cypriani vigilantia prouiſum eſſe, ne temere lapſis, niſi legitima peracta pœnitentia, pax, & myſteriorum communicatio daretur: etiam ſi martyrum vel confeſſorum libellis maximè commendarentur. Potuit forte hìc aliquid innouatum videri ijs, qui veterem in Eccleſia ritum non diligenter conſiderarunt, modumque, & formam in peccatorum confeſſione, pœnitentiaque inſtitutam ab initio, ac ſemper obſeruatam non animaduerterunt. Diſſimulauit aſtutè hæc omnia Socrates; & Sozomenus, qui cum Nicephoro in hac commentitia fabula illum ſecuti incautè ſunt. Scripſerunt Epiphanius, Theodoretus, Zonaras, Cedrenus ea, quæ viuente Nectario notabiliora acciderant; cur ergo tot, tantique viri rem tanti momenti miro ſilentio prætereundam omnino exiſtimaſſent, ſi vel leuiſsima quidem eius rei ſuſpicio apud homines viguiſſet? certè non eſt veriſimile: cum præſertim Theodoretus tam in hiſtoria, quàm in hæreticis fabulis, & decretis catholicis Nouatiani errores, ac de pœnitentiæ in catholica *Eccleſia* ſolemni ritu vſque ab Apoſtolis ſemper retento tam multa piè, prudẽterque *ſcripſerit*. Quid de Latinis Eccleſiæ ſcriptoribus ſentiendum? *Ambroſium*, Pacianum, Hieronymum, Rufinum, Auguſtinum, *dico*; quibus *ſuperſtitibus* Nectarius præfuit? num tantæ rei mutationem in *Eccleſia* Dei *factam* diſsimulaſſent, ac ne vno quidem verbo eius rei mentionem fieri oportere ſtatuiſſent, vt in ea re Nouatianis gratificarentur? Sed nimirum id verum eſt, cæcutiunt homines facillimè, vbi quid ſupra modum appetunt, amiſſo *veritatis* lumine, vt ſæpe ſecum pugnare videas, cum ſemel à *veritatis* ſemita exciderunt, qua pœna ferè omnes vſque in hanc diem *hæreticos* à Deo multatos fuiſſe cognouimus. Sed vt alia pauca examinemus. Quænam aliæ ſectæ ſunt, apud quas Canon ille de presbytero pœnitentiario inſtitutus, ratus, firmuſque manet; ſoli autem, qui Conſubſtantialis fidem tenent, cum Nouatianis, qui cum illis in ea fide conſentiunt, presbyterum pœnitentiarium reiecerunt? Quamquam enim ſectarum nomen indifferens in bonam partem Lucas in Act. c. 26. acceperit; apud Paulum tamen, Gal. 5. & Petrum 2. c. 2. in deteriorem ſemper partem

inue-

inuenimus, vt hodieque passim omnes interpretamur. Quæ hìc igitur aliæ sunt sectæ, quàm eæ, quibuscum Nouatiani non communicant, & Consubstantialis fidem tenent, quę Canonem de presbytero pœnitentiario institutum, ratum, firmumque tenent, atque eo discrimine à Nouatianis separãtur? Si separantur à Nouatianis; aliarum sectarum nomine necessario Catholica Ecclesia censenda erit; non autẽ aliæ quæuis hæreses, si quæ tum forte vigebant, & cum Nouatianis conueniebant. Hìc autẽ quis nõ videat sectarum nomine à fraudulẽto historico catholicæ Ecclesiæ auctoritatem contumeliosè perstringi, eique tam infami vocabulo odium apud omnes, inuidiamque creari? Hæc si diligentiùs considerassent Canus & Billius, non satis (credo) visum illis fuisset ostendere Socratem Nouatianarum partium studiosissimũ, eorum gesta tam effuse passim extollere ac laudare. Ea enim & si corruptum hominis ingenium, animumque declarant, non tamen eo vsque progressum arguunt, vt palam Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem in derisum adduceret: quod hìc facere ausus est conficta etiam fabella; quò in legentium animos furtim facilius penetraret: eaque fraude Nouatianorum de Catholica Ecclesia triumphum, si quo modo fieri posset, in posterum firmum statueret. Sed percurramus reliqua: *Soli*, inquit, *qui Consubstantialis fidem tenent, cum Nouatianis, qui cum illis in ea fide consentiunt, presbyterum pœnitentiarium reiecerunt.* Aut ego hìc parum video; aut Socrates manifestò secum pugnat; Quem enim presbyterũ pœnitentiarium reiecerunt Nouatiani, si ab initio non receperunt? continuo enim subijcit: *Nouatiani verò ne initio quidem istam quasi appendicem admiserunt.* At demus eum minus propriè locutum, dum priuatim singulis vim eius verbi accommodare non potest. Reliqua expendamus: Sequitur enim: *Episcopi verò præsidentes Ecclesijs, quamuis ad longinquum temporis spatium hoc tenerent institutum, tamen temporibus Nectarij Episcopi immutarunt propter huiusmodi facinus, quod forte fortuna in Ecclesia admissum fuit.* Quàm fraudulenter, vt cancer, Veteratoris huius sermo serpat animum, quæso aduertite; Episcopos, ait, qui vsque ad Nectarium Ecclesijs pręsidebant per longum tempus veteris instituti tenaces fuisse, vt eos virtute constantiæ laudare videretur; ne postea quàm veteris eius instituti rationem nullam habendã esse statuerunt, leuitatis & inconstantiæ nomine damnari possent; quasi ita temporum necessitate postulante, aut verius rei

 verita-

veritate clarius intellecta, sententiam prudenter mutarint. Vt demus enim, occasione sceleris in vna Ecclesia commissi, Nectario visum fuisse vetus institutum necessario mutandum, quæ ratio suadere potuit, vt Episcopi orientales omnes vetustissimum ritum in Ecclesia semper retentum vnius Episcopi exemplo penitus abolerent? Quis hìc non videat scriptoris dolosum artificium, vt commentitiæ fabellæ suæ fidem obiter astrueret, hæc omnia quasi scenæ apparatum diligenter explicasse? Expendamus deinceps sequentia:. *Nouatiani verò*, inquit, *ne initio quidem istam quasi appendicem admiserunt*. Initium hoc, in quo velut cardine totius fabulæ occultarum machinarum molimina versātur; quale sit, quo tempore cœptum, quaue de causa, operæ pretiū est diligenter inuestigare. Si enim post Nouatiani schisma, vt Sozomenus prodidit, & retulit Nicephorus ea de causa initium factum est, vt presbyter pœnitentiarius in Ecclesijs constitueretur; consequitur necessario ante Nouatiani schisma nunquam confessionis, ac pęnitentiæ ritum in Ecclesia fuisse. Qua fronte autem audeat Socrates negare, quod Nouatianus ipse dum adhuc in Ecclesia esset, edito ad hoc nominatim libro de Negatoribus vel lapsis recipiendis professus est? Id quod Cyprianus Epistola 2. lib. 4. ad Antonianum his verbis narrauit: *Additum est etiam Nouatiano tunc scribente, & quod scripserat sua voce recitante, & presbytero Moyse tum adhuc confessore, nunc iam martyre subscribente, vt lapsis infirmis, & in exitu constitutis pax daretur. Quæ litteræ per totum mundum missæ sunt*. Et Pacianus asserit ad Sympronianum contra Nouatianos scribens: Epist. 3. *Quem librum*, ait, *& scripsit, & suasit, & legit*; *additque infra*: *Quid*, ait, *Symproniane frater? Nouatianus hæc scripsit, & vt obsequium meræ voluntatis adiungeret, etiam scripta recitauit. Testis est eius dextera, testis quæ scripsit manus, testis lingua, quæ legit: adhuc Cornelius Episcopus non erat*. Quo enim alio prætextu schisma suum colorare studuit, quàm quòd Ecclesia pœnitentes lapsos recipiebat? quid hoc præuaricatore impudentius fingi potest? Erat igitur hoc in Ecclesia institutum vetus, quod quia qui Ecclesiæ præerāt religiosè retinendum censuerunt, Nouatianus doloris impatiēs, quòd ipsi Cornelius prælatus esset, ab Ecclesia desciuit; & contra ea, quæ prius sanus scripserat, palam ausus est lapsis pœnitentibus affirmare Ecclesiam dare pacem & communionem mysteriorum non posse. Non ergo initium post Nouatiani schisma

factum

factum est; mentitur igitur manifeste Socrates. quamquam mãcus in hac narratione parum sibi constante, apparet, Ex Sozomeno tamen ea facilè restituitur, quam supra apposui. Quis ergo hoc impudentissimi hominis mendacium ferat in re tanti momenti describenda? Nicephoro certe condonari potest, qui historiam suam ex alijs collectam contexuit post octingentos quadraginta plus minus à Socrate. Scripsit enim Bonifacio VIII. Pont. Rom. Socrates verò, & Sozomenus circa annum Domini quadrigentesimum quadragesimum. Fuit quidem in Ecclesia catholica pro varia temporum condicione interdum in curandis animorum morbis facilior, mitiorque disciplina, interdum verò seuerior in publicis præsertim grauioribusque delictis: quum passim sæuiente persecutione lapsorum numerus augeretur, atque ad mali eius incrementum sacerdotum facilitas in danda lapsis pace deprehensa est, maiorem in dies causam præbuisse. Qua de re B. Cyprianus maxime questus est. *Libr. 3. Epist.* 14. vsque ad 20. & serm de lapsis. Quum lapsorum multitudo omnem (quod aiunt) lapidem importunissimè moueret: vt pacem ab Ecclesia crudo adhuc tempore, nulla prius peracta legitima pœnitentia impetraret: quod quia Episcoporum vigilantia consequi nõ poterant, ipsi sua sponte cœperunt peccata sua publicè profiteri, vt salubri hoc consilio, humilique confessione aliqua ex parte sacerdotum misericordiam prouocarent. Hæc igitur fuit tunc nõ quasi in theatro instituta peccatorum pronuntiatio, sed voluntaria lapsorum professio. Non debuit ergo appellari odiosum institutum; quod lapsi ipsi nemine imperante, necessarium præsidium prudenter, salubriterque amplexi sunt: quò citiùs faciliùsque ad Ecclesiæ communionem aliquando tandem peracta pœnitentia admitterentur. Hæc pluribus forte, quàm veritatis per se manifestæ ratio postularet, sum prosecutus, quòd rem nouam arduamque aggressus, non existimaui facilè multis persuaderi posse, historiam hanc post annos mille centum sexaginta falsitatis argui, atque adulterinam pronuntiari debere. Sed expendamus tandem lepidissimam prima fronte, sed in recessu fraudulentam, maximeque perniciosam, quam hic commentus est, fabulam. In qua cõminiscenda singularis eius calliditas facilè deprehenditur. Quia enim Nectarius vir nobilis Patricius, Prætorque Constantinopolitanus vitæ quidem innocentissimæ, sed grandæuus adhuc catechumenus, nulla sacrarum litterarum scientia, nulla dicendi

aut scribendi facultate præditus ad eam regendam Ecclesiam, post Gregorium Nazianzenum, & ante Ioannem Chrysostomũ electus fuit; non potuit Socrates aliud tempus eligere ad fabulam concinnandam accommodatius, quàm Nectarij, qui nihil vnquam scripsit. Astutè igitur Socrates eam nouitatem Nectario facilè tribui posse intellexit, quem virum Gregorius Nazianzenus modestè admodum, sed tamen acriter reprehendit, quòd in Ecclesiæ munere strenue obeundo valde deficeret; testis est eius Epistola ad Nectarium ipsum, quæ extat publicè. Non fuit igitur Socrates in tempore, & persona deligẽda ad fabulam suam accomodata parum sagax. Sed iam fabulam ipsam videamus: *Mulier quædam nobilis*, inquit, *ad presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata, quæ post baptismum commiserat, particulatim confitetur; presbyter mulieri mandatum dat, vt ieiunijs, & continuis precibus se dederet, quò vna cum peccatorum confessione opus dignum pœnitentiæ ostenderet. Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpæ se ipsa insimulat; docet diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormisse. Ob quod facinus hoc modo patefactum diaconus ab Ecclesia deiectus est; tumultus inde in populi multitudine excitatus. Nam indignabantur non solùm de admisso flagitio, verum etiam quòd inde grauis infamiæ, & contumeliæ nota Ecclesiæ inusta esset. Itaque quum sacerdotibus ob eam causam esset vehementer obtrectatum, Eudæmon quidam Ecclesiæ presbyter genere Alexandrinus Episcopo Nectario dedit consilium, vt presbyterum pœnitentiarium tolleret: & liberam daret potestatem, vti pro sua quisque conscientia ad mysteria percipienda accederet; nam eo pacto solum futurum esset, vt Ecclesia omni macula careret infamiæ*. Hactenus Socratis verba, quibus extremam fabulæ commentitiæ suæ catastrophen complexus est. Ego cum satis mihi videar immoratus in explicanda totius fabulæ scena; id vnum de fabula dicam, non satis emũctæ naris mihi videri eos, qui cum præmissa diligenter expenderint, nondum tamen odorati planè sint egregiæ fabulæ fraudulentissimum commentum. Vt igitur breuiter ijs quoque satisfaciam; peto confidenter ab omnibus, vt quod est in veteri prouerbio, mecum recogitent: *Mendacem memorem esse oportere*. Vt enim rei vanæ nulla est soliditas, ita difficile quis in re conficta cautè progredi poterit, vt non excidat; cum quò cursum dirigat, certum aliquod fundamentum non habeat: Sozomenus. vbi supra.

Presbyter pœnitentiarius, inquit, *vir grauis, sapiens, & (quod caput*

put est) secreti in primis tenax ab Episcopis eo consilio in Ecclesiis institutus est confessionibus audiendis, ne tanquam in theatro audiente Ecclesiæ multitudine peccata quisque sua pronuntiaret, quod re uera & odiosum erat maxime, & multos (vt verisimile est) propter verecundiam à peccatorum confessione facienda retrahebat. Videamus nunc quantum huic prudenti consilio res ipsa atque exitus fabulæ respondeat: *Mulier nobilis cum semel peccata sua confessa secretò esset, ac pœnitentiæ modum impositum expleuisset: iterum confessa est, cum Diacono Ecclesiæ corpus suum miscuisse.* Quid hìc erat expectandum à presbytero secreti tenacissimo, nisi vt imposita secreta, salutarique pęnitentia suo munere rite perfungeretur? Cur ergo hoc nefarium sacrilegium publicatum est, ita vt populus tumultuaretur? Hoccine pœnitentiarij presbyteri sacrilegium dissimulare Nectarius, aut rem ipsam per se vtilissimam eliminare ab Ecclesia sua debuit? Quis ita desipiat, vt si quid tale ipsi contigisset, tantum nefas committere ausus esset? Rimarum certe plena est commentitia fabula, ita hinc, atque inde fraus effluit, vt ad ipsam coarguendam liberalissimè nobis plurima argumenta suppeditet; quo nomine Socrati partim gratias agimus, quòd neminem imprudentem fefellit; partim malitiosæ fraudis eumdem iure optimo reum facimus, quod enim maximè studuit, si non est assecutus, fraudulentum tamen animum suum celare non potuit. Repetamus nunc iterum Nectarij factum, videamusque, an saltem excusari aliqua ratione possit ab impietate, atque iniquitate. Quod erat ad omnium salutem in Ecclesia sanctissimè institutum substulit, animarumque sibi commissarum periculo, imo verius certo dispendio innocentem populum suum crudelissimè multauit: presbyterum verò pœnitentiarium manifesto sacrilegij crimine maculatum, cuius scelere populi tumultus excitatus, sacerdotum ordinem, Ecclesiæque auctoritatem conuicijs ac maledictis proscindebat, præpostera quadam humanitate abusus satis habuit ab officio pœnitentiarij, quod per se graue, ac laboriosum erat, liberare. Hæccine ouium eius charitas, hæccine contra facinorosos disciplinæ seueritas merebitur appellari? Hiccine poterit Axiomaticus, prudens, vitæque innocentissimæ vir ab omnibus vno ore celebrari? qui in synodo Constantinopolitana prima CL. Episcoporum suffragio Episcopus Constantinopolitanus electus Gregorio Nazianzeno successit. Eam verò nouitatem si in Ecclesia Constantinopolitana contigisset,

Roma-

Romani Pontifices, qui Ecclesiæ catholicæ tunc præerant, tacitam atque inultam esse passi essent? cum minora semper corrigere, atque emendare studuerint? Testes sunt multorum Pontificũ Epistolæ quãplurimæ ad diuersas Ecclesias per vniuersum Christianum orbem missæ. Nectario igitur adscribi poterit tam impium factum, cuius præter Nouatianum Socratem nemo vnquã meminit? Quæ autem ætas clarissimorum Scriptorum, sanctissimorumque Patrum, atque catholicę Ecclesiæ Doctorum copiosius examen profudit, quàm ea ipsa, in qua Nectarius floruit? Damasus Romę, ac deinceps Syricius Episcopatum gessit, Ambrosius Mediolani, Gregorius Nazianzi, Hieronymus presbyter, Ioannes Chrysostomus, qui huic Nectario successit; Augustinus Hipponensis Episcopus Ecclesiæ catholicæ lumen. Poterit ne tot, tantisque viris superstitibus, qui tam multa diligentissimè scripserunt, tantum facinus occultum fuisse? aut silentio præteritum existimari? Quid? Theodosius Imperator catholicus, qui ab Ambrosio ob iniustissimam Thessalonicensium cædem ab ingressu Ecclesiæ repulsus pęnitentiam publicam peregit, atque inter laicos communicare tandem permissus est; cum Constantinopolim reuersus, atque à Nectario intra presbyterium inuitatus est: num hoc tantùm in ea Ecclesia non recte factum reprehendisset, & non potius pœnitentiæ salutaris veterem in Ecclesia ritum semper retentum, atque ab ipso Imperatore religiosissimè obseruatum, à Nectario temerè sublatum exprobasset, restituendumq; omnino statim studuisset? At Eudęmonis id consilium fuit: quàm vereor ne Cacodæmonis potius non consilium Nectario datum, sed Socratis dolus malus Nectarium falsò commentus sit, id fecisse, quod nec factum vmquam, aut cogitatum fuit, nisi à desperatis hæreticis. Quando autem permissum vmquam fuit, vt sine peccatorum cõfessione nulla peracta pœnitentia, sublatoque pœnitentiario presbytero, vnusquisque pro sua conscientia ad participanda sacra mysteria admitteretur? Non ne etiam qui publicè peccassent, potuissent suo iure à sacerdotibus sine vlla pœnitentia communionẽ extorquere? atque ita sacerdotes coacti fuissent contra Christi mandatum porcis & canibus sacramenta proijcere conculcanda? Quid ergo hic Socrates vidit, quod Nouatianis suis patrocinaretur? In eo enim quòd pœnitentiam substulit, vt videatur aliquid illorum hæresim approbasse; certè ex altera parte eorum crudelitatem palam condemnauit; cum ad Ecclesiæ

com-

communionem & pacem passim omnes recipi consueuisse asserunt. Nulla igitur re uera in Ecclesia facta est nouatio, quam Nouatianus Socrates conficta fraudulenter fabula commentus est. Sed videamus tandem qua ratione egregius veterator putauit sibi ad fidem totius fabulæ comparandam firmissimum gradum esse facturum. Obijcit Eudæmoni, quod catholicus quisque iure potuisset obijcere. Factum scilicet ipsius consilio, vt in posterum libera omnibus sit peccandi licentia, Apostolique præceptum Eph. 5. 1. Tim. 5. nemo audeat exequi, vt arguat scilicet publice peccantem. Constare tandem arbitror fraude Socratis factum, vt in quæstiones inexplicabiles tanquam in labyrinthum pars magna Theologorum se coniecerit: quorum quidem studium laudabile, & pietatis plenum non possum non magnopere commendare: sed vicissim non admirari vehementer, vt quod primum præcipuumque erat in ea historia considerandum, stupore quodã affecti, & (vt Apostoli verbo vtar Gal. 3.) fascinati tam oscitanter prætermiserint, commentumque falsissimum pro vera historia confidenter receperint.

Hactenus quæ tenues ingenioli mei, ætatisque effœtæ vires præstare in re difficili, (post ea quæ notarunt viri eruditi Ioannes Hasselius, Marianus Victorius, Alanus Copus, & Iacobus Pamelius in Tertulliani libro de Pœnitentia, quos tamen leuiter percurri) iuuãte Christo potuerunt. Ea nunc libenter communicaui, vt quid tandẽ viri eruditi de tota re maturè prius examinata sentiendum statuant, pro sua quisque virili parte catholicæ Ecclesiæ causa id indicent rogatos se etiam, atque etiam vehementer esse arbitrentur. Cuius ego Ecclesiæ censuræ hasce meas considerationes humiliter subijcio.

Post Nouatiani schisma Nouatique heresim extant Petri Alexandrini Episcopi Canones pœnitentiales. Epistolæ quoque Athanasij ad Rufinianum Basilij ad Amphilochium, Gregorij Nysseni ad Latoium. Quæ omnia habentur cum Theodori Balsamonis Scholijs.

QVAESTIO CONSIDERANDA.

An Chrysostomi similitudo Regis in præfectis, & Christi in discipulis mittendis probanda videatur, qua vsus est libr. 3. de Sacerdotio, & Homil. 85. in capit. Ioan. 20.

ITEM, an ex eà ſimilitudine aſſeri poſſit, eum ſi non plane ſtatuere confeſſionem ſacramentalem, tamen non omnino excludere.

AD hæc videnda quæ ſcripſit in capit. 16. & 18. Matth. homil. 55. & 61. quibus addatur cap. ſi. de Pæniten. Diſt. 1.

POSTREMO qua ratione interpretandus videatur in his locis, quos Petrus Lomb. ſenten. lib. 4. diſt. 17. & vberius Xyſtus Senen. lib. 5. c. 175. Bibl. collegerunt.

Sententia Viri Docti de opinione Presbyteri Pænitentiarij L. Latinio miſſa Ticinio 19. Decemb. 1587.

RECte quidem auctor notat Socratem, qui in narratione de presbytero pœnitentiario ſublato, aſtutè faueat Nouatianæ ſectæ; nam & ritum eiuſmodi vt rem Decij tempore demum inuentam extenuat, atque deprimit; & deinde ita abijcit, quaſi exemplo Nectarij omnes Catholici Epiſcopi eum vbique reiecerint, ſed quòd totam rem is confinxerit, non ſatis cauſæ mihi quidem ad affirmandum eſſe videtur. Seruiuit cauſæ ſibi probatæ, vt fit narrando; ſed mentitum omnino eſſe illum, non audeo dicere. Non eſt enim, vt equidem iudico, cur auctori alioqui graui tam apertum, atque impudens mendacium aſcribamus; imo ſtultum, cum infiniti prope poſſent refellere: ſcribebat enim rem, neque à tempore ſuo remotam, neque obſcuro loco factam, imo in ipſa *Eccleſia* Conſtantinopolitana, & in omnibus orientis *Eccleſijs*. Sed quid de Sozomeno dicemus? quem videmus ingenuè ſanè rem eandem narrare, eamque vt notam, de qua alij alia ſcripſerunt, imo etiam contra Socratem veritatem eorum, quæ ab eo iniquè prolata diximus, affirmare. Qua ratione verò res eiuſmodi tota accipienda, atque interpretanda ſit, alius erit diſputandi locus; nunc pauca hæc ſufficiant, vt aliquid de docti viri opinione dicerem, ab eo iuſſus, cui plurimum obſequi cupio.

Grauis Theologi confutatio opinionis editæ à Latinio de facto Nectarij miſſa Bononia 15. Decemb. 1587. cum obſeruationibus marginalibus eiuſdem Latinij.

QVi veteres hiſtoriæ ſcriptores apprime graues, & diuturno hominum cõſenſu probatos mendacij arguere contendũt, ita firmis, atque adeò validis ad id coniecturis, ac teſtimonijs adduci

adduci debent, vt non temere tam grandem, & periculosam prouinciam suscepisse videantur. Quod an ex omni parte pręstiterit [a] Author libelli de Abrogato pœnitentiario (cuius singularem doctrinam, eruditionem, atque ingenij acumen admiror plurimum), non satis affirmare ausim: Negent, vel affirment id Viri in Sacris historijs diu, diligenterque versati, & qui in rebus Theologicis diiudicandis acri iuditio pollent. Ego quasdam tantùm afferam coniecturas, quæ me aliud sentire cogunt, vt Senatori perillustri, eruditissimoque atque inprimis de me benemerito pro virili mea satisfaciam.

Hoc tamē vnū ante omnia testatum volo, me libelli seriem ac copiam, elegantiam, grauitatem verborum, sententiarumque summopere commendare.

Prima igitur coniectura, quæ me in aduersam partem impellit, hæc est, quòd rem eandem tres eisdem fere verbis, eodemq; ordine [b] grauissimi scriptores enarrant.

Secunda quòd ex illis duo, Socrates nempe, & Sozomenus statim post Nectarij tēpora clarucrint, quo fit, vt in re tanti momenti, quæ in hominum recenti memoria adhuc vigeret, palam mentiri [c] erubuissent.

Tertia quia satis verisilime est, sub tēpora schismatis Nouati fuisse deputatum ex Canonis decreto Pœnitentiarium, qui seorsum, ac secretò confessiones etiam publicorū delictorum audiret, ac pro ijs eluendis solennes [d] pœnitentias suo arbitratu iniungeret: vt videlicet, sublata illa theatrali, atque odiosa [e] confessione, quæ publicorum criminum fieri consueuerat coram multitudine, quam, & sæpius detestatur D. Chrys; latior, ac planior hominibus ad pœnitentiam pateret reditus: Vnde fieret, vt Nouati lapsis prorsus pœnitentiā abnegantis, vires debilitaret.

Quarta quia Socrates vna cum Sozomeno, & Nicephoro illam Pœnitētiarij abrogationem à Nectario factam, vti maximè pernicio-

a *Numquā somniauit auctor libelli de conficta historia illorum.*

b *Grauissimi tunc censendi cum veritate nituntur.*

c *Etiam in pijs scriptoribus multa sunt ita reprobanda.*

d *Cur secreta confessio in publico peccato expiando necessaria; pœnitentia quidem publica præscribi debuit; sed ad quid secreta confessio?*

e *Theatralis, & ideo odiosa confessio à quibus & quando instituta?*

niciosam damnant, quam tamen non damnassent; f si partibus Nouati hac in re aliqua ratione fauisset. g Alias breuitatis studio missas facio.

His, quas pro veritate historiæ attulimus coniecturis non obsunt ea, quæ ex aduerso comminiscit Vir ille eruditus.

Primo dum dicit, se non intelligere de qua Ecclesia loquatur Socrates, cum inquit (per id tempus visum est *Ecclesiæ* &c) Respondeo, h id ex consequentibus fieri adeò manifestũ, & perspicuum, vt nulla prorsus egeat interpretatione, cum enim statim subiungat. Abrogationem, quam fecit Nectarius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus i quam etiam ferè Oriẽtales Episcopi sequuti sunt liquidò constat nomine Ecclesiæ illũ, vel Cõstantinopolitanam, vel vniuersam Orientalem intelligere. Hic autem modus interpretandi ex præcedentibus, & sequentibus verbis eiusdem contextus, quo hìc vtimur, maximè probatur D. Aug. in 2. lib. de Doctr. Christ. c. 17. & in 3. c. 1. D. Hier. in Matth. lib. 2. c. 18. tom. 6. & Vlpiano in l. Si seruus pluriũ § fin. ff. de leg. 1.

Secundo dũ laborat in perquirendo Concilio, quod Canonem illum de Pœnitentiario prouulgarit; aut ego nihil video, aut certè in hac inquisitione multum temporis insumendum non est; Nam si pro quolibet Canone condendo, qui morum, vel perpetuam, vel temporariam reformationem contineat k qualis hic est, de quo modò controuersamur, esset indicendum, & cogendum œcumenicum Concilium, nullus vel annus, vel ferè mensis sine Concilio transigi posset; Potuit id per Bullam, vel Epistolam decretalem Romani Pontificis fieri, quæ in nostra tempora, & notitiam non deuenerit. Cæterum vt Vir alioqui acutissimus scópulo hoc faciliùs eximatur: ab illo petendum est, An vnquàm fuerit in *Ecclesia* Pœnitentiarius; l si neget, in eas angustias adigitur, vt vel palinodiam canere, vel Confessionẽ m vnquam in *Ecclesia* extitisse diffiteri compellatur; trahit enim ipse,

f *Fraudulenter faciunt, non bona fide.*

g *Sublato pœnitentiario sublata erat pœnitentia: quam negabant Nouatiani, Ecclesiam dare posse.*

h *Ante Nectarium Canon ab Ecclesia institutus.*

i *An hæc eadem Ecclesia instituit? diuersa sunt enim.*

k *Coniecturas coniecturis committo.*

l *Pœnitentiarium fuisse quidem, confessionis diuersum asserit.*

m *Quam confessionem intelligis.*

ipſe, vt mihi videtur à Pœnitentiario ad pœnitentiam, ſeu confeſſionem destructiuè neceſſariam conſequentiam, vt mox videbimus : Si verò fateatur : oſtendat Canonem de Pœnitentiario; [n] præſertim ante tempora Nouati, quod ſi minimè fecerit, iam cogetur nobis concedere, potuiſſe Pęnitentiarium deputari ex Canone, cuius promulgatio noſtrorum temporum memoriam effugerit.

Tertiò dum ſic arguitur. Si demum tempore Nouati fuit in Eccleſijs inſtitutus Pęnitentiarius, ergo conſequitur neceſſariò ante Nouati ſchiſma nunquam Confeſſionis, aut Pęnitentiarij ritum in Eccleſia fuiſſe: Si ego planè nõ fallor, committitur Sophiſma, quod conſequentis appellant. Si eſt Homo, eſt animal, [o] ergo ſi non eſt Homo non eſt animal. Si eſt Pęnitentiarius eſt confeſſio, ergo ſi non eſt Pęnitentiarius non eſt confeſſio : Pęnitentiarius enim ad hoc delectus eſt, vt audiret [p] ſecretò certum genus delictorum, nempe publicum, pro quibus ſuo arbitrio ſolemnem pęnitentiam imponeret, vt Niceph. lib. 12. cap. 28. & alij teſtantur. Non tenet ergo deſtructiuè ab hac confeſſionum ſpecie ad vniuerſum genus argumentio, vt Dialectici docent.

A primordijs naſcentis Eccleſiæ mos ex diuina Inſtitutione, inoluit ſecretæ Confeſſionis ſecretorum, & publicæ publicorũ facinorum, quam vocabulo Græco antiqui Patres exhomologeſim [q] appellarunt, Tertull. in lib. de Pęniten. D. Cyprian. epiſtola 2. ad Anton. lib. 4. cuius exhomologeſis egregium exemplum in Fabiola affert D. Hieron. ad Ocean. epiſt. 30. tom. 1.

Cæterum hęc tertia ſecreta publicorum delictorum [r] in aures Pęnitentiarij per id tempus inſtituta eſt, quo Nouati hæreſis pullulauit, explosa illa theatrali exhomologeſi, vt ſcilicet minus erubeſcerent ad pęnitentiam redeuntes.

Quarto veritati hiſtoriæ non officiunt quicquam illa verba, qui fidem Conſubſtantialis tenent, ſiquidem per ea indicantur Catholici Orientis Epiſcopi, qui Filium Patri ὁμοούσιον in Synodo Nicæna aduerſus Arrium pronunciarunt, quique propterea ſpecia-

n *Socrates, & Sozomenus aſſerunt Pænitentiarium in Romana Eccleſia ſemper fuiſſe.*

o *Argumentaris fruſtra.*

p *Si publica erant delicta, cur ſecretò audienda?*

q *Confunduntur multa, & temere aſſeruntur ignota.*

r *Operæ pretium erat probare hoc, quod ſecurus affirmas.*

ſpeciali quodam Iure ſibi eum titulum vindicarunt. Nec inde conſequitur, ergo aliæ ſectæ, ideſt Occidentalis Eccleſiæ non tenent fidem Conſubſtantialis, ſ quia hoc ſequeretur, ſi ea verba vim contradiſtinguendi haberent; quod negamus; Habent enim vim dumtaxat indicandi per ſpecialem quandam nomenclaturam Orthodoxos Orientis Epiſcopos, qui poſt Arrium expugnatum ita paſſim appellabantur.

Quinto quod Theodoretus, & Cedrenus, & alij eorum temporum hiſtoriographi celebres eius abrogationis nullam prorſus mentionem fecerint: eſt, vt ego opinor, argumentum non ſatis validum ad hiſtoriæ falſitatem conuincendam. Quandoquidem nemo eſt, qui probet id genus argumentationis, t quod ab authoritate negatiuè deducitur, etiam ſi authoritas ex Sacris libris hauriatur, vt apud Theologos, & Dialecticos eſt compertiſſimum.

Sexto deliquit Nectarius in abrogando Pœnitentiario, deliquit Pœnitentiarius in prodendo crimine mulieris & Diaconi, ergo falſa eſt hiſtoria; u Non eſt, mea ſententia, admodum firma collectio. Deliquit Moyſes, deliquit Dauid, deliquit Petrus, ergo falſum eſt vetus, & nouum Teſtamentum? tantum id à vero abeſſe videtur, vt potius oppoſitum inde ſumendum ſit, nempe, vt ex eo maximè veram narrationem hiſtoricam continere arbitremur, quod crimina eorum Virorum, quos alioqui ſummopere probat, liberè, ac ſincerè prodat, vt annotauit ſæpiùs D. Aug. in ijs libris, quos contra Fauſtum conſcripſit, & præſertim lib. 22.

Septimo De Homilijs D. Chryſoſt. ego id ſentio, quod Sententiarij omnes in 4. Diſt. 17. quòd ille tantùm damnet Confeſſionem publicam, vel quæ fit homini non habenti ad id ordinariam, vel demandatam iuriſdictionem, ſi præſertim reuelationis ſuſpicio adſit; non autem improbet ſecretam, quæ Sacerdoti

ſ *Immo conſequitur neceſſariò tacitè cum occidentalis Eccleſia, quæ fidem Conſubſtantialis tenebat, Pœnitentiarium non abrogauit, quod erat Nouatianis propoſitum oſtendere, ſe rectiùs in ea re ſentire quàm Romanam* Eccleſiam.

t *In rebus minimi momenti verum eſt, in his autem maximi non erat diſſimulandum. Et alioqui argumentum hoc tã multis alijs firmatur, vt validiſsimum ſit.*

u *Argumentatur fruſtra.*

cerdoti x ad id muneris delecto seorsum in maximam animarũ vtilitatem fit quotidie. Hãcque interpretationem suadent quãplurima alia eiusdem Sanctissimi, ac eloquentissimi Viri testimonia, quæ hic breuitatis causa prætermitto. Si quis tamen auderet asserere D. Chrysost. eius aliquãdo fuisse sententiæ, vt arbitraretur minimè necessariam esse Confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, vt videtur innuere Homil. 28. in 1. Corint. cap. 11. non propterea ei hæresis notam inuereret; Nam eandẽ opinionẽ sequuti sunt. Panor. in c. de Homine extr. de Celebr. Missar. Ricard. in 4. Sent. Dist. 9. art. 3. q. 6. Adrian. in 4. de Confess. q. 3. Caiet. in Summ. in verb. Communio, & alibi sæpe, qui tamen omnes ab hoc crimine fuerant immunes; nondum enim Concil. Trident. contrarium diffinierat iuxta Theoriam D. Tho. communiter receptam in 1. part. q. 32. art. 4.

Postremo animaduertendum est, quòd solemnis pœnitentia y quam tantùm abrogauit Nectarius (ita enim factum Nectarij interpretatur Pamelius post Ioan. Hassel. in Tertullian. in lib. de pœnit. & ibidem Laurent. z Renathus, & Spingeus cent. 7. Apophtegm. & Genebrard. in Chronolog.) non post multum tẽporis omninò sustulit Leo Roman. Pontif. epist. 80. ex quo tempore nunquam in vsu Ecclesiæ fuit huiusmodi Pœnitentia solemnis, vt etiam testantur Sentent. in 4. Dist. 14. & alij passim, vt operæ prætium minimè videatur tantopere de hac abrogatione altercari.

Optimus Senator pro ea singulari humanitate, qua semper in me vsus est, hæc qualiacunque æqui, bonique faciat: non sunt enim hominis Theologi, sed qui ex vasto Iurisprudentiæ pelago vix dùm ad placidas Theologiæ oras appulerit.

CONSAL-

x *Legat, & ponderet Chrysostomi prius omnia, & cum rubore certo scio hominem argutum, & doctum palinodiam cantaturum.*

y *Ecce autem alterum peius prioribus.*

z *Si nemo difficultatis profunditatem hactenus intellexit quid oportuit hic Theologorum examen induci. Omnium vna est sententia; id est longe à veritate aliena nixa historiæ confictæ falsa auctoritate.*

CONSALVVS PONCIVS DE LEON
L. Latinio S. D.

De Origine Gnosticorum.

A GNosticorum hæresis quem habuerit auctorem demonstrare non ita obuium est. D. Hieronymus quosdam Basilidi eam tribuere, quosdam Valentino refert. Epiphanius, Philastrius, & Augustinus ad Nicolaum Diaconum referunt. Eusebius citat Irenæum, qui Carpocratem Alexandrinum illius parentem, & procreatorem fuisse scribit. Ego Irenæi locum, quem haberi lib. 1. cap. 24. satis constat, multo aliter in-
B terpretor, nempe Carpocratianos Gnosticorum nomen vsurpasse, quod tamen iam tunc in Orbe notum erat, antiquo videlicet hæreticorum more, qui non solum praua dogmata, verum & nomina ipsa maximè cum speciosa sunt, ab alijs sectarijs mutuari solent. Non aliter & ij, qui à Prodico prodierunt id ipsum Gnosticorum nomen sibi vsurparunt, vt auctor est Clemens noster lib. 3. Stromat. pag. 91. Florentinæ editionis, cum tamen illi huius hæreseos auctores minimè
C habendi sint, & si contrarium doceat Theodoretus ob malè intellectam Clementis sentẽtiam in Fabul. hæret. cap. de Prodico. Cainæi etiam, aduersus quos sub Gnosticorum nomine disputauit Tertullianus, eadem appellatione gloriabantur. Ego quidem vehementer miror quomodo ab Irenæo ipso Eusebius, ac ceteri Scriptores sectæ huius originem non petierint, qui libr. 3. cap. 3. apertis verbis testatur à Menandro Si-
D monis discipulo incepisse, qui Meander antiquior fuit Basilide, Valentino, & Carpocrate, ferèque Simoni, & Nicolao coæuus. Quis autem Scriptor ex ijs, quos nobis non inuidit vetustas, fide dignior Irenæo? qui certe parum abfuit ab eo sæculo, doctrina præstantissimus fuit, & in hoc argumento ex professo versatus est. His adducor, Doctissime Latine, vt existimem Gnosticorum nomen fuisse Basilidianis, Valentinianis, Carpocratianis, Cainæis, Prodicianis commune, quod ex Tertulliani Scorpiaco, vbi sub eodem Gnosticorum nomine horũ omnium errores confutantur, apertè colligitur, nec obscurè ex Irenæo lib. 2. cap. 56. Patrem verò hæreseos, & auctorem, quem dixi Menandrum Samaritanum. Multo itaque ante Cle-

mentis

mentis tempora malè audiebat Gnosticorum nomẽ, vt vides; in eo autem loco, quem indicasti in Pædagogo, manifestè eosdem sugillat elegãtissimus, & acutissimus Scriptor, quod apertius disco ex lib. 2. Strom. pag. 78. vbi agẽs de Christianis Martyribus, eos vocat Gnosticos exprobans sine dubio illud nomen ijs, qui impudenter illud sibi vsurpabant, cum non solum mortem pro Christo obire recusarent; sed etiam damnarent, vt auctor est idem Tertullianus eodem, quem citaui, libro, cuius hoc vnum est argumentum; imo nec martyres dici poterant Gnostici, cum extra Ecclesiam essent. Fuit enim hoc in eo sœculo non postremum inter Catholicos, & illos disputationum caput; vtra videlicet earum pars, & factio martyres haberet, sicuti postmodum inter nos, & Donatistas vbi esset Ecclesia Catholica. Consulendus est Irenæus lib. 4. cap. 64. De nomine illud occurrit; ortum habuisse eo tempore omnes ferè impiorum hominum sectas ab æthnica, & prophana philosophia, vt ex auctoribus à Iustino ad Gregorium nostrum facilè colligitur. Non enim insciтè Tertullianus philosophos appellauit hæreticorum patriarchas. Gnosticos itaque inter Stoicos forsan connumerabimus, nam Zeno opiniones à philosophia sustulit, sicut scientiam Socrates, vt ex nostris referunt Lactantius, & Augustinus. Hic desino; tuum erit, præstantissime Latine, de his & si leuibus sedulò admonere. Vale, ex Bibliotheca x. Calen. Ianuar. 1587.

LATINI LATINII
Notationes marginales ad Consaluum.

De origine Gnosticorum.

A GNosticorum, & perfectorum nomine sine vlla hæreseos nota fuisse multos, qui se efferrent, & venditarent, notauit Clemens Pædagog. lib. 1. cap. 6. in fine.

B Probat hoc manifestè Epiphanius initio hær. 27. in Carpocrate; quamquam autem omnes, qui à Simone ad Carpocratem falsæ scientiæ nomine inflati Gnosticos se appellare cæperint, sectam suam quisque proprio nomine suo maluerunt Orbi notam esse, quod Carpocrates forte non fecerat; sed Gnosticorum superbum, ac speciosum vocabulum vsurpa-

 uit,

uit, atque id ipsum sectatores retinuerunt.

C Non ex malè intellecto Clementis scripto loco citato; sed ex Theodoreti verbis à nobis nimis festinanter, parumque perpensis errorem natum existimo.

D Lib.2.cap.21. Successorem appellauit.

Egò quòd me tam amanter, modestèque docuisti gratias tibi agam æquum est, & sententiam tuam ex tempore mihi indicatam & probem, & amplectar.

L. LATINIVS CONSALVO PONCIO S. D.

Laudat eius modestiam, ac eruditionem, gratiasque agit pro munere

FEcisti humanissime Consalue, quod nostri sœculi paucissimi facere soliti sunt. Docuisti me liberaliter, & tamen quasi discendum aliquid ex me cuperes ita in eleganti epistola tua moderatus es omnia, vt nihil tibi rem ipsam doctè subtiliterque explicanti tribuendum esse profitereris. Quis hìc non verè admiretur ingenium, non singularem modestiam tuam cum non mediocri eruditione coniunctam? De dulcissimo autem munere quid dicam? quod pro animi tui magnitudine indignum putasti, vt epistolæ tuæ vel vnico verbo ornaretur, aut saltem indicaretur. Declarasti vir prudens, quanto pluris animi bona, eruditio scilicet, quàm corporis voluptas, & ipsa quoque salus meritò facienda esset. Quare cum vtriusque muneris nomine magnas tibi gratias ago, tum rogo te etiam, atque etiam vehementer, ne supra quam tenues ingenij mei, eruditionisque vires progredi potuerunt, vel nosse me tibi persuadeas, vel alijs de me prædicare honestum esse arbitreris. Facile erit enim vtrisque intelligere vel paucorum dierum consuetudine quàm ego longe absim ab eo, vt eruditionis alicuius nomine censeri debeam, quamque exiguè non vulgaris de me conceptæ opinionis expectationi respondere valeam. Sed quid ego frustra pluribus te moror? dies ipsa breui, vt spero declarabit, quantum eorum de me iudicium, qui me prius diligere, quàm nosse cœperunt, aberrarit à vero. Vale è cubili vi. Calēd. Ianuarij 1587.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTTO S.D.

Mittit aliquos versiculos, iocaturque occasione olearum.

MItto ad te nouos versiculos rudiores prioribus; non id amici officium esse putasti errores iuniorum, quod multi faciunt, ridere; sed admonere. Omnes enim labimur, & aliorũ ope, & consilio corrigendi sumus. Multa videns vitiosa meis in versibus esse, dum legeret Gigas omnia restituit, quæ si ad te perferenda curauit, emenda rogo errores meos. Cum oleis tuis iam puto quadriennium in gratiam venire non possum. Patere suauissime Camille, vt modestè causam dentium meorum agam. Accepi ego abs te pro tua erga me liberalitate iam pridẽ oleas grandiores, succique, & carnis pleniores, & teneriores. Sed satis lusi. Mercurialem meo nomine, & Costæum si salutabis, feceris mihi gratissimum. Vale de strato xviij Calendas Februarij 1588.

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S.D.

Excusat suam in scribendo pigritiam, iocaturque cum amico iam sene, denique Mercurialis eruditionem laudat.

AMicorum litteris valde equidem delector; tuis verò nihil potest esse iucundius. Sunt enim huiusmodi, vt à libero homine, ac pererudito, meique amantissimo scripta videantur. Ad respondendum verò cum soleam esse inueterata quadam mea consuetudine omnium pigerrimus, tum maximè illud mihi in tuis litteris accidit. Cum enim vt illis satisfaciam me paro, verba nequaquam reperire possum, quæ cum tuarum candore possint comparari, pudetque mei, ac ne insulsus, ineptusque omnino tibi videar, facilè supersedeo, ac silentium mihi indico; tempus interea labitur. Quare quòd rariores à me accipias litteras, quàm mittas, causam vides; quæ si à te probata fuerit non tam me negligentiæ nomine accusare, quàm præclarum meum de te iudicium commendare debebis. Omnia autem in eis litteris contenta mihi fuerunt gratissima tum soluta, tum numeris astricta oratione vel Latinè, vel Italicè scripta, quando vtraq; lingua plurimum vales, quarum argumenta cum ad tuam opinionem de re ardua confirmandam pertineant, deque eiusmodi

quæstione minimè sim ad iudicandum idoneus, potiori equidem, sententiæ vtra fuerit, facilè acquiescam. Oleas risi iam quadriēnio ante tibi visas teneriores; at vereor ne tibi idem accidat, quod in ceteris plerumque viris soleo multis in rebus animaduertere, & quæ tua culpa est, in aliorum transferas. Senectus enim permulta incommoda, & ea quidem nobis noxia affert, cū dentibus autem perpetuum gerit bellum, semperque victrix de ijsdem deturbatis, concussis, ac malè affectis triumphat. Tu in illius regno, ac potestate iamdudum deuinctum teneri haud agnoscis, neque quod illa sensim machinatur sentis, ac tibi nimium faues, oleasque mauis accusare, quam damna ab illa iam illata, & quæ in dies magis augentur, fateri. Sed satis sumus iocati. In Gigante mirum sanè silentium. Cum Mercuriali frequens est mihi consuetudo. Quid quæris? Conuiuia, quæ antea auersari solebam, nunc me magnopere delectant; quoniam per ea commodè illius congressu mihi frui licet. O quanta hominis eruditio, quàm suauissimi mores. De te autem sermo non parcus. Nosti hominem, neque ignoras quàm tui similes ex animo colat. Quare nihil mihi facilius fuit, quàm à te salutem (quod in tuis litteris mihi iussisti) ei dicere, cuius etiam nomine eandem tibi renūtio, terque maiorem. Cura vt valeas. Scripta hæc fuit Epistola in eadem villula, quæ oleas quondam teneriores ferre solebat. Pridie Calend. Februar. 1588.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTO S. D.

Sales in iocando approbat, gratulaturque ei frequentem cum Mercuriali congressum.

VT ego, si non libenter, vt cunque tamen patior ab amicis tui similibus eius generis laudibus onerari, à quibus longissimè abfuisse me semper in viridiori quoque ætate verè agnoui, ita contra suauissimam vrbanitatem mirificè amaui, eiusque gratiosa venustate in dies magis sum delectatus. Non agam autem tecum astutè. Vt enim ad cuiusuis argumenti genus in scribendo eleganter, & copiosè paratissimum te quandoque redderes, ita te exercuisti in omnibus, vt facilè in quouis genere excellas. Si quid autem adhuc intentatum fuerat, summo studio perquirendum, atque excolendum cures. Hinc fit Palæotte non

vt pi-

vt pigrior in ſcribendo; ſed vt paratior ad noua quædam argumenta tractanda, quæ ſingularis ingenij tui vis quotidie cũ ſummo lepore coniuncta excogitat, amicorum animos incredibili voluptate afficias. Quare & ſi non audeo affirmare, te mecum frequenter aſtutè agere; proximis tamen litteris tuis, & copiæ, & elegantiæ, addo etiam & ſalis iucundiſſimi condimento, atq; ornamento refertis, ita ſum excitatus, vt infantiam, & ieiunitatem meam mihi ob oculos poſitam facilè intellexerim. Sed quid agis interim dum ſenectutis tyrannidem mihi obijcis non ſatis mihi cognitam? nonne & oleæ tuæ ſub eius poteſtatem cadunt? Obſeruaſti vmquam Senator, & agricola præſtantiſſime, quantũ diſcrimen in fructu ferendo ſit ſeneſcentium, & adoleſcentium plantarum, quanta luxuries præciſis vetuſtis ramis olearum in nouellis appareat non foliorum tantùm, ſed fructus quoque ampliore corpore, ſuccique pleniore? Quid igitur dentium meorũ tantum ſenectus imbecillitatem parit, atque in dies ſenſim auget; plantarum verò non item? Iocatus es lepidiſſimè quidem; ſed quod affirmare neceſſe eſt auſim, opes ingenij, eruditionis, & eloquẽtię tuę ita vnis litteris teſtatas eſſe voluiſti, vt excuſationis cauſas poſt hac omnes in ſcribendo ſemel præcideres. De Mercurialis frequenti congreſſu, quo frueris, dum ſæpe illum conuiuã tibi adhibes, non poſſum tibi non vehementer gratulari, vtinam & ego vmbræ loco adeſſe poſſem. Salutabis hominem meo nomine libenter. Gigantem rariſſimè video nunc maximè, quum Frater tuus Cardinalis ad maiora negotia delectus ad patroni mei ædes non ventitat amplius. Decumbo non æger prorſus; ſed tam affecta, imbecillique valetudine, vt cæli frigus Romæ ferre non poſſim. Quid ſi Bononiæ eſſem? Sed longius ſum progreſſus, quàm ſtatueram. Vale Roma xvj Calendas Martias. 1588.

E I D E M.

Propria carmina modeſtè contemnit.

CVrauit Gigas noſter, vt opinor, triduo ante ad te perferendos aliquot incomptos verſiculos meos, quos verius abortum effudiſſe, quàm partum edidiſſe iure poteris exiſtimare. Otioſæ, moleſtæque ſolitudinis opus agnoſces. In ijs tertij verſus initium cupio corrigi, vt ſit Aeger, ſenexque; nam inermis

non

non ſum; ſed penè omnibus dentibus armatus. Quod reliquum eſt ſiue te delitiæ tuæ Arientina villa detinet, ſiue Mercurialis ſuauiſsima conſuetudo, per hoſce paucos hilariores dies à publicis negotijs paulisper liber, animum iucundis ſtudijs recreare contende, & verſiculos meos ſtrigoſiores forte, quàm oleæ tuæ ſunt, guſtare ne graueris. Vale Roma x Calen. Martias 1588.

GVLIELMVS LINDANVS Epiſcopus Ruremundenſis. Doctiſsimo Viro L. Latinio S. D.

Eius quæſtionem de Nectarij hiſtoria ſe legiſſe fatetur, quæ accuratiorem meretur conſiderationem.

Mirari deſines, vir doctiſsime, noſtrum adeo longum ſilentium tuas ad litteras vna cum tua diſputatione de Nectarij facto transmiſſas, vbi cauſam eius cognoris; Inciderunt enim in nos peregrè agentes, libriſque deſtitutos, & immenſis plurimorum nouæ Eccleſiæ Gandenſis perturbatiſsimæ negotiorum vndis tantùm non adobrutos, quòd totos annos decem tam horrendis iactata hæreticorum illic atrociſsimè graſſantium tempeſtatibus ſuo caruiſſet gubernatore. Magna quidem voluptate tuũ libellum perlegimus, admirati improbam illam, ne dicam ſceleratam Socratis hiſtorici fraudem nulli hactenus, quod equidẽ meminerim, obſeruatam. Domum igitur reuerſus tuum libellum, vt aſpexi, vidi non huius eſſe otij noſtram de eo cenſuram perſcribere quòd accuratiorem mereatur illorum temporum conſiderationem, potiſsimum cum ipſe tam diligenter in hiſtorijs Eccleſiaſticis verſatus profitearis ab eruditis viris te candidum de tota re maturè prius examinata expectare iudicium. Hanc in rem ſedulò in tui gratiam incumbemus perlibenter, vbi trãquillum redditum fuerit ſacris noſtris ſtudijs ocium; quod nunc ſedula curãdi huius afflictiſſimi gregis ſollicitudo negat. Poſt Paſcha fortaſsis agetur opportunius. Interea valebis diu incolumis, & nos tui ex animo amantiſsimos redamare digneris, doctiſsimiſque tuis litteris ſtudiorum tuorum ſubinde facere certiores, quibus rem Eccleſiaſticam haud vulgariter queas illuſtrare, quorũ & hìc, & poſt tetricum illud exilium habebitur à pijs, doctiſque ratio. Ruremundæ 20. Martij 1588.

L. LATINIVS GVLIELMO LINDANO Episcopo S. D.

Gandensis Ecclesiæ perturbationes deplorat, eique aliquas compositiones mittit.

NOn quòd ad litteras meas serò responderis, vir eruditissime, sed quòd pro tua humanitate; singularique erga me beneuolentia respondendum omnino aliquando duxeris, id ego meritò maximè mirandum esse existimaui. Cum enim semper grauissimis occupationibus impeditus pro Catholica religione tuenda in suscepta nuper Gandensis Ecclesiæ curatione, ne minimum quidem temporis momentum ab ea vacuum tibi esse patiaris, qua fronte ego abs te hoc præsertim tempore litteras expectare ausus essem, nisi prius compositis Ecclesię tuæ rebus, quam tam diu pastore destitutam longa, atque difficili curatione indigere quiuis sanus facilè intelligit, qui modò ad collapsam popularem disciplinam restituendam, & confirmandam conatus suos omnes, cogitationesque bona fide aliquando contulisset. Quare scito me tibi non mediocres gratias agere: quòd me tanti faciendum putares, vt in tanta negotiorum mole non modò mei memineris; sed suauissimis quoque litteris tuis ornatum me honestissimè esse volueris. Ego, quod ingenuè fatear necesse est, cum semper, dum ætas, & valetudo tulit, imbecillitatem ingenij mei planè nossem, & vix primis, quod aiunt, labris litteras, ac disciplinas attigissem, numquam commisi, vt de rebus grauioribus aliquid scriberem. Dedi certè operam sedulò, si quid vnquam in bonis Scriptoribus Latinis tā sacris, quàm prophanis legendis animum meum offenderet, vel codicum scriptorum fide, vel si id mihi negatum esset (quod sæpe numero factum sanè vehementer dolui) coniecturis in iis restituendis religiosè vterer. Quod in Tertulliano quàm feliciter à me præstitum sit eruditorum iudicium appello. Opinionis autem meæ de Socratis historia in Nectarij facto prodendo, quanta sit firmitas censenda cum à te, idest à summa tua eruditione, pietate, fide, iudicioq; abiero, ad quem prouocem planè non video neminem. Quare cum erit otium de tota re quid sentias cupidissimè expecto. Interim quia Patauio, & Bononia Theologorum aliquot censuram ad me missam perlegi, visum est ad te, quid ad eam responden-

dum

dum ſtatuerim, mittere, vt cognoſcas non temere omnia omnibus committenda, & quæ ſunt hominum errata, cum leuiter, modeſtèque prodideris, non acerbè inſectari; ſed quaſi ludendi vrbanitate in ipſorum memoriam reuocare. Mitto igitur rudes verſiculos meos, quibus breuem horulam animum poſt cœnam relaxandi gratia, ponas. Curaui item ad te perferenda quæ mihi conſideranda viſa ſunt in quæſtione quibus verbis Chriſtus Dominus noſter Sacramentũ Corporis, & Sanguinis in vltima Cœna confecerit. In ea quæſtionis conſideratione nihil mihi omnino ſumpſi: collegi tantùm bona fide quæ vel ego, vel alij ante me notarunt. Videbis ſedulitatem, & ſtudium meum cum religioſa pietate coniunctum, quod vni tibi, ſi non indignum videbitur, quod in eo argumento tractando legi ab eruditis debeat, probatum iri magnopere cupio. Gerardus Voſſius tui ſtudioſiſſimus, qui mihi litteras tuas quinto Calendas reddidit, hæc ad te perferenda curabit. Vale memor Latini tui. Romæ pridie Nonas Iunij 1588.

M. ANTONIVS MARSILIVS Archiepiſcopus Salernitanus L. Latinio S.D.

Laudat Camilli Columnæ adoleſcentis progreſſus in ſtudijs, redditque rationem cur in ſua Hidrogialogia prætermiſerit multa de aquis mirandis.

Ex eo ſanè exemplo, quod ad me miſiſti, epiſtolæ Græcæ, quam ad te ſuperioribus diebus dederat Camillus Columna noſter, mirè ſum recreatus, quando, vt tu amanter, prudenterque animaduertis ex progreſſibus, quos adoleſcens hic ſummæ ſpei, ac ad regnum natus in dies facit, coniectari cuique facilè liceat conceptam iam pridem opinionem ab eo ne dum æquãdam, ſed longè ſuperandam fore, ac ipſum ad inſignem gloriæ gradum, quem illi omnes optamus, ſola virtute ſua omnino peruenturum. Non eſt, vt puto, quod mireris me in Hydragialogia mea de aqua in vinũ conuerſa in nuptijs Canæ Galilææ mentionem non feciſſe. Nam dubium ſanè eſt. An miraculum hoc ad aquæ, vel vini potius gloriam pertineat cum deficiente vino Saluator noſter ex aqua vinum fecerit. Præterea non pendet illud ab ipſius aquę virtute, vt inter alia, quæ ego conſcripſi

mira

mira referendum esset, quæ ad id tantum tendunt, vt manifestum faciant quanta illi virtus à Deo tribuatur, vbi primum statis Ecclesiæ precibus benedicta fuerit, illius alioquin non mutata substantia; sed ab ipsius Saluatoris nostri potentia diuina illa conuersio facta fuit ex ipsa quidem aqua, cum ex alijs quoque mixtis absque eorũ vlla dignitate fieri potuisset. Erat deinde hoc à Christo patratum miraculum tam notum cunctis, vt superuacua illius relatio ferè videretur, licereque existimaui multa typis omittere, quæ ante collegeram circa aquas, ne viderer illarum prope diluuio lectorem obruere contẽdisse. Ideoq; tacui quæ de insulis super aquas natantibus, quæque de fontibus instar maris fluxum, ac refluxum patientibus referuntur. Et quod vbi Martyrum capita cecidere, illic sæpe miræ suauitatis fontes repente subortæ sunt, & Aegypti flumina in sanguinem conuersa, ac etiam illud quòd recenses insigne quidem, scilicet Muciano ter. Cos. credente, in Andro insula Nonis Ianuarij fontem semper vini sapore fluxisse. Sed tantum ea, quæ magis ad institutam tractationem pertinebant, in medium attuli. Ad summum quod in me fuit, præstiti. Qui me longe eruditiores sunt exornare, ac illustrare magis rem poterunt. Tu operam nostram, qualiscunque sit æqui, bonique consule, ac me tui studiosissimum, & amantissimum, vt facis, ama. Ex ædibus Nonis Aug. 1588.

CAMILLVS PALAEOTTVS L. LATINIO S. D.

Eius Epistolas exoptat. Ambulationes circa Arnum, & Mazonij doctrinam prædicat. Duos Cardinales Columnios laudat.

DE te, valetudineque tua aliquid scire aueo; nam postquam istinc disceßi, teque in lectulo decumbentem reliqui; à febricula tamen, vt mihi dixisti, liberatum, nihil postea audiui. Quare si me amas, cura obsecro, vt aliquid ad me de statu tuo perferatur; neque tamen propterea tibi illud oneris impono, vt mihi per tuas litteras significes. Noui enim quàm sit aduersa cõualescentibus scribendi defatigatio. Habes tuum nepotem, non desunt alij: huic ipsi denique, qui tibi has reddet absque tua molestia poteris, si libebit, facilè mandare quæ voles. Ego cum lutulentissimas offendissem vias, pluuiæque assiduæ, venti item, atque niues iter maximè impeditum, ac molestum redderent,

hùc diuertendum esse duxi, ac tempus magis idoneum ad traijciendum Apenini iugum præstolari; quo in loco cetera quidem satis commodè, multum verò me recreant peramœnæ circa Arnum flumen ambulatiunculæ, nec non elegantium virorum, quorum sanè hìc maior, quàm antea putaram, adest copia, collocuti ones; inprimis autem Mazonij, quo potissimum vtor familiarissimè, tantaque in eo est ingenij, doctrinæ, atque admirabilis memoriæ vis, vt cum eum audio, bibliothecam loquentem audire videar; humanitate præterea, ac beneuolentia erga me ceteros omnes longè superat. Hìc autem permanere statui, donec niues, si non penitùs liquefactas, at saltem diminutas, frigusque mihi, ac senibus, quod tu non ignoras, admodum noxium, zephiris mitigatum esse intellexero. Tum Bononiam pergam. Tu interim valetudinem tuam diligenter cura, Columnijsque Cardinalibus Illustrissimis à me salutem dicas velim, quorum sane alterum ob singularem eius humanitatem, præclaraque erga me merita permultos annos verè, atque ex animo colui, neque vnquam colere desinam. Alterum verò antea virtutum suarum fama tantummodo mihi notum, cum sæpius deinde istic dum essem, eumdem adire, disertissimosque, atque suauissimos eius sermones degustare mihi contigerit, adeo eius affabilitate, lepore, atque doctrina me affici sensi, vt in eorum numerum, qui tanto viro sint addictissimi, adscribi summopere cupiam. Quare vt vtriusque gratiam mihi diligentissimè tuearis etiam, atque etiam abs te peto. Cura vt valeas. Pisis xiv. Calendas Februarias 1590.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTO S. D.

Hyemale frigus exagerat, gratulaturque ei Pisanam amœnitatem, & Mazonij eruditionem.

VEra narras Palæote, remiserat quidem febris, catharrus item, & tussis quieuerant; sed quæ post profectionem tuam consecuta sunt tempora ita imbecillitatem meam prostrarunt non sine iterata catharri molestia, vt nondum audeam stratum relinquere. Frigoris enim vim cauere vix decumbens valeo, quamuis multis vestibus opprimar potiùs quàm calescam. Quare prudentiam tuam maximè laudaui, ex quo primum die Pisas

te di-

te diuertisse cognoui. Gratulor autem propterea tibi plurimum, quòd cum cæli benignitate Vrbis, Arnique amœnitate frueris, etiam Mazonij singularem erga te voluntatem cum summa eruditione, admirabilique memoria coniunctam tibi familiariter conciliaris. Sed quis tam agrestis vsquam reperiatur, qui non te morum tuorum suauitate captus in oculis ferat? quis doctrinam, & eloquentiam non admiretur? Testantur hanc Columnij vtrique Cardinales, quorum vterque in te amando, ac plurimi faciendo mutuis voluntatis officijs certat; ac si qua se obtulerit occasio, re ipsa perficiet, vt omnes intelligant quantum te meritò diligunt. Ego vt sedulò mandata tua expedirem, perlatas ad me litteras tuas vtrisque perlegendas curaui. Ijdem per me multam salutem tibi conscribi mandarunt, quod ego & libenter meo, & Consalui Poncij nomine quoque facio. Vale, & me ama. De cubili Calendis Februarij 1590.

L. LATINIVS CONSALVO PONCIO S.D.

Suam coniecturam de anno vertente, ac de conuersione totius cæli explicat.

HVi quantam fenestram, suauissime Ponci, ad secreta naturæ misteria vestiganda patefecisti, non eo tu quidem consilio (quod certo affirmare posse videor) vt eò perducerer, quò me progressum facile statim intelliges: factum est tamen aliud te agente, vt vertentis anni vocabulo, quo in Theophanis à te Latini nuper facti præfatione vsus es, præter omnem spem meã, in longa, molestaque noctis vigilia Ciceronis locum, quem memoria tenebam de somnio Scipionis repeterem, meditarerque diligentius, qua nam physica ratione prisci sapientes multis ante nos sæculis deprehenderint perfectam cœli totius conuersionem annorum quindecim millium omnino, idest nec maiore, nec minore curriculo perfici posse. In ea autem meditatione cum nihil occurreret ex Censorino, & Macrobio, quos iam pridem euolueram, itemque ex recentioribus Ludouico Viues, Gyraldo, Petro Ramo, Oliuario, & Vossio; quod ad rei huius explicationem faceret, me conuerti ad sacros Scriptores nostros, qui de temporum ratione multa prodiderunt. Primum igitur cyclum Paschalem Dionysij diligentiùs considerandum mihi pro-

 posui,

posui, quem cum ex lunæ, solisque certa quadam obseruata periodo constare Astronomi omnes consentiant; ex multiplicatis enim vtriusque idest lunæ, solisque periodis Dionysij cyclus perficitur, quo temporis interuallo errantium siderum integra conuersione peracta ad idem initium, à quo paulatim recesserant, astra ipsa omnino reuertuntur. In nocturnis tenebris, ijsque densissimis; non desperaui tamen diuino inuocato præsidio posse me supra inerrantium stellarum conuersionem (quæ quingentesimo trigesimosecundo quoque anno, vt constat absoluitur) ad totius cœli, quod ἀπλανὲς vocant, perfectam conconuersionem tandem peruenire. Si enim ea physica ratione, idest certa quindecim millium annorum cursu perficitur, id vnũ mihi præsidium ad rei huius veritatem consequendam in eo positum esse constitui, si multiplicatis Dionysij cyclis octies tot millium annorum numerus non maior, minorue omnino produceretur. Quamquam autem non ad vnguem productus numerus responderet; speraui tamen, me cum proxime ad rei veritatem accessissem, ex physica ratione facilè intellecturum Iulianum annum, quo vtimur aliquot horæ vnius momentis maiorem esse, quàm veri solaris periodus postulet, atque ex ijs momentis fieri, vt in annis quindecim millibus dies centum quatuor omnino supersint, qui necessariò ex collectis minutijs, diuisisque subtili, diligentique calculatoris opera decoquendi sunt. Erit igitur anni vera quantitas ex physica ratione constituenda ex eo Ciceronis loco diligenter considerato. Vale, & me quod facis, ama, industriamque meam post diuturnam infirmi corporis valetudinem anno ætatis septuagesimo septimo, non omnino exinanitam gratulare, fateorque. Iterum vale v. Idus Martij 1590.

LATINI LATINII

Rei nouæ proposita consideratio de Anno vertente.

L. Latinius Viterbiensis Studiosis S. D.

AD nouam rem diligenter considerandam vos atque diiudicandam voco: ad nouam, inquam, nondum forte, ne à me quidem pene octogenario sene satis intellectam, vel explicatam inuito. Confido autem, cum operam meam in ea re positam non inanem

visum

visum iri, tum industriam non ingratam plerisque fore. Vestrum erit maturè omnia expendere, Deoque mecum gratias agere, qui fidelibus suis ad veritatis inuestigandæ rationes aperire viam, ingenium acuere, ac superno infuso lumine numquam desinit illustrare. Valete. De cubili, v. Id. Aprilis. M.D.XC.

CVm physica ratione deprehensum Africanus apud Ciceronem in Somnio affirmarit, annum magnum, quem vertentem appellauit, annorum quindecim millium curriculo perfici; quæ nam verò physica illa esset ratio, cuius certo fundamento iacto nisus ego quoque ad difficillimam quæstionem expediendam peruenire possem, diu in longa ac permolesta noctis vigilia meditatus, nihil ex ijs qui eum Ciceronis locum explicandum adhuc susceperunt, reperissem, conuerti me ad eos Christianæ professionis scriptores, qui de temporum ratione, multa firmioraque, certa quadam progressione prodiderunt; eamque progressionem physicam illam veterum sapientum rationem omnino esse interpretatus sum; qua Africano superstite maiores deprehenderint integram cæli totius conuersionem annorum quindecim millium spatio, non maiore, minoreue, constare. Ex Bedæ igitur de temporum ratione commentarijs, Lunæ cyclum annis decem & nouem, Solis verò annorum viginti octo periodo absolui comperi; ex his verò in se multiplicatis Cyclum maiorem produci annorum quingentorum triginta duorum, quem Paschalem Dionysius Abbas appellauit, quòd eo temporis interuallo septem inerrantia sidera, plena conuersione peracta, in eumdem, vnde paulatim progressa fuerant, reuertuntur locum. Quoniam verò ea progressione vsus, tamquam planè physica ratione, eò adductus eram, vt non temere sperarem me ad cæli totius integram conuersionem, quæ quindecim millium annorum peracto spatio conficitur, peruenire tandem posse; dixi intra me: Quid, si ego maiore Cyclo quingentorum triginta duorum annorum vicies octies multiplicato, experiar quantum proficiam? Intelligebam enim, mihi sine vllo veritatis periculo in noctis silentio quidquid vellem mecum meditari, atque in digitos vtcumque mittere licere. Semel igitur, iterũque, ac tertio expertus, intellexi me nõ lõge à proposito scopo aberrasse. nam supradictorum cyclorum numerum non plures quàm centum quatuor annos redundantes inueni, quos peritorum astrono-

astronomorum erit definire, embolismis ne , an alia ratione decoquere oporteat. Ego enim eius disciplinæ omnino rudis, nihil audeo affirmare. Hæc autem non facilè adducor vt credam, neminem ante me cognouisse: sed in infinita penè sententiarum varietate, desperasse se post tot virorum singulari auctoritate præstantium definitas sententias quidquam litteris consignare posse, quod vel paucissimis satisfaceret. Si qua enim vmquam in difficili quæstione sententijs variatum est, in hac præcipue factum esse necessario cogimur confiteri. Quot enim capita, tot varias sententias numeramus. Sed veniendum nunc tandem est ad id, cuius gratia, quę suprascripsi, summo quidem studio inuestigata, sed non sine errore collecta sunt: id est autem quantum sit vniuersum tempus ab Orbe à Deo condito ad natum Redemptorem nostrum, Dei & hominis Filium Christum Iesum. Quod autem de Cyclorum maiorum Dionysij progressione certa comperimus, confirmari maximè potest, præter ea quæ attulimus, auctoritate veteris scriptoris, qui de mirabilibus sacre Scripturæ multa tribus libris complexus est, extantque inter S. Augustini opera tomo tertio in appendice à Louaniensibus meritò reiecta. Is palam indicauit, se Britannum, vel Hibernum natione fuisse: quæ scripsit autem, operæ pretium est hìc totidem verbis referre ex secundo libro, capite quarto. Sunt autem hæc: *Quinto namque cyclo à mundi principio anno centensimo quartodecimo, generale totius mundi diluuium sub Noë venit, qui post diluuium quadringentesimo decimo octauo anno decessit, & inde alius incipiens, idest sextus, in octauo ętatis Abrahæ anno finitur. & nono eius anno septimus incipiens, trigesimo quinto anno egressionis filiorum Israel de Aegypto, idest, quinquennio ante mortem Moysi concluditur. post quem octauus, in quo est illud signum in Sole, & Luna factum, trigesimo sexto anno egressionis Israël de Aegypto incipiens, in trigesimum primum annũ Asæ Regis Iuda incidit, cuius trigesimo secundo anno nonus exordíum capiens, in quo & aliud signum in sole Ezechiæ regis tempore, de quo paulo post dicemus, factum legitur, centesimo octauo anno post templi restaurationem, quæ sub Dario facta est, sui cursus spatium consummauit; donec decimus inde oriens nonagesimo secundo anno post passionẽ Saluatoris, Auiola & Pansa Coss. peractis cursibus consummatur. post quem vndecimus à Consulatu Paterni & Torquati ad nostra vsque tem-*

pora deturrens, extremo anno Hiberniensium moriente Manicheo inter ceteros ſapientes,peragitur. Conſtat igitur ex hoc vetere Scriptore,qui poſt Sancti Auguſtini obitum annis ducentis triginta hos commentarios edidit, atque ante Venerabilem Bedam annis centum & amplius, motus cæleſtis initium cum Cyclorum maiorum Dionyſij (qui ante ipſum penè centũ annis floruit) initio cœpiſſe currere. Confirmatur hæc eadẽ veritas Georgij Cedreni Scriptoris Greci teſtimonio, in hiſtoriarũ cõpendio, qui anno trecẽteſimo ſecũdo Sethi, peractã fuiſſe primã periodũ quingentorum trigintaduorum annorum ab initio creati cæleſtis motus tradidit. Duorum horum teſtium confirmata ſententia, annorum Chriſti initiũ cum initio Paſchalis Cycli à Dionyſio, Beda, & alijs, ſine vlla, quod legerim, ſententiarum diſcrepantia conſtitutum iam ante aliquot ſæcula,nouerunt omnes qui de ea re aliquid vel leuiſſime inueſtigarunt. Hoc igitur iacto fundamento, quis mihi audeat negare, die quarto creatum firmamentum cum Sole, Luna, ac ſtellis, quæ tempora, dies,& annos diſtinguerent, motum cæli quoque eodem momento creatum fuiſſe? Certe videre nequeo, cur non neceſſariò conſequens ſit, cyclos ſuos Lunam, Solemque ſtatim inchoaſſe cum motu: quod, quia veriſſimum eſſe cogimur confiteri, eadem qua ſupra, progreſſione vſus ſum, ideſt certiſſima ratione phyſica, ad vſque natum Chriſtum eiſdem Cyclis tam minoribus,quàm maioribus vniuerſum ab Orbe condito tempus concludi oportere, quantumcumque illud tempus metiri quis, ideſt prorogare,aut coartare velit. Si igitur cum cæli motu cycli cœperunt currere: quidnam venire in mentem potuit Mariano Scoto, cur initium quarti Cycli decemnoualis Lunæ anno quarto vitæ Adami aſſignandum putarit? quod mihi abſurdiſſimum viſum eſt; & cum ratione phyſica ita pugnat, vt nemo tam ſtupidus ſit, quin videat id fieri nullo modo poſſe. Quid enim? ceſſauit ne cæli neceſſarius motus,an aliquo ſecretiore myſterio anni trium cyclorum quinquaginta ſeptem in hoc temporis ſpatio prætermittendi, aut ſilentio condemnandi ſunt? Eumdem autem Scotum cum Dionyſio, Beda, & alijs in eadem ſententia fuiſſe ſæpe legimus, initium annorum Chriſti initio Cycli Paſchalis tribui. Quare veriſimilius mihi videtur, in libro acephalo, in quo ſeptem prima capita deſiderantur, paginam vnam aut alteram deeſſe, in qua & trium cyclorum, & quatuor indictionum curſus ſuo ordine

expli-

explicatus notabatur. Hoc vnum verò eruditis considerandum relinquo. Ego enim (ingenuè fateor) cum diutius in ea difficultate soluenda frustra laborassem, nihil reperi quod satisfacere cuiquam posse mihi videretur. Inter eos autem qui ab Orbe condito ad Christum natum annorum summam diligenter notasse referuntur (eorum autem longam seriem Xystus Senensis in sacra Bibliotheca lib. 5. annot. 68. collegit) neminem inueni, qui minus à cyclorum integritate discedere, & ad temporis totius veritatem propius accedere mihi videatur, quàm Beatus Augustinus. Is enim (vt referunt multi) vniuersum tempus ab Orbe condito ad Christum natum quinque millibus trecentis quinquagintatribus annis comprehensum fuisse statuit: quod spatium si quis in cyclos maiores *Dionysij* partiatur, iuueniet, supra decimum cyclum nihil amplius redundare, quàm annos trigintatres, quod librariorum vel negligentia, vel temeritate commissum existimare quis facilè poterit: decem enim cyclorum cursus quinque millium trecentorum viginti annorum interuallo necessario perficitur. Vbi autem à S. Augustino eum annorum numerum definitum fuisse teneamus, adhuc quæro. Opinor verò triginta trium annorum numerum supra integros cyclos à quopiam forte additum, qui putarit ab Orbe condito non ad Christi ortum, sed ad mortem eius esse referendum; nisi forte verum sit quod aliqui asserunt, Nestorianorum consuetudinem fuisse, *Christi annos non ab eius ortu, sed ab assumptione in cælum numerandi, quod post ascensionem diuinitatem eius cõfessi fuerint, non ante. Ego verò quouis sacramento contenderim* (quandoquidem necessarium esse ostensum ex prædictis est, cyclorum *initium statim cum cæli motu cœpisse currere, & vsque ad natum Christũ Cyclos integros omnino numerari oportere*) *Alfonsi Regis, qui Astronomicas tabulas composuit, annorum numerum notatum, manifesto corruptum esse; facileque deprehendi à quouis posse*. Primus enim cyclus, 532. annis constat. *Secundus*, 1064. Tertius, 1596. Quartus, 2128. Quintus, 2660. Sextus, 3192. Septimus, 3724. Octauus, 4256. Nonus, 4788. Decimus, 5320. Vndecimus, 5852. Duodecimus, 6384. Præter hos autem numeros consistere integri cycli non possunt. Quare numerus Alfonso tributus non 6984. sed 6384. restituẽdus est. Verum coniecturis frustra niti in re grauissima, tantaque sententiarum varietate, hominis otio potius abutentis, quã

pru-

prudentis aut industrij viri esse, iam pridem statui. Hæc ego etsi verissima esse, ideoque probanda omnibus visum iri confido, eruditis tamen maturius consideranda proposui; vt quia me hominem, in quem error cadere potest, agnosco, ab eis admonitus, errores meos corrigam. Romæ, vij. Id. Aprilis. 1690.

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S. D.

Gratulatur ei febriculæ liberationem. Mazonij ingenium admiratur quem in omnibus studijs versatum prædicat. Morbi incommoda ab hominibus æquo animo ferenda.

DElectauerunt me litteræ tuæ, quas proximè accepi. Quid enim mihi iucundius esse potest quàm de te ex te quæ maximè volo audire? Te ex incommoda valetudine emersisse valde gaudeo, febriculam namque illam oderam, qua nunc, vt scribis, cessata, reliqua sunt ferenda, speroque in dies meliora neque vehementer ægre ferre debemus interdum morbis vexari, admonerique nos homines esse, quod sanè in mea corporis imbecillitate, minusque secundis rebus non mediocri mihi solet esse solatio. Quod Illustrissimi Cardinales Columnij bene de me sětiant, honorificèque loquantur, libenter etiam audiant; audeo quoque dicere, me ament, tibi acceptum refero, neque vereor tuum illud opus cum fuerit, quum eamdem, quam mihi apud eos cōparasti gratiam, diligenter tuearis. Consaluo Poncio à me plurimam salutem dicas velim. Nunc de Mazonio audi. Fuerat is à Florētinę Academiæ præfectis rogatus, eò vt se cōferret Saturnalibus his diebus, scholæ (quod superiori quoque anno fecerat) habendæ gratia; recusauit is quidem: vt primum autem audiuit iter me per eam Vrbem facturum, mutauit consilium, sociumq; itineris mihi se adiunxit, venit, legit, interfui ipse quoque; plura de eo effari non audeo, ne aut parum eum laudando gloriam illius minuam, aut si quę de eo verè sentiam, dixero, beneuolentia potius, quàm recto iuditio adductus ea dixisse videar. Sed eum sanè admirari non desino. Nusquam enim hominem reperiri posse puto, qui aut plura illo legerit, aut meliùs perceperit, aut fideliùs memoria retinuerit. Ita quidem, vt præter ea, quæ ad philosophiam, aut theologiam pertinent, in quibus summa

cum laude cunctis hominibus satisfacit, poëtas plures vel Latinos, vel Ethruscos totos edidicisse videatur. Mira profecto res, ac parum fidei fortasse habitura apud eos, quibus haud contingit cum eo versari, atque ingenij eius, ac virtutis periculum facere, quod ego incredibili cum mea voluptate sæpius sum expertus. Post hęc Bononiam veni non dum transacta hyeme vigente immiti frigore, niueque adhuc decidente; omnes tamen meos saluos, incolumesque offendi. Hæc eo tempore à me scripta fuerunt, quo homines personati incedentes, mores, atque orationem immutare gaudent, idest ipso Saturnalium die 1590.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTO S. D.

Gratulatur amicum Bononiam peruenisse. Suspicatur animum Mercurialis à se altenatum.

Biduo ante litteras tuas accepi Bononia Saturnalibus datas, in quibus quòd de leuata grauis morbi molestia magnopere gauisus es, mihique gratularis, non mediocrem tibi gratiã habere me fateor; vicissim autem gaudebo plurimum, si tibi post itineris periculosa incommoda, cælique frigidissimi in continuata tot dierum imbrium, niuisque effusione, acerbitatem vehementer auctam vernis temporibus, quos hìc nondum experimur, recreatum te esse accepero. Opto id quidem maximè. Sed quid breui sperarę liceat succedentibus sibi assiduè tempestatibus, non facilè quisquam polliceri audeat. De Mazonio multa, & quidẽ magna prius ex Manutio, plura tamen ex te, atque maiora libẽter audiui. Gaudeo te suauissima eius consuetudine delectatum, miraque eruditione, atque memoria eò adductũ vt pronunciares, qui cum tanto viro conferri valeat inueniri posse neminem. Ornasti tu quidem illum eleganti epistola tua grauissimo testimonio consignata, summis, verisque laudibus, quo nomine, nisi fallor, vir in primis gratus plurimum tibi debere ęquum est profiteatur. Sed hęc hactenus. Cum Columnijs, (quod toties bona fide recepi) dabo sedulò operam, vt in dies magis diligaris, idq; primo virtutis tuæ merito, deinde egregia erga illos voluntate, & obseruantia. Idem tibi in Consaluo facilè pręstabo, quod sæpe ad me vir humanitatis, atque officij cultor egregius adire solet, tuasque litteras Latinè elegantissimè scriptas cupidissimè legere,

gere, laudare, admirarique tantam Latinè ſcribendi facultatem tibi comparaſſe, vt quęuis etiam difficilia ad dicendum congruis verbis facilè expedias, atque illuſtres. Sed hæc aliàs. Mercurialis mei animum à me ſuſpicor aliqua offenſione alienatum; ex quo enim die Bononiam attigit, quaſi verò Patauio relicto mei quoque memoriam ibidem relinquere apud Pinellum depoſitã coactus fuerit, ne litterulam quidem vidi, nec ſalutem eius nomine à quoquam adſcriptam memini. Cura igitur, ſi me amas, vt cum eo in gratiam redeam, & ſi qua cauſa, vel leuiſſimæ offenſionis accidit, facito illico, vt ſciam, vt hominem, quem ſemper feci plurimi, quauis honeſta ratione ſatisfaciam. Vale, & Gigantem meo nomine ſaluta. Romæ Idibus Martij 1590.

CAMILLVS PALAEOTVS L. LATINIO S. D.

Queritur modernos in ſcribendo ventoſis titulis vti. Monſtruoſam Mazonij memoriam celebrat. De ſe ipſo autem modeſtè ſentit.

ODi mendacium, nec quidquam ſolet eſſe à me alienius, vt interdum etiam verear, ne parum ijs ſatisfaciam, qui ventoſo faſtu inflari gaudent, nouoſque ſibi adſcribi titulos, quibus noſtra plerumque abutitur ætas, appetunt; Cum equidem magis veterum conſuetudinem probem illis, quibus litteras mittebant nihilo plus quàm ſibi ipſis tribuentium, vel ſaltem à maiorum noſtrorum parentum, inquam, aut auorum inſtituto recedendũ eſſe minimè ducam, qui in litteris vel amicos tantummodo, vel tamquam fratres, ac filios ex ętatis diſcrimine ſe mutuo ſoliti erant appellare. Ac licet non ignorem vſum multis in rebus populo concedi debere, veritatem tamen in primis colendam eſſe quis neget? Quare nunquam eos penitus laudandos cenſui, qui ad homines nec magni nominis, nec exiſtimationis, nec virtutis ſcribentes, ſed terræ plerumque filios aucupandæ gratiæ cauſa heros ſuos perilluſtres etiam falſo inſcribere non erubeſcunt, ſed vt in rebus, ſic in verbis ſuum cuique ex æquo tribuere maximè iuſtum, atque honeſtum puto. Nunc vt ad te veniam. Illis, quas proximè accepi, litteris modeſtè quidem, vt ſoles, me repræhendere videris quòd communem illum noſtrum amicum Mazonium, inquam, nimis extulerim, cum eumdem eruditione,

atque memoria ceteris anteposuerim. Quod sanè scias velim à me illud non hyperbolicè dictum fuisse; sed quòd ita verè sentio, & cum duo illa simul coniunxerim à vero declinasse me, aut plus illi dedisse, quam res ipsa patiatur, prorsus non agnoscere. Vt autem nunc eruditionem omittam, cuius sanè sæpius in magno doctissimorum virorum consessu singulari cum sua laude periculum fecit, quis est qui eum memoria superet? siue illa in eo sit natura, siue arte comparata, quis est, inquam, qui vel *Ethrusci poëtæ* Dantis, vel Furentis, quem vocant, Orlandi non pagellas modò, sed libros integros memoriter repetentem audiat non summopere admiretur, illique primas ea in re non tribuat? Idem is quoque facit in Virgilio, idem in Lucretio, idem alijs in grauissimis Latinis scriptoribus, atque poëtis, quorum nomen ferè nunquam audiui. Vbi nam igitur quæso sunt, qui hæc audeant, aut ab alijs audiant? Sed heus tu, qui ingenio abundas, iudicij acumine excellis, probitate, ac doctrina præstas, ab omnique procul assentatione abesse profiteris, liberrimèque ea, quæ sentis, cum opus est, profers: an non interdum nimio amore in eos, quos maximè diligis, labi tibi videris? ijsque multo plus, quàm veritas ipsa postulat, dare? Alios nunc omitto, de me ipso tantum, illa quæro, quæ nam sunt illa quæso, quæ in eamdem tuam epistolam tam plena manu de me congessisti, doctrinam vel grauissimo Consalui testimonio laudas? qui ciuilibus negotijs impeditus vacare studijs nequiui, Latinè scribendi facultatem extollis, cum in veterum auctorum lectione parum adhuc fuerim exercitatus in scribendo adhuc tyro; addis eloquentiam cum tamen præ te ipso, atque alijs tui similibus quàm sim infans facilè intelligam, neque etiam ipse ignores quàm lõge ab hoc laudis genere absint etiam ij, qui ocio abundantes totam suam ætatem in eiusmodi studijs tranquillè contriuerunt. Qua propter diligenter cauendum est tibi, ne si forte in laudando Mazonio iure abs te reprehensus esse tibi videar, eodem ipso quoque crimine in ijs, quæ de me prædicas, possis condemnari. Verùm dari mihi abs te potius veniam cupio, ac spero, vt amicos, ac virtutis studiosos, quando alia re nequeo, verbis saltem æquissima tua voluntate mihi liceat ornare. De Mercuriali mandata tua me prorsus exhausisse facilè ex eius litteris intelligere potuisti. De eo verò quod in schedula me admones, ingentes tibi ago gratias, neque est quod magis aueam, quam abs te, qui

ab om-

ab omnibus vt ameris dignus es, amari. Vale Bononia pridie Calendas Aprilis 1590.

L. LATINIVS CAMILLO PALAEOTO S. D.

Eius in scribendo facultatem ex ipsis litteris latinis probat. Fatetur se cæpisse uti titulis ampullosis in epistolis consilio Episcoporum Hispanorum occasione Synodus Tridentinæ. Denique Mazonium & Mercurialem laudat.

VEritas Palæote, quam semper religiosissimè coluisti, ita se ipsam proximis litteris tuis pridie Calendas datis prodidit, vt te aliud agente, quæ ego tibi verè de Romanè scribendi facultate, & elegantia, de eruditionis sententia tribueram, ita epistola tua confirmata teneamus, vt ne si maximè quidē & velis, & concedas effusis etiam omnibus eloquentiæ tuæ viribus nihilo sis plus acturus, quàm vt omnes intelligant modestiam tuā ita cum eloquentia certare, vt vtri quis meritò palmam tribuat non dum pronunciare facilè sibi videri fateatur. De corrupta recentium in scribendo consuetudine, iam ex quo Tridenti Synodus coacta Episcoporum Hispanorum frequentia penè fluctuabat, memini me ab amico monitum (qui inter eos Episcopos honestissimum locum tenebat) multorum offensionem potius, quā beneuolentiam mihi conciliaturum, etiam si egregijs eos laudibus ornassem, nisi ampullosis (vt ita dicam) ac ventosis titulis onerassem. Sed quid agas? De recta ne, atque honesta via deflectendum, vt barbaræ consuetudini satisfacias? Mazonij veras laudes planè intellexi putasse te prioribus tuis litteris nimis exiliter expositas fuisse; propterea que dextrè, ne dicam astutè, idest vrbana occasione arrepta, in eius ingenij, memoriæ, eruditionisque viribus nominatim enumerandis, ornamentisque cumulandis eloquentiæ tuæ thesauros, idest non fontes quoslibet; sed vniuersum flumen semel effudisse. Mercurialem nostrum nisi vnicè diligerem, ab omni prorsus humanitatis sensu alienum me esse existimarē. Quid enim eo amabilius, quid officiosius desiderari possit? Quare inter paucos, quos amicos verè noui, illum præcipuè diligo, & colo. Misi ad eum paucis ante diebus scripta mea quædam per te illi reddenda; speroque breui alia publicis typis excusa ad vtrumque esse missurum, vt quid de mea indu-

stria

ſtria ſentiant eruditi, quos benigna mater Bononia ſemper aluit, & fouit, ad me commodè ſcribatis. Vale. Romæ, & de cubili nō ſine quatriduana febricula decumbens hæc non dictaui; ſed, vt potui, ſcripſi; ideoque aliena opera deſcribenda curaui. Tertio Idus Aprilis 1590.

L. LATINIVS IO: VINCENTIO PINELLO S. D.

An mulier tamquã res mobilis vſucapiatur ex Gellio, & Tacito explicat trinoctium.

INter res mobiles, quæ vel annali, vel biēnij temporis ſpatio vſucapi iure ciuili ſtatutum eſſe conſtat, hominem quoque liberum, vel ſeruum contineri nuſquam memini legere; cur autem in matrimonij cauſa contra cautum ſit, non video qua ratione mihi perſuaderi poſſit. Quod eſt autem à Pancirolo ad te doctiſſimè ſcriptum per epiſtolam, quam mihi reddendam curaſti, non poſſum non magnopere probare. Putaui tamen Q. Mucij apud Gellium verba non in annali poſſeſſione ex lege xij. tabularum ſignificare vllo modo mulierem vſurpatam, ſed trinoctium non abfuiſſe à marito, ex quo die ad alium vſurpatum iſſet. Nam ſi etiam poſt decennium vſurpandi cauſa apud alium per trinoctium à viro abfuiſſet, eam ab alio vſurpatam fuiſſe non puto quemquam eſſe negaturum. Quare qui in hac quæſtione cardo eſſe videtur; An ſcilicet vxor tamquam res mobilis anno vſucapi poſſit, explicandum amplius, confirmandumque videtur. Legi enim quoſdam eruditos viros, qui adhuc hæreant, nec facilè in ea ſententia acquieſcendum putent, quam tamen plures, potioreſque ſequuntur, & approbant. Poſtremo quod pollicitus eram, atque ad hanc quæſtionem maximè pertinet, iam pridem ab vno me obſeruatum apud Tacitum Ann. xiij. prope finem in Poppæa Sabina trinoctium quam vim habeat planiſſimè demoſtrari. Tu quod amici cauſa diligenter erga me feciſti, meo viciſſim nomine erga illum, vt facias vehementer rogo, gratiaſque etiam non vulgares agas. Vale Roma x. Calend. Sextilis 1590.

L. LATINIVS HIERONYMO MERCVRIALI S. D.

Confirmat suam opinionem de Trinoctio ex lege xij. tabularum Respondet quæstioni, quid sit honestius gladio, an securi necari.

SI lentè, ac fastidiosè expendantur quæ de loco xij. tabularũ apud Gellium leguntur, confido fore quęcunque contra scriptum meum obijci poterant æquos iudices intellecturos omnia præuisa esse, & planè confutata. Inter res mobiles, quæ annali possessione acquiruntur, hominem liberum quoque numerari nusquam legimus; immobilis autem decennio statutum esse præscribi certissimi iuris est. xij. tabularum verba non annali spatio vxorem à viro vsucapi asserunt; sed si vsurpandi causa trinoctiũ apud alterum fuerit, illum vsurpasse, idest illius iustam possessionem acquisisse statuunt, idque temporis spatium satis fuisse, & non amplius ad declarandum vel ignauum, & honesti minus cupidum animum, vel vxoriæ consuetudinis iugum non facilè ferentem. Enim verò si vetera memoria repetimus, marito vxorem repudiandi per Mosem, dato prius libello, potestatem factã esse nouimus. Per Romulum quoque, prodente in eius vita Plutarcho, viris concessam facultatem ex quibusdam causis vxores abijciendi; feminis autem à neutro legislatore à viro discedendi facultatem datam esse compertum est. Quare autem duriore cõditione feminę, quàm viri esse deberent, quamquam ab initio peccati ratione factam intelligimus, xij. tabularum legis æquitas humaniore, ciuilioreque modo feminis consultum in pari casu voluit. Hinc igitur trinoctium absentiæ à priore viro statutũ legitimum tempus feminis esse, vt alterum sibi virum vsurpent. Quare mea est sententia clara illa quidem, atque vndique solidis argumentis, rationibusque munita, vt legis xij. tabularum verba, nulla annalis, biennij, aut etiam decennij possessionis habita ratione, trinoctium statuerint, & declararint, quid esset, & qua ratione interpretandum. Tuum nunc est quando & ingenio, & eruditione maximè præstas, vicissim sententiam tuam indicare, & in laudes ingenij, vel iudicij mei parciùs eloquentiam tuam effundere, non imitari Palęotum nostrum, qui nunquam mei laudandi finem, aut modum ponit.

Gladio, an securi necari, quid sit honestius nusquã legi. Apud Romanos dũ Respublica ciuili stetit regimine, vtrumque in promiscuo

miſcuo more poſitum fuiſſe veterum monumenta ſatis probare videntur; neque ea tantum ſuppliciorum genera, vel animaduerſionum; ſed octo quoque cum ijs numerantur. Caracalla verò vel militari cõſuetudine motus, vel fortè ne Papinianus acerbiſſimam fuſtigationem ante cædem pateretur, maluit eum gladio, quàm ſecuri percuti. Hæc ego ad te ita ſcribo, vt eorum omnium Palæotum participem facias. Plutarchi locum in Romulo, quem ſupra citaui, ſi pro vtriuſque veſtrum ingenij acumine mihi expeditum reddideritis, non mediocrem à me gratiam vterque inibit. Valete ambo. Roma Quarto Idus Sextilis 1590.

Leuabis me cura, ſi huius epiſtolæ exemplum ad Pinellum primo quoque tempore deferendum curaris.

EIDEM.

Eamdem opinionem de trinoctio corroborat lege xij. tabularum.

QVis ſanus umquam fieri poſſe exiſtimarit, vt ſæculi noſtri eruditi viri in ijs rebus laberentur, quæ naturę ſuæ neceſſitate firma, certa, claraque eſſe omnes intelligant, & neceſſaria ratione exiſtant. Videmus tamen eorum, qui inter eruditos primas ferunt, quique uerba legis xij. tabularum explicanda ſuſceperunt, quæ apud Gellium lib. 3. cap. 2. leguntur, ita excordẽ (vt Plautinis verbis vtar) incogitantiam, vt nuſquam tantam vlla in re eorum negligentiam deprehẽdere poſſe nos planè ſtatuamus. Quis enim neſciat mulierem liberam (ſit illa virgo, vel vidua, nihil intereſt) niſi prius in matrimonium ductam à viro vſurpandi cauſa apud alium per trinoctium abeſſe potuiſſe; nuptam igitur prius fuiſſe neceſſario oportuit. Qua ratione autem diiudicari potuit trinoctium à viro abfuiſſe, in ea ſpecie à xij. tabulis propoſita, in qua Kalendis Ianuarijs vxor ducta fuerit, niſi vertente anno à die quarto Kalen. ſequentium trinoctij tempus numeraretur? Conſtat ergo ex prædictis, anni tempus in hac quæſtione non ad mulierem liberam vſucapiendam quicquam facere; ſed propoſitæ ſpeciei declarandæ gratia neceſſario appoſitũ, atque adiunctum, alioquin explicandæ propoſitæ quæſtionis nullus exitus reperiri potuiſſet. Valeant igitur interdum magna, & pręclara nomina, ſingularumque rerum naturæ maturiùs, lentiùs, faſtidioſiùſque, ſi res poſtulat, conſiderentur. Eantque nũc

qui

qui facilè etiam eruditissimis credunt, & ab illorum sententia, vel minimum discedere religiosissimum putāt. xj. kal. Sept. 1590.

LATINI LATINII OPINIO.

Quid sit altare in Sanctione Pij Papæ Primi.

QVæsitum à me triduo ante coram amicis aliquot fuit, quid esset altare in Pij primi Pontificis Sanctione relata apud Gratianum de cons. d. 2. c. Si per negligentiam. Cumque multa, subtilique inquisitione non facilè quidquam occurreret, in quo vllius animus quiesceret, tandem quid ego sentirem sæpius postulatus, ea lege quæstionis huiusce explicandæ onus suscepi, si prius me hominem alicuius quidem ingenij, atque iudicij; sed plurimarum tamen rerum ignarum omnino faterentur: proptereaque si qua ex parte errassem dignum venia esse statuerent. Altare quid sit hodie apud nos nemo, opinor, ignorat. Sit illud vel stabile structura lapidea in mensæ morem, vel lignea materia constans, quod facile de loco ad locum deferri possit; vtrumque tamen solemni cerimonia consecratum. Id ipsum cum Missæ sacrificium offertur paratum, stratumque esse oportet tribus, vel saltē duobus linteis mundis velis, quæ toralia vulgo liceat appellare. Super hæc Sacerdos celebraturus mystèria linteum aliud forma quadratum solet extendere eo loco, qui mensæ cōsecratæ portioni conuenienter respondeat, in cuius medio calix cum patena collocatur. Hæc ita breuiter attigi, vt si fieri potest in tota, de qua agitur, explicanda quæstione minus, laboremus. Initium igitur inde sumendum, nisi fallor, necessariò videtur, vnde ex Sacerdotis negligentia, velut ex leuiori culpa, quæ difficilius vitari potest, leuior quoque pœna mysteria peragenti imposita legitur. Ea autem tribus tantum diebus absoluitur, cum reliquæ pœnæ omnes pro culpæ ratione gradatim augeantur, & postrema ad quadragesimum vsque diem prorogetur. Itaque hinc facilè cōstare videtur altaris nomine id quadratum velum, quod corporale appellant, calicique substernitur accipi oportere, in quod si quid ex negligentia distillet de calice læuissima omnium pœna multatur Sacerdos, quippe qui difficilius ex culpa quamuis diligentia adhibita vitari potest. Hoc primum initio constituto, pęnis deinceps ita gradatim pro

ratione culpæ dispositis, vt quò altius calix distillat, pluraque vela penetrat, grauiore semper pęna Sacerdos puniatur. Iam intelligimus altaris nomine non lapideam mensam velis opertam à Pio appellatam; sed quod corporale vulgo hodie dicitur. Quæ res quia ab vsu nominum hodie recepto abesse longiùs planè videtur, erit inter coniecturas parum firmas mea sententia existimanda, quam nuper ex Græcorum scriptis, idest Emanuelis Constantinopolitani Patriarchæ accepi. Is enim ab Episcopo quodam interrogatus his verbis. Antimensia scimus facta, postquam Antistes per se operatus fuerit dedicationem, & ex panno substrato, & circumuoluente mensa in frusta discęta, & scripto Sacerdotibus dari, nec posse sine his sacrificare. Vbi igitur horum est defectus, quid faciendum ne sine sacrorum celebratione Sacerdotes remaneant. Patriarcha ita respondit. Antimensia in omnibus Sanctis mensis poni necesse non est; sed in ijs, de quibus incertum est consecratæ sint nec ne; nam Antimēsia consecratarum Sanctarum mensarum locum obtinēt; nec ijs opus est vbi mensas consecratas esse constat. Hactenus Patriarcha. Videmus hinc Antimensium & formam, & necessarium vsum, vocabulique significationem notissimam. Pro mensa enim, idest pro altari ad mysteria celebranda adhibebatur forma, & verisimile est quadrangula manu Antistitis subscripta, ne fraus fortè fieri posset. Pij autem Pontificis tempore, an ita vsus obtineret, aut qua omnino ratione sacra perficerentur in tanta temporum obscuritate non facilè quisquā affirmarit. Ego quidem nihil vnquam certum de eiusce rei obseruationibus, ritibusque memini legere. Erunt tamen eruditi multi, qui summo studio antiquitatis vestigia persecuti aliquid in hoc genere præstare honestè possint. Reliquum est, quando bona fide quæ vires meæ tenuissimæ potuerunt perfeci, vt eruditorum iudicia, coniectura mea quanti facienda sit diligenter expendant, studiumque ac conatus meos pro sua humanitate boni consulant.

FRANCISCVS TOLETVS L. LATINIO S. D.

Suam sententiam de altaris nomine exponit.

ACcepi litteras tuas, & quod faciendum in eis mones, feceram. In bonam enim partem interpretatus eram quæ ad

me prius scripseras. Nec quidquam corrigendum existimaui ex ijs quæ magno studio iam olim comparaueram, quando publicè theologiam professus sum, quæque efficacibus rationibus cõfirmaueram examinatis, & perpensis aliorum sententijs, Quæ omnia optassem tu perpendisses, priusquam manum calamo admouisses. Hoc tamen numquam apud me efficiet, quin de animo beneuolo tuo erga me, & officio amico rectè sentiam, & gratias agam. Cæteris quæ de meo libro scribis, nihil censeo respondendum. Vnum est, quod te maximè rogo ne me varijs occupationibus distentum, nouis graues, ac perturbes. Ne tamen nũc parum obsequens tibi videar, paucis respondebo ad ea, quæ de proposita tibi dubitatione scripsisti.

In principio ferè disputationis tuæ habes hæc verba. Altare quid sit hodie apud nos, nemo, opinor, ignorat; sit illud vel stabile structura lapidea in mensæ morem, vel lignea materia constans, quod facilè de loco ad locum deferri possit. Vtrumque tamen solemni cæremonia consecratum. Hæc tu. Distinguis ergo duplex altare, lapideum stabile, & ligneum, quod facilè deferri possit. Multa hìc corrigenda videntur. Primo quidem hodie nullum est altare ligneum consecratum; à tempore namque Siluestri altaria omnia consecrata lapidea sunt, nec lignea consecrari possunt. Secundo altare lapideum, quod stabile appellas, non semper est consecratum; imo Romæ pauca sunt ex recentibus consecrata; idcirco frequens est vsus altarium paruorum, quæ dicuntur aræ, seu altaria portatilia, quorum vsus est necessarius quando altaria stabilia non sunt consecrata; secus verò si consecrata sunt. Tertio quando altaria stabilia consecrantur non tota structura consecratur, nec est necessarium esse ex lapidibus; potest enim esse ex lateribus, vel alia materia confecta; sed consecratur solum ille lapis magnus in modum mensæ, qui est superpositus. Quarto aræ, seu altaria portatilia ornantur aliquando ligno, vel simili materia; sed solus lapis consecratur ille, qui est altare etiam sine vllo ornamento. Hæc omnia adeo sunt vel mediocriter perito manifesta, vt probatione non indigeant. Corrigenda est ergo distinctio tua, quæ multipliciter deuiat à vero. In eadem tua disputatione affirmas Pium appellasse altare linteum illud, quod vulgo corporale dicimus. Si verba Pij iterum aduertis diligenter inuenies tua hæc verba in verbis illius pugnare, quod vel ex hoc intelliges. Inquit Pius. *Si super altare*

calix ſtillauerit ſorbeat, ſi ſuper linteum altaris &c. Si tu altare interpretaris corporale, non rectè accommodabis quod ſequitur *linteum altaris*; nam non dicitur linteum corporalis, nec corporale dici poteſt habere linteum. Præterea dicitur ibi. *Comburetur, & intra altare recondetur*, Quis autem admittet cineres eſſe recondendas intra corporale? Quod ſi reſpondeas non in eadem ſignificatione ibi accipi altare, fateberis ergo Pium in ſuo decreto vſum eſſe amphibologia, ſeu æquiuocatione verborum; quod quantum vitium ſit nemo ignorat. Præterea ſi altare interpretaris corporale, cogeris admittere quinque lintea; nam præter altare Pius numerat quatuor; Hoc autem vſus non recipit; tria enim ſunt præter corporale, quod Pius nomine primi lintei ſignificauit. Præterea quis vnquam probatus auctor ſiue antiquus ſiue recens corporale vocauit altare? Profers etiam in tua diſputatione reſponſum Patriarchæ, nec video, quid in eo reſponſo ſit; nam etiam ſi altare ſit conſecratum debent antimẽſia poni. Quod ſi cupis meam ſententiam intelligere paucis explicabo; exiſtimo calicem ſtillare ſtillam in altare non aliud ſignificare, quam ſtillam cadere ſupra corporale, quod eſt primum indumentum, ſeu linteum. Hoc ſequens verbum indicat; ſequitur enim. *Si autem in altaris linteum, ita vt ſtilla peruenerit ad ſecundum linteum*, ergo verba præcedentia ſignificant non eſſe aliud ſtillare in altare, niſi ſtillam cadere in ſolum corporale, quod eſt primum linteum, & hoc verè vt dicis. Ex hoc tamen non eſt deducendum quod tu deduxiſti, nimirum corporale dici altare; exemplum rem hanc manifeſtat, & probat. Quando in communi menſa aliquis turpat, aut fœdat vino, vel ſanguine mappas, dicitur fœdare menſam; non tamen rectè colliges ergo mappæ ſunt menſa. Quando etiam cæra vel puluis cadit ſuper toralia, dicimus altare maculatum, aut immunditia plenum, cum tamen non cadat niſi ſuper mappas, nec propterea quiſquam affirmat mappas, ſeu toralia dici altare; ſed eſt figura quędam locutionis tibi nota. Vide ergo ne tu ſic argumenteris. Stillat calix in altare, & ſtilla tantum corporale tangit, igitur corporale vocabitur altare. Argumento etiam tibi hoc ſit. Si corporale eſſet in terra, vel in loco extra altare, caſuque aliquo gutta ſanguinis decideret in ipſum, nemo diceret guttam illam cecidiſſe in altare, ſicut qui mappas extra menſam maculat non dicitur menſam maculare. Non ergo eſt cur fingas nouam altaris ſignificationem, quam nulla aucto-

ritate

ritate probas, nec ratione probabili confirmas, & vitium amphibologię verbis Sanctissimi Pontificis inducis. Scio etiam aliud dici posse quod probabilius forsan est, quàm tua sententia: sed ad sensum legitimum magis facere videtur quod dictum est. Hæc sunt quæ mihi videntur, si tibi non placent, ne recipias, maneas in tua opinione, hoc scias me tibi plurimum deferre, pietatem, ac eruditionem tuam maximi facere, canitiemue venerari, quæ scribis in bonam partem accipere, si quid non rectè sentis condonare. Vale.

L. LATINIVS FRANCISCO TVRRIANO

Alias rationes de altaris acceptione in medium profert.

DVbitationis cardo in eo vertitur, quod quæ maior Sacerdotis vel negligentia, vel culpa in effusione sanguinis videtur, ea leuiore pœna plectitur. Fuerit enim vel totum altare pluribus linteis tectum, vel eius ea potissimum pars, quæ consecrandis mysterijs circumscripta est; maior culpa sacerdotis æstimari debebit, si in nudam altaris partem sanguis effusus fuerit, quam si super tectam, cum in eo loco, quo consecrari, & tractari debuit, culpa tamen admissa est. Maior irreuerentia est, vt ita dicam si sanguis in altare nudum decidat. Leuissima autem pœna trium tantum dierũ imposita est Sacerdoti, cuius negligentia factum fuerit, vt sanguis in altare stillauerit; Grauior autem gradatim imponitur si super linteum, aut primum, secundum, tertiumque penetrauerit. Quæ mihi ratio peruersa visa est propter tarditatem ingenij mei, & imperitiam. De linteorum numero nihil moror, neque enim ea me res turbat, sed pœnæ statutæ ratio minus æqua.

FRANCISCVS TVRRIANVS SOC. IESV. L. LATINIO.

De eadem altaris acceptione suam declarat sententiam.

FAteor me non intellexisse scrupulum tuum cum respondi. Postquam intellexi puto me reperisse quod scrupulum existimas. Altare vocat Pius eam partem, cui imponitur victima, siue hostia mystica, quod magis declarat ratio nominis Græci,

quo

quo vsus est Paulus cũ ait in Epistola ad Hebr. *Habemus altare, de quo edere non licet ijs, qui tabernaculo deseruiunt.* θυσιαστήριον enim dicitur ἀπὸ τῆς θυσίας. Ab eodem Apostolo vocatur mensa 1. Cor. cap. 10, ea scilicet pars, in qua apponitur nobis verus cibus, & verus potus secundum Euangelium. Sic etiam vocauit Dauid Psal. 22. cum ait. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Hoc igitur est quod hìc à Pio nominatur altare, vulgo vocant petram sacratam, sine qua sacrificari non potest, & quæ sola sufficit ad sacrificãdum cum reliqua hierologia, vt verbo Dionysii, vtar, quia hæc est proprie altare. Hispani vulgo vocant aram. Cui ergo per negligentiam aliquid sanguinis Domini effusum erit super altare, siue aram, agat pœnitentiam tribus diebus, quia leuius est, quandoquidem super aram diuinissimam, vt Dionysius vocat, & reliquijs Sanctorum ibi reconditis, & inclusis ornatum decidit sanguis. Si verò super primum linteum, scilicet extra aram, siue altare, quod diximus, in quo corpus Domini, & calix benedictionis imponitur, quatuor diebus. Extra aram enim, idest extra petram sacratam tenditur, & porrigitur primũ linteum, quod corporale vocant, quòd in eo imponatur corpus Domini, ac multo magis extra altare tenduntur reliqua lintea, quæ ampliora sunt. Denique præter eam partem, in qua hostia mystica ponitur neque dicitur, neque est proprie altare, sicut neque mensa mystica propriè, nisi in qua verus cibus, vt dixi, & verus potus ponitur. Si tibi non eximo scrupulum; mihi certè exemi: & fateor me tibi debere, qui ad secundam nauigationem, idest ad posteriores cogitationes vetere prouerbio sapientiores excitasti. Vale in Christo.

LATINI LATINII

Breue ad propositam quæstionem responsum.

INgressum te eam viam libenter agnoui, qua tantum ad quæstionis nodum dissoluendum aditum patere posse ego quoque intellexeram, sed auctoritate tua vehementer confirmor. Huius generis explicationes ex ijs, qui in Canones longissimos comentarios ediderunt, non facile reperio.

L. LATINII SENTENTIA

S. Ambrosius Auxentio viuente, an verò mortuo Episcopus Mediolanensis creatus sit.

VTrum verisimilius sit Ambrosium Mediolanensi Ecclesiæ post seram Auxentij mortem, vt videtur asserere D. Hieronymus in chronico: an damnato statim à Damaso, atque eiecto Auxentio suffectum Episcopum fuisse considerandum est.

Qui de Ambrosio adhuc scripserunt (quod sciam) omnes (præter vnum Sigonium) in ea sententia sunt, vt post Auxentij mortem Ambrosius sit electus Episcopus, qua autem auctoritate, aut ratione adducti hoc fecerint; nisi fallor, hæc est, quod non nisi prioribus mortuis quisquã eidem Ecclesiæ præfici Sacerdos soleat, cum monstri simile sit corpus vnum duobus capitibus niti. Altera verò (auctoritas inquam) vt verisimile est, ab eo initium sumpsit. Qui primus Ambrosij vitam scripsit: quem, quia amanuensis eius fuerat, vt ipsemet in eadem vita fatetur, non Latini modò, qui paucissimi sunt, sed Græci omnes, tanquam domesticum, certumque testem arbitrati sunt necessarium se sequi oportere. Qui tamen nodus facilè ab ijs solui poterit, qui norunt, quibus in rebus naturalis, ac ciuilis mortis nullum discrimen fieri soleat.

Contra hanc tamen adeo confirmatam opinionem iam ante annos XL. quum primũ Ambrosij scripta perlégissem, existimaui vnius Ambrosij maiorem potioréque rationem haberi oportere, quam quorumuis etiam receptorum scriptorum aliter sentientium. Quis enim sanus non videat neminem Ambrosij res aut meliùs nouisse, aut veriùs descripsisse, quàm ipsemet fecerit? Legatur igitur Epistola XXXII. ad Valentinianum, & quæ ad Populum Mediolanensẽ concio sequitur. In quibus Auxentium nõ nouum aliquem, aut ignotum, sed veterem notumque nominatim appellat, inuitatque ad congressum in Ecclesia; cum is ad odium astutè vitandum, mutato priore nomine in Mercurinum, intra Palatium lateret, plebisque conspectum diligentissimè vitaret: Cuius autem rei causa nomen mutaret, nisi idem esset, quem populus Auxentij nomine pridem agnouerat? cur autem conspiciendum se publicè non præbebat, cum facilè ab altero quouis eiusdem nominis dissimilem se vel facie, uel ætate uel habitu

bitu corporis totius statim probare posset? Quis autem tam stupidus sit, cui in mētem ueniat fieri potuisse ut post Auxentij mortem alter eodem nomine, ex eadem Scythia, ad eandem Mediolanensem Ecclesiam, addo etiam eadem Ariana hæresi deprauatus, & quod caput est, eadem prorsus facie, ætate, corporisque lineamentis præditus aduenerit, euocatusque fuerit? Idcirco ne mendacij notam inuremus Ambrosio, qui palam asserit eundem Auxentium esse, qui dudum Mediolanensem Populum Ariana hæresi infecerat.

Cur autem Valentiniano superiore, ac Gratiano superstitibus non nouus, sed uetus iste Auxentius nihil Ambrosio negotij facessere ausus est, sed post eorum mortem Iustina cum Valentiniano puero imperantibus statim adortus est Ambrosium, & usque ad mortem uexare non destitit? Nimirum quia illis uiuētibus, qui Auxentium à Damaso Papa in Romana Synodo damnatum, atque sacerdotio deiectum norant; magno malo suo Auxentius eam rem aggressus fuisset cum præsertim ex Gratiani lege procul ab ea Ecclesia quam deprauauerat, exulasset: quam legem Sulpicius l.2. historiæ Sacræ latam fuisse scribit ad comprimendos tumultus eorum, qui Sacerdotio moti Ecclesias repetebant, plebemque turbabant. Extat hodieque duobus in locis relata ea lex in Codice Theodosiano lib. 16. cap. 35. tit.2. & eodem lib. tit. ultimo cap. 2. extra ordinem tamen hoc postremo loco.

Cum igitur tandem fraudi patuit locus Iustina instigante Auxentius exul ad Ambrosium deijciendum, nomine in Mercurinum mutato non nouus alter è Scythia, sed uetus idem ex Arianorum Asylo prorepit Principum Arianorum auxilio fretus ut ex prædictis epistola, & concione, diligenter examinatis planissimè constat, Nec satis acutè obiectum uidetur, Auxentios in Ambrosij historia necessario duos fuisse Scytham alterum, alterum uerò Cappadocem. Primum enim duorum Auxentiorum mentio nusquam (quod sciam) extat, deinde apud diuersos scriptores diuersis locis oriundum legi non est mirum, quando planè constet, eūdem semper Auxentium intellexisse omnes, præterea uideri uanum argumentum potest. Cum Cappadocia una cum Cataonia intra magnæ Scythiae fines contineri ab historicis cosmographisque asseratur. Quod autem initio dictum est Hieronymi uerba in chronico tanti momenti esse ad eam sententiam tuendam,

dam, quam omnes ferè sequuntur, vt dubitare amplius religiosum planè videatur. Equidem miratus sum vehementer tantam in pronuntiando de re obscura facilitatem eorum, quorum ingenium, eruditionemque multis in rebus meritò suspicimus, vt nulla penè adhibita diligentia in mature examinandis Hieronymi verbis, eam ex illis sententiam colligant, quam ipsius verba apertè prorsus respuunt contrariam necessario statuentia. Id enim ex illis planè colligitur, non prius omnem Italiam ad rectam fidem conuerti potuisse, Ambrosio Mediolanensi Ecclesiæ Episcopo constituto; quàm post seram Auxentij mortem. Alioqui verbo *Seram* frustra hìc, præterque consuetudinem, qua in eiusmodi scriptionibus plerique omnes vtimur, Hieronymus vir cordatissimus, doctissimusque abusus pueriliter videretur.

Considerandum autem non minus videtur tempus à B. Hieronymo adscriptum in chronico, quo anno seram Auxentij mortem consignandam esse putauit, qui annus vndecimus Valentiniani Senioris; Salutis autē trecentesimus septuagesimus octauus in codicibus excusis notatus est. Si quis enim temporum rationem metiatur (vt non veteres tantum, sed recentiores quoque summo studio, & labore metiri hactenus curarunt) manifestò reperiet annum 378. in annum decimum Ordinationis B. Ambrosij incurrere; qua ratione facilè quiuis intelligit Auxentij seram mortem in eum annum relatam, idest annum decimum ordinationis B. Ambrosij, necessariò B. Ambrosio Mediolani Episcopo iam decennio ante constituto accidisse, quod ego & si aliqua ex parte amplector, non omnino tamen B. Hieronymi testimonio securus assentior, cum B. Ambrosij verba tam in epistola ad Valentinianum Imperatorem iuniorem quàm in concione ad Populum Mediolanensem, Auxentium superstitem adhuc faciat, quum iam Gratianus Imperator, qui anno salutis 383. occisus est in humanis esse desijsset, Quare nec cum B. Ambrosij verbis, nec cum omnium item Chronologorum sententia B. Hieronymi chronicum vllo pacto consentire comperitur, quinimmo ita cum omnibus pugnare, vt facilè adducar, vt credam vel B. Hieronymi id opus non esse (vt multa alia falsò illi adscripta leguntur) vel certè pleraque corrupta, locisque suis planè luxata, temere in alium temporis articulum esse translata, Constat autem Valentiniani Imperij initium an. salutis 364. fuisse annū Imperij eius vndecimum in annum Domini 374. incidisse, præ-

terca B. Ambrosii ordinationem in an. D. 369. relatam esse, quæ omnia qua ratione cum B. Hieronymi chronico conuenire possint nemo facilè vnquam reperiet, Sed excusandus omnino videtur Sanctissimus Ecclesiæ Doctor, si in terrarum angulo contẽtus (vt ad Dextrum scripsit) aliquid ignorauit, Ego verò in ea potius sententia persisto, quã professus sum, me iam ante annos 40. quum primum B. Ambrosii scripta percurri, non temere complexum esse, atque B. Hieronymi verba necessariò ita interpretanda censeo vt post seram Auxentii mortẽ non B. Ambrosium Mediolani Episcopum constitutum, sed Italiam ad rectam fidem tunc demum fuisse conuersam intelligamus, alioqui quot absurda ex eo B. Hieronymi chronico sequantur nec dissimulare sanus quisquam, nec vlla ratione defendere vnquam poterit. Constat igitur ex prædictis vnum, eumdemque Auxentium B. Ambrosio post Gratiani obitum negotium facessisse. Nulla ergo necessitate alter Auxentius introducitur in hanc tragœdiam ad B. Ambrosium vexandum, cum satis superque vnus fuerit præsidio Valentiniani Imperatoris iunioris, & Iustinæ Arianæ hæreseos impietate corruptissimæ feminæ armatus atque munitus, Quin immo sine Auxentio sola Iustina instar multorum Auxentiorum quantumuis potentium, improborumque abundè cumulatèque esse potuit. Frustra ergo B. Hieronymi testimonio in chronico niti videntur, qui duorum Auxentiorum fabulam commenti hactenus sunt. Nam quod Ambrosius in epistola ad Valentinianum, & clariùs in concione ad Populum negat se eum agnoscere, qui se dicit, & facit Episcopum, iure optimo verè negauit; cum Auxẽtius per vim factione Arianorum, fauente Constantio Imperatore, expulso Dionysio Episcopo eam sedẽ inuaserit, ac per annos xiv. idest ad annum Damasi Papæ tertium occuparit.

Postremo ne frustra his iactis fundamentis per se solidissimis viri eruditi inuectiuam primum Illustrissimo viro Cardinale prælegente audisse, deinde publicè excusam perlegisse dissimulare videar, aut sententiam, quam tuendam susceperam, vt malæ fidei conscium deseruisse suspicari me quisquam vllo tempore possit. Profiteor me Ambrosii tantùm verbis adductum in eam sententiam primum venisse, deinde ita in ea confirmatum, adiũctis quæ supra à me scripta sunt iam statuisse, vt quamuis multi aliter sentiant in pristina mea setentia omnino maneam, rogóq; omnes, qui fortè in hanc quæstionem inciderint, Ambrosii tria

tantum verba diligenter expendant, in quibus totius quæstionis soluendæ, veritatisque omnino tenendæ (ni fallor) ratio continetur. Ne cognosceretur inquit, mutauit sibi vocabulum, potuit ergo cognosci retento priore nomine? At ego tam pinguis, ac tardus sum, vt nequeam videre qua ratione fieri possit, vt solo nomine quis, cum Petrus A. sit, Petrum B. esse se probare cuiquam possit, nisi enim corporis lineamenta, facies, ætas, & alia, vt prædixi in vtroque conueniant, diuersi certè censeantur Petri necesse est. Potuit ergo nouus Auxentius alter à vetere longe diuersus cognosci ex ætatis, aut formæ dissimilitudine, nihil igitur opus erat nominis mutatione, cum probabile sit, aliquibus, si non omnibus corporis lineamentis ab altero vetere dissimilem fuisse. Cur, inquies, mutauit nomen? Ad decipiendam plebem, quam tenuerat, cum enim aliquot annos exulasset, apud plebem nomen eius auditum, quem norant adhuc viuere, tantum causæ suæ efficere posse intellexit, vt illico excluderetur, excluderetur (inquam) iterum post tot annos quam eiectus fuerat. Veterator enim callidus, impiusque non prodibat in publicum, ne agnitus lapidibus obrueretur, atque ideo in Palatio causam suã ethnicis, ac profanis iudicibus cognoscendam committi postulabat, congressum in Ecclesia vitans; in qua fieri non poterat quin à Populo cognosceretur, cognitusque pessimè tractaretur. Hæc est igitur mea sententia liberum per me cuique sit, & de me iudicandi, & de tota re aliter sentiendi ius atque arbitrium.

Sed quod planè exciderat, quærendum est ab ijs, qui Hieronymi auctoritate nituntur, an existiment sensisse Hieronymum post mortem Auxentij Ambrosio Episcopo constituto, totam Italiam ab Arianismo ad rectam fidem statim fuisse conuersam? Quod si putant qua ratione Ambrosium à manifesto mendacio vindicabunt; qui posteaquam Episcopus constitutus est, annos plus minus sexdecim cum Auxentio *Ariano* certare se scripsit pro basilica, vt Ecclesiam Mediolanensem ad rectam fidem reuocaret, atque in ea vt populum in dies magis, magisque confirmaret, assiduè laborasse? Certum est autem si vsque in eum diem cũ Auxentio certauit, non modò non totam Italiam, sed ne Mediolanensem quidem Ecclesiam totam ad rectam fidem fuisse conuersam, quare necessariò Hieronymus *seram* addidit, cum alioqui historiæ satisfecisset, si post Auxentij mortem Ambrosium Episcopum constitutum fuisse scripsisset cum iure, & ordine ita

fieri statutum esset, atque ita semper consuetudo seruasset, sed non ea tantũ Hieronymi mens fuit ut Episcoporum in ea Ecclesia successionem ostenderet, quantum id, quod maioris ponderis, & momenti cum esset, plurimi quoque meritò faciendum esse intelligebat, id est, Italiam ad rectam fidem tum demum esse conuersam post seram Auxentij mortem, quem damnatum à Damaso, & sacerdotio deiectum ignorare non potuit, atque ideo serã mortem appellauit, cum multos post damnationem annos Auxentius vixisset, & impedimento summo fuisset (Valentiniano, ac Iustina fauentibus) quominus ante seram ipsius mortem Italia ad rectam fidem conuerti posset.

Si quis autem à me vicissim quærat, cur Ambrosius, cum facillimè posset ambiguitatem omnem nobis adimere, si Auxentium illum ipsum à Damaso damnatum, & sacerdotio deiectum appellasset, tam religiosè cauerit ne quid tale homini impurissimo exprobaret? quamquam autem vicissim nouo isti commentitio Auxentio id ipsum obijci potest, cur non se palam ostendit alium á priori illo esse, quod factu facillimum erat, & se à nominis odio vindicauit? in quo apparet manifestò veritatis consciẽtia ne id faceret prohibitum esse, quod nullo pacto fieri posse intelligeret, quin vetus Auxentius illico cognosceretur. Respondebo tamen id quod verè quiuis sanus fateatur, necesse est, Boni viri proprium esse in quauis cõtentione à iurgijs contumeliisque abstinere, deinde quod propter insignis rei gestæ recentẽ adhuc memoriã nihil opus fuit ea verborum adiectione apud eos præsertim, qui rem totam optime norant: postremo quia cum singulari quadam modestia, prudentiaque præditus esset Ambrosius, Valentiniani Imperatoris & Iustinę matris aduersum se animos acriùs irritare nolebat; causam enim suam agere sine vllius offẽsione studebat, cum enim Principis minis vrgeretur, qui Ariana peruersitate ducebatur non Auxentij infamiam ostendere; Sed Imperatori eam ipsam exprobari videri potuisset, qui hominis impietatem tuendam sibi cum summa etiam iniquissimi animi sui testificatione palam susceperat, laudanda igitur, nobisque studiosiùs imitanda Ambrosij modestia proponitur, curandũque maximè, quamcunque rem aggredimur, in ea agenda, vt ita prudenter omnia consideremus, moderemurque, vt sine cuiusquam vel leuissima animi offensione, quod maximè cupimus cõsequamur.

L. LATINII PROBATIO.

Qua ex libro Genesis arguit contra Sadducæos animam esse immortalem.

EX initio libri Genesis videtur penè manifestò colligi posse, immortalem esse hominis animam. Cum enim ceterorum animantium animas iussisset Deus ex terra, & aquis gigni, hominis tantum ex se; idest, de Spiritu, quem in Adam inspirauit, animam creatam voluit. Quare Creatori suo in eo similem esse humanam animam statuamus æquum videtur, vt immortalitatis imaginem initio creationis à Conditore acceperit: atque id satis apertè videntur ostendere verba cap, 2. & inspirauit Deus in hominem, quem de limo formauerat, spiraculum vitæ. Ex translatione quoque Enoch animæ immortalitas agnosci potest.

Item ex verbis Dei prospicientis, ne Adam post peccatum, de arbore vitæ comedere posset. Cum addidit; Ne forte viuat in æternum: quòd corporis tantum vitam is cibus immortalem facere posset. Quod si verum est; necessariò tenemus animam sua natura immortalem esse; cui etiam quod per se corruptibile est, hoc est, corpus, ex eiusce fructus esu, immortale contingere potuit.

Ex Serpentis verò tentatione, immortalem à Deo factam esse omnino humanam animam non video qua quis ratione. elabi possit, quin necessariò fateatur. Cum enim omnium animantium prudentissimus appelletur, (quippe qui ex Angelica natura deiectus, seruaret tamē quæ naturalia dona erant) Euam ea pollicitatione perduxit, vt pomo vetito vesceretur, quia futuri erant sicut Dii scientes bonum, & malum. At scire bonum & malum, non est summum hominis bonum, & votorum humanorum caput: nisi, si cui prius, quod summum, & præcipuum est, iam certo datum esse natura ipsa cognitum, atque exploratum est. Quis est enim, qui non prius naturæ suæ immortalitatem, quàm rerum quamlibet sublimium cognitionē, atque scientiam appetat? Cum sciret ergo Serpens, certum esse Euæ, nihil sibi ad immortalitatem deesse; prætermisit præcipuum illud bonum, atque aliud, quod in votis humanis secundum locum obtinet, hominis desiderio obiecit; quod nisi fecisset;

cisset; stultissimus meritò appellari potuisset. Necessariò igitur sequi videtur; (ex eo, quod summum illud, & primum bonorum omnium, votorumque humanorum, natura ipsa duce nobis expetitum, Serpens prudentissimus ad alliciendam, persuadendamque Euam, non putauit sibi esse offerendum, ne apud eam ridiculus fieret) vt primi homines, non modo (quod ad animam attinet) immortales creati omnino essent; verũ etiam, vt id sibi proprio à Deo munere donatum perpetuo esse, certo planè scirent: atque ideo nihil Euæ tale propositum à Serpente ex pomi esu consecuturum legimus: Cum alioqui esset hæc prima, præcipuaque machina, qua statim adhibita deiicere, cum faciliùs hominem potuisse fatendum est.

L. LATINII ELVCIDATIO.

Loci cuiusdam Titi Liuij de Salis venditione.

Liuij locus dec. I. lib. 2. initio vbi legimus in excusis ante annos quinquaginta ita.

Salis quoque vendendi arbitrium quia impenso pretio venibat in publicum omni sumptu ademptum priuatis.

Vaticani codd. omnes loco verbi *venibat* habent *veniebat*, & ex eis vnus non habet verbum *priuatis*.

Glareanus in notis ad hunc locum ita scripsit. Salis quoque vendendi arbitriũ dicere vult, salis quoque vendendi arbitrium concessum priuatis adempto omni sumptu. Sed Lector hoc dicendi genus consideret.

Sigonius Glareanum secutus in notis suis num. 19. fol. 6. b. Suspicor inquit, ne vt censet Glareanus legendum sit omni sumptu concessum priuatis.

Sigon. idem lib. I. cap. 6. de antiquo iure ciuium Romanorum ita legit, & exponit. *Altero post Reges exactos anno, Salis vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum, omni sumptu ademptum priuatis,* id est institutum, vt sal non à priuatis venderetur cum impenso pretio veniret, sed minoris è publico reciperetur.

Iacobus Nardius Florẽtinus Liuium *Ethrusca* lingua vertens ita locum explicauit fol. 22. b.

E fu leuato ancora à i priuati il poter vendere il Sale, e tolta via ogni spesa, perche ei si fece vendere in publico.

Hacte-

Hactenus aliorum recitatæ bona fide sententiæ.

Amicus autem noster iam ante annos quinquaginta locum obscurum, aut mendosum, vel mancum ratus existimauit primum necessariò consulendos veteres M.S.codd. quod fecit Romæ anno 1547. vt initio supra notaui; deinde quid de tota re sentiret his verbis indicauit, & ad Sigonij notas adscripsit.

Quia neque Glareanus, neque Sigonius satis considerarunt vim verborum, ideo lectionem corruperunt; nam ea est vis duorum verborum *impenso pretio*, vt nulla impensa salem in publicum venire significent, atque ideo iniquum visum est, vt pretio diuideretur, quod nullo sumptu stabat, lectio autem huius loci ea est in codd. scriptis, vt nulla agnoscat verbum *concessum*, & *pro adempto*, *ademptum* retineat. Præterea locus non vacat mendo (vt ego sentio) nam extremam syllabam verbi *publicum* omnino repetendam censeo, ita vt legatur cum omni sumptu adeptum. Postremo cod. vnus Vaticanus non habet verbum *priuatis* quod fortè si expungatur, sententiam magis rei de qua agitur consentaneam ostendet, cum salinæ publicæ vbique esse soleant, & salis vectigal itidem publicum.

Reliquum est, ne temere quicquam assertũ videatur ab amico, vt verborum duorum *impenso pretio*, ea sententia sit, quæ est nullo numerato, & soluto pretio, id autem pro comperto haberi putat debere auctoritate M. Tullij Ciceronis lib. xiv. ad Atticum Epist. num. xiij. vbi hæc habet. Scribis enim esse rumores me ad lacum quod habeo venditurum; minusculam verò villam vtique Quinto traditurum, vel *impenso pretio*, quo introducatur, vt tibi Q. Filius dixerit dotata Aquilia. Nizolius addidit, id est nullo pretio. Adde Festum verbo Impensa stipes.

Venire in publicum pro aduehi, vel importari ex formula Latini sermonis vere dicitur. Venire autem pro venundari, vel distrahi non item.

Item arbitrium ademptum priuatis quis audeat somniare, aut concessum, priuatis? cum & rei ipsius natura, & verbi uis satis ostendat, neque priuatis solere committi arbitrium, neque commodi quicquam illis afferre, si nullo soluto pretio id munus suscepissent alijs salem distribuendi.

Constat autem Senatum in ea re gratificatum ita plebi, vt oneribus, tributo, & vectigalibus vel omnino liberaretur, vel maiore ex parte leuaretur.

Vidi poſtea quæ Turnebus lib. 4. cap. 2. ſcripſit in hunc locum Liuij, & quæ ibi ante aliquot annos notaui.

Poſtremo reperi tandem à *Lipſio* animaduerſum locum lib. 5. c. 16. quæſtionum epiſtolarum, quibus nihil certi conſtitui mihi poſſe videtur. Quare diligenter omnia conſideranda proponuntur.

Cũ ex Plutarcho in Romulo conſtet Veientes vna cum Tarquiniẽſibus Ethruſcis populis deuictos ſeptima agri parte multatos, ſalinas iuxta Tibrim ſponte Romulo ceſſiſſe, centum annorum amicitiam pactos eſſe, obſideſque præterea nobilium pueros tradidiſſe; non puto viſum iri cuiquam, niſi ęquum, & neceſſarium, vt in ea amicitia cõtracta bona fide benignè quædam ipſis à Romulo, & deinceps ab alijs Regibus fuiſſe conceſſa. Cum autem ſalinæ, quas ſponte conceſſerant Romanis, nullo loco eis ſuppeditare neceſſarium ſalem poſſent: ita Romanis amicis illis ea cõditione ſalinarum vſum fuiſſe donatũ, vt ſuo ſumptu Romã quantum populo Romano ſatis abundeque eſſet ſingulis annis aduehérent, atque eo conſilio, vt ſibi de re neceſſaria prouiſum eſſet, & amicitiæ acrius confirmandę aſſidua argumenta præberent. Hæc & ſi non memini ita à quoquam perſcripta legere; quaſi per ſomnium remẽ aliquando narrata mihi fuiſſe videtur. Certe quod negari nulla ratione poteſt, ſi non veritate manifeſta, ſaltem veriſimilitudine rem ipſam niti facilè quiuis ſanus videt.

Quia verum eſſe comperi experimento ſæpius facto, vetus verbum, Non omnibus datum eſſe adire Corinthum, paucoſque quamuis eruditos in rebus difficilibus explicãdi non facilè acumen iudicii vel mediocre probare poſſe, coactus aliquando tandem mutare conſilium in ijs dumtaxat, quæ fruſtra multis conſideranda propoſui, veterem meam conſuetudinem ſecutus, vt eruditorum calculo probarentur, aut reijcierentur.

Liuij locus de arbitrio ſalis vendendi, vt experientia didici non per ſingula verba diligenter adhunc expenſus, abſurdam omnino ſententiam continere videtur. Si enim Senatus, ac Patrũ animos ad plebem deliniendam, eique gratificandum mouere quicquam verè potuit: aut debuit, id vnum fuit præcipium, vt eã vel omnino ab vniuerſo tributi ac vectigalis onere liberarent, vel certè ex maiore parte leuarent. Quæ poterat ergo cauſa populo videri iuſtior de Patribus querendi, aut malæ inhumanæq;

tractatio-

tractationis actionem contra eos intendendi, quam si quod nullo sumptu in publicum veniebat plebs ipsa numerato, id est impenso pretio cogeretur sibi necessariò comparare? Nonne hoc contra consilium oportunum, atque omnino necessariò factum à Senatu, & Patribus affirmari posset. Absurdum igitur est eam sententiam ex Liuij verbis colligere. Vt autem clariùs veritas pateat, consideretur quid sit vendere, & quid arbitrium, & quare ademptum fuerit, nisi vt populus expostulandi nullam iustã causam aduersus Patres haberet: Prodeant Iuris peritorum decreta, vel sentẽtiæ de iis rebus perscriptæ, quæ quia manibus cuiusque assiduè teruntur, ne prolixior sim prorsus omitto.

Vt enim arbitria funerum locari solita erant mãcipibus, id est redemptoribus, & conductoribus plus offerentibus à Censoribus, ita salis vendendi arbitrium publicè locatum mancipibus à Patribus, & Senatu certo annuo pretio esse potuisse existimare debemus. Vendi autẽ id verè dicitur quod pacto, aut persoluto pretio tradebatur. Emebat ergo populus salem, qui si in publicum impenso pretio veniebat iniqua erat populi expostulatio, nisi fortè redemptores arbitrio inhumaniter abusi pluris uenderent quàm postularet ęquitas.

L. LATINII OBSERVATIO.

De mensuris, & ponderibus Romanis nihil certi traditum à G. Agricola.

Certum est ignoratis cuiusque artis elementis, neminem in ea tradenda vel digitum (quod aiunt) progredi posse. Quod cum Portio, Budæo, Alciato in constituendis mensuris, & præsertim sextario accidisset, putauit Agricola (cui tamen & ipsi nihilominus ignota mensurarum principia erant) ingeniosum se visum iri, si eorum eleuatis, & confutatis argumentis, quæ nulla firma ratione niti videbantur, secunda (quod dicitur) nauigatione vsus, viam se ostenderet inuenisse, qua certiore quodam modo in mensuris constituendis rei veritas teneri posset; cumq; hinc, atque hinc diu, multumque excogitando nihil firmius reperisset, in eo tandem constitit, quod ex Galeni lectione olei vncias in cornu, quod libram vulgò Romæ vocabant, animaduerterat non ad lancis, vel stateræ pondus, sed ad notas in cor-

neo vaſe deſcriptas, vnciarum numerum indicantes, ſumi oportere; ita monente Galeno, quod non ponderis alicuius, ſed vaſis vncię, vel partes eſſent, quæ ad vncias σταθμικὰς reſponderent, nihil neceſſe erat. Quid autem ad propoſitæ quęſtionis ſummã explicandam, certamque conſtituendarum menſurarum rationẽ tradendam, hęc viri eius ingenioſa quidem, & vera quoque per ſe inuentiuncula præſidij, aut lucis attulerit, viderunt autem multi acutè, & iudicarunt. Ego nihil ab eo video certius quidquam, quàm ab alijs adhuc traditum. At, inquies, multi medici in eo grauiter offendere potuerunt, niſi ex vnciarum σταθμικῶν, καὶ μετρικῶν diuerſa ab ea ratione oſtenſa, diligẽtius in pharmacis miſcẽdis, propinandiſque pondera, & menſuras expenderent. Quaſi verò medici appellandi ſint qui Galenum non viderint, aut plerique in eo tantum offendant, non etiam in multis, multoque grauioribus. Nec ſatis igitur medicis in ea fecit Agricola, nec quidquam adiumenti ad eam rem, de qua agebatur, explicandam (ſi quis maturè velit, & ſine partium ſtudio diligentiùs rem conſiderare) attuliſſe videtur. Menſurarum, itemque ponderum genus certum, firmumque per ſe ſuapte natura ſit neceſſe eſt quod niſi ſit, nihilũquã certa menſura aut pondere conſtare poterit. Non modò enim diuerſarum rerum, diuerſa ſunt pondera; ſed eiuſdem generis, & loci varia: vt non idem tritici horni pondus ſit, quod trimi, aut quadrimi, quia non eadem ratione, aut denſitate quotannis prouenit Quæ erit igitur, inquies, mẽſurarum, & ponderum conſtituendorum ratio certa, ſtabilis, & firma? Nulla alia, niſi Romani pedis menſura certa prius diligentiſſimè perquiſita, & inuenta. Nam ex quadrato pede uas excitatum, & ipſum quadrantal certum, vel amphora Romanorum erit, & octoginta pondo aquæ, vel vini capiet; atque ita & certæ Romanæ libræ pondus ex quadrantali, & certum erit ex pede quadrantal certæ, & immutabilis inanitatis ad metienda tam liquida, quam arida conſtitutum: quin & modius, & congius, & ſextarius, & totus minorum menſurarum cenſus, & ordo certiſſimus ex eo vnico certo principio, & non aliunde haberi poteſt. Quare ad Romani pedis principium, & elementum confugiendum, vt menſurarum Romanarum rationem certam, itemque ponderum habere poſſimus: quod ab Agricola factum non eſt; tametſi multa poſt alios diligentiùs examinauit, & noua quædam addidit. Sed iniqui iudicis eſt in eo alios condemnare, in

quo

quo ipſe idcirco grauiùs offendit quòd aliorum lapſus vidit, notauit.

De Romanis menſuris, & ponderibus certa ratione conſtituendis.

CONſtituta pedis Romani certa menſura, facilè fuit ex ea tam aridorum, quàm liquorum menſuras certas definire, atque inde ponderum etiam veritatem ſtatuere. Quadrantal igitur, ſeu amphora, quod vas ex quadrato pede conficitur, libraſq; vini, vel aquæ octoginta priſcis Romanis ponderibus continebat, totidem libras Romanas hodie quoque continere deprehenditur. Pes enim in duodenas vncias diuiſus, ſi in ſe bis ductus fuerit, vncias ſolidas mille ſeptingentas viginti octo conficiet; quæ tota eſt inanitas quadrantalis. Eam verò inanitatem cum libræ aquæ, vel vini octoginta expleant, ideſt vnciæ nongentæ ſexaginta; conſtat ponderis aquæ vel vini vnciam occupare inanitatis amphoræ vnciam vnam, & præterea quatuor alterius quintas partes, ita vt nouem inanitatis vnciæ quinque aquæ, vel vini vncias capiant.

Vrna pars dimidia quadrantalis conſtituetur altitudine vnciarum decem beſſis, latitudine vnciarum nouem, quæ erit inanitas vnciarum octingentarum ſexaginta quatuor; Continebit autem vini, vel aquæ libras quadraginta.

Congius octaua pars quadrantalis capit vini, vel aquæ libras decem, continetque inanitatis vncias ducētas ſexdecim, quæ eadem ratione ad ſuperiores reſpondet. Quadrari autem facilè poteſt, ſi ſemipes ideſt vnciæ ſex bis in ſe ducantur. Fiet enim vnciarum ſolidarum numerus ducentarum ſexdecim, quę inanitas vncias centum viginti aquæ, vel vini capiet.

Sextarius item congij pars ſexta, inanitatiſque vncias triginta ſex continens, cum quadrari non poſſit, conſtituetur altera parte longiore corpore, ideſt altitudine vnciarum quatuor, latitudine verò vnciarum trium; quæ ratio vncias triginta ſex inanitatis efficit, quę inanitas vini, vel aquæ vncias viginti continet.

Eadem etiam ratione Hemina certa conſtitui poterit, ſi vas excitabitur latitudine vnciarum trium, altitudine verò vnciarum duarum. Erit enim inanitas vnciarum duodeuiginti, quæ vini, vel aquæ vncias decem capiet. Sed ad venuſtiorem vaſis formā

vnciæ duæ ſemis ſemel in tres ductæ, iterumque in productum numerum inanitatis vncias xviij. conficient, quia vini vncias decem capient.

Boccalis Romanus continet vini libras quinque. Conſtruetur vas ſi tres vncias ſemel in xij. iterumque in productum duxeris; fient enim vnciæ centum, & octo, quæ vini vncias ſexaginta capient.

Dimidij bocalis vas habebis, ſi tres uncias ſemel in ſex, iterumque in productum duxeris fient enim vanciæ quinquaginta quatuor, quæ capient vini vncias triginta.

Foliettam demum conſtitues, ſi ternas vncias ſemel in ſe ipſas, iterumque in productu m numerum duxeris. Habebis enim vncias viginti ſeptem, quæ vini vncias quindecim capient.

Modius aridorum menſura, cuius inanitas eſt tertia pars quadrantalis, exacta ratione conſtituetur, ſi altitudine vnciarum nouem, latitudine verò vnciarum octo vas fiet; ita enim inanitatem vncias quingentas ſeptuaginta ſex continentem conficies quæ tertia quadrantalis pars eſt, capietque tritici puri libras viginti vſque viginti duas pro grauitate tritici varia.

Cur à ſextario; & à modio Romani recentiores diſceſſerint, ea forte videri non inepta ratio, & conſilium poteſt, quòd conſtituta annui cibi menſura in tritico, quæ ſingulis capitibus ſatis eſſe videbatur (non quia æquè omnes conſumerent, ſed quòd voraciſſimis, mediocribus, & infimis in vnum conſideratis Rubium menſuram inuenerint ſatis eſſe) in ea diuidenda non putarint ita commodè modijs vti poſſe, quoniam triginta eiuſmodi partibus Rubius impleretur; ſed inuenerunt faciliorem diuiſionem, primum in quatuor partes, quæ quarta Rubij dicitur, eaque tribus menſibus ſingulis capitibus iuſtum tritici dimenſum erat; deinde eius quartæ aliam quartam partem, qui Scorzius dicitur, effecerunt; ita vt ſexdecim ſcorzijs Rubius conſtet, ſi modo cumulatè illum pro more metiamur, alioquin viginti ſcorzijs Rubius conſtabit, ſi raſa menſura metiamur. Scorzius igitur continebit modium ſemel, & eius ſemiſſem, vt idem ſit Scorzius quod ſeſquimodius: qua ratione ſcorzius radio æquatus libras tritici tritici triginta continebit, medimnum enim in quatuor partes diuiſiſſe videntur, quas Scorzios appellarunt.

A ſextario item id fuiſſe conſilium, vt recederent, videri po-

test, quòd ab ſobrietatem maximè ſpectantes putarunt minore uini modo ſingula capita contenta eſſe poſſe. Cum enim priſcis uini ſextarius in cœna iuſtum potus dimenſum uiſum eſſet, id eſt unciæ xx. vini, ſtatuerunt vt vncijs tantum xv. dimenſum conſtaret, quæ menſura, vt quadrantalis totius octaua pars apud veteres congius fuerat, ita ipſis congij eiuſdem octaua pars folietta inuenta eſt, & fortè nomine etiam indito à follibus monetæ exiguę genere, uel alio (quodcunque id ſit) principio, quod diuinare & difficile eſt, nec ad rem valde pertinet.

Laus Deo, Beataque Virgini Mariæ, ac Sanctis Laurentio, & Roſa Patronis.

Sepulcralis Inſcriptio ab ipſo Latinio adhuc viuente compoſita Romæ in Eccleſia S. Mariæ in Via Lata.

IN SPEM RESVRECTIONIS VITERBIENSIS.

VLTIMVM GENTIS LATINIAE CAPVT

LATINVS HIC LATINIVS

NOVISSIMVM AD DIEM IACET.

ELENCHVS EPISTOLARVM SECVNDAE PARTIS.

Ioan-

RERVM NOTABILIVM INDEX EX SECVNDA PARTE.

L

M

O

P

Q

S

Susce-

FINIS.

Typographorum errata humanè corrige Prudens Lector. Coniecturas, & correctiones in Sanctorum Patrum, Conciliorumque Codices eiusdem Latinij proximè futuras expecta:



ROMAE,
Ex Typographia Nicolai Angeli Tinassij,
Superiorum permissu.

Apud Io: Casonum, Sub Signo S. Pauli.